


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

RERUM ITALICARUM

SCRIPTORES

TOMUS VIGESIMUSQUINTUS.

Digitized by Google



Digitized by Google



Zugni Delin. F.co Zucchi Sculpsit Venetus

Digitized by Google

Digitized by Google

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES

AB ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ QUINGENTESIMO AD MILLESIMUMQUINGENTESIMUM,

QUORUM POTISSIMA PARS NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT

EX AMBROSIANÆ, ESTENSIS,
ALIARUMQUE INSIGNIUM
BIBLIOTHECARUM CODICIBUS.

LUDOVICUS ANTONIUS
MURATORIUS
SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS

Collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit,

NONNULLOS IPSE, ALIOS VERO

MEDIOLANENSES PALATINI SOCII

Ad MStorum Codicum fidem exactos, summoque labore, ac diligentia castigatos, variis Lectionibus, & Notis tam editis veterum Eruditorum, quàm novissimis auxere.

ADDITIS

Ad plenius Operis, & universæ Italicæ Historiæ ornamentum, novis Tabulis Geographicis, & variis Langobardorum Regum, Imperatorum, aliorumque Principum Diplomatibus, quæ ab ipsis autographis describere licuit, vel nunc primùm vulgatis, vel emendatis, necnon antiquo Characterum specimine, & Figuris Æneis.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

TOMUS VIGESIMUSQUINTUS.




MEDIOLANI, MDCCLI.

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PALATINÆ
IN REGIA CURIA.
SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google



Digitized by Google





Digitized by Google



M.Ant' Dalre Sculp.

Digitized by Google

EMIN.MO AC. REV.MO PRINCIPI.

JOSEPH.

PUTEOBONELLO.

S. R. E. CARDINALI.

ARCHIEPISCOPO. MEDIOLANENSI.

QUOD.

MONITIS. ET. EXEMPLO.

GRAVITATEM. ECCLESIASTICAM. IN. CLERO.

DOCTRINA. ET. ELOQUENTIA. PIETATEM. IN. POPULO.

EXCITARIT.

LARGITATE. IN. PAUPERES. MUNIFICENTIA. IN. BONOS.

RELLIGIONE. IN. DEUM.

PRAESTANTISSIMUS.

LITERARUM. AMORE. ALIENA. ETIAM. STUDIA. JUVARIT.

ET. HUMANITATE. COLUERIT.

ULTIMUM.

COLLECTIONIS. RERUM. ITALICARUM. VOLUMEN.

MEDIOLANENSES. PALATINI. SOCI.

SIBI. AC. PATRIAE. LONGIS. EXANTLATIS. LABORIBUS.


GRATULANTES.

PASTORI. SUO. DEBITUM. OBSEQUI. SIGNUM.

D. D. D.

Digitized by Google

Digitized by Google



EMIN.MO AC REV.MO PRINCIPI

D. JOSEPHO

PUTEOBONELLO

S. R. E. CARDINALI

ARCHIEPISCOPO MEDIOLANI

PHILIPPUS ARGELATUS BONONIENSIS

S. P. D.



Uem a longo atque obſtinato labore Palatini Socii Mediolanenſes fructum optabamus in edenda Muratoriana Collectione Rerum Italicarum, *uberiorem cepimus ex mora ipſa, quæ non Hiſtoriarum noſtrarum amatoribus tantùm, ſed & nobis ipſis ad calcem properantibus moleſtiſſima fuerat; abſtergimus enim ſudores noſtros hoc tempore, quo Tu*, PRINCEPS EMINEN-

Digitized by Google

TISSIME, *in Ambrosii Cathedram evectus gaudio nos implevisti, ac Diœcesim universam utilitate. Floret enim in dies monitis, exemplo, gestisque Tuis; unde novimus quæ fuerint arcana Divinæ Providentiæ consilia in Te uno præ ceteris ad eam dignitatem eligendo. Quanta vero fuerit exultatio nostra cùm Te communem patrem habuimus, facilè fuerit a similitudine studiorum æstimandum, quæ præstantior est ratio ad animos invicem conjungendos; memores quippe sumus, cùm in privatis esses, quot nos eruditionis Tuæ argumentis, quantisque stimulis ad arduum opus capessendum incitares, quod, favente Deo, tandem est absolutum. Neque dissimulandum est, quod inter primas Tui muneris curas ea fuerit nostræ simillima de colligendis illustrandisque veteribus monumentis, ex quibus potissimùm Ambrosiana Ecclesia tantum auctoritatis apud ceteras omnes ob doctrinæ puritatem, ac mysteriorum gravitatem est adepta, quæque a temporis edacitate servata perpetuum futura sunt beneficii Tui argumentum. Inscriptum itaque voluimus extremum hunc Tomum Collectionis nostræ, qui duas in partes dividitur, sacro Nomine Tuo, ut sit retributionis nostræ publicum signum perpetuò duraturum, Tibique solidum documentum, quanti consilia tua de hoc Opere instruendo fecerimus, ad quod septemplicis Indicis emolumentum accedit, cujus uberior, & commodior pars in volumen alterum amandata brevì publicam in lucem est emittenda;*

cum-

Digitized by Google

cumque studiosis omnibus Italicarum historiarum frequentior Tomi istius usus inde sit futurus, ex assiduo sacræ imaginis Tuæ aspectu devotionis nostræ par erit testimonium. Accipe igitur, PRINCEPS EMINENTISSIME, *benigno, quo soles, animo munus hoc nostrum, nullo adulationis fuco ad gratiam captandam adumbratum: similia nempe abominaris, vel deducantur a Generis nobilitate, quam habes, vel a morum castigata disciplina in ipsis florentibus annis, quos in cultu Musarum exegisti, vel a doctrina, quam ævo maturiori perpetua Philosophorum, ac Theologorum lectione comparasti, ne dicam de latini sermonis elegantia, qua soluta, metricaque oratione politissimè scribis. Tua quidem hæc sunt, sed ad hominem pertinent. Quæ ad Archiepiscopum, erunt potiora ob communem utilitatem, quam nobis afferunt; patere igitur, ut paullisper Homilias memorem, quibus Mediolanensem populum recreare soles, facundia vernaculæ quidem linguæ, sed altitudine Theologicæ doctrinæ cum Græcis Latinisque commendatissimis comparandas, atque inter ceteras novissimam, quæ in animis omnium insedit, cum ad Metropolitani vastissimi Templi maximam Aram cœlestis gratiæ copiam dispensaturus hoc anno Jubilæi animos omnium ad rem tantam præparaturus, veluti supremus exercitus Dux, legatos tuos in in omnes urbis regiones emissurus, manibus tuis adorabile Christi signum commilitonibus tradidisti, ad bellum vitiis omnibus inferen-*

dum,

dum, & cacodæmones propulsandos; utque facilius haberetur victoria, longa, subitaque hortatione tua, Te ipso major effectus, ita innumeri adstantis populi animos inflammasti, ut lacrymas ab omnium oculis excusseris, ac statim effusam in preces, & contriti cordis suspiria universam Civitatem aspexerimus, utriusque sexus ardentissimis supplicationibus adeo frequentibus, ut amplissima Templa capiendis omnibus non sint satis. Euge itaque Pastor amantissime de triumpho tuo lætare. Hæc est enim vera victoria, quæ vincit mundum. Religio namque constans, & fervens, fundamentum est, atque origo bonorum omnium, quæ sint in Republica desideranda. Cumque Te non detineas intra murorum fines, & ambitum, sed late zelus tuus per universam amplissimam Diœcesim excurrat ad præruptos usque asperosque Montes, quos vel pedes ascendis, ut Pastoris more dilectum gregem invisere, ac tueri possis, ne ab incœpto desistas; ita enim immarcescibilem Tibi gloriam, nobisque veram felicitatem eris consequuturus: Ad reficiendas verò aliquando vires historiis nostris manum admove, quæ non rara virtutum exempla vel in Sacris administrandis repræsentabunt, atque hic, ni fallor, erit muneris nostri usus, quem precor uberrimum, dum Sacræ Purpuræ Tuæ fimbrias quàm humiliter exosculor. Vale.

Dabam Mediolani pridie Calendas Julias MDCCLI.

Digitized by Google

LECTORI HUMANISSIMO

PHILIPPUS ARGELATUS BONONIENSIS
S. P. D.

INgentem animo lætitiam conceperam cum absolutam numeris omnibus Rerum Italicarum Collectionem, postremis jam compositis Tomis, manu contrectabam, longoque labore fessus otiari paullisper designaveram ad reficiendas vires, atque ut Tuo, Lector humanissime, bonorumque omnium lætarer plausu, quem summoperè optaveram; sed, ut sunt humanarum rerum vices, versum est gaudium in mœrorem ob Clariss. Ludovici Antonii Muratorii *mortem, quem Collectio isthæc habet Auctorem numquam satis celebrandum ob eximiam pietatem, ac doctrinam, quibus nomini suo famam immortalem comparavit, atque universæ Italiæ nostræ decus apud ceteras Nationes auxit, necnon diffudit per multiplicem suam eruditionem, rerumque omnium peritiam; Quid dicam de Librorum copia, quos edidit? ad quam evolvendam, si manus admoveamus, impossibile fortasse videbitur, hominem Sacris assiduè addictum tot ac tanta manu sua scribere potuisse (nullius enim opera utebatur) nisi perpetuò serenas noctes evigilaverit. Quid dicam de concinnatis ab eo Annalibus intra tam angustum temporis spatium, quod vix illis exscribendis fuerit satis? De gravi adeo jactura dolendum equidem Literatis omnibus Viris, mihi vero potissimùm ob veterem amicitiam, quam cum eo contraxeram, ac per novem continua lustra studiosissimè colueram, longaque consuetudine in utriusque patria firmaveram, quæ me beatum fecit; numquam enim ab eo me discessisse memini, quin lucri aliquid fecerim; apertis illico immensis eruditionis suæ thesauris, unde mihi plura comparavi, quæ alibi frustra quæsivissem. At hæc doloris augendi argumenta ponens, meritis laudibus Nomini ejus intexendis non levem operam cultiori calamo relinquo.*

Sanè inter multiplices, ut dicebam, ingenii ejus fœtus nullus equidem præstantior Collectione Rerum Italicarum, quam Palatini Socii Mediolanenses publici Juris fecimus, ad eamque parandam continua decem annorum occupatione, vel in inquirendis ubique locorum Auctoribus, ac Diplomatibus, ceterisque Antiquitatum Italicarum monumentis, vel in iis recensendis, atque illustrandis facem homini doctissimo præferenti operam præstiti, ac demum edendis, cui potissimùm curæ totus incubui, ut fidem cum Clariss. Muratorio contractam optimè liberarem; is enim in hanc Metropolim advenienti mihi designatam potiùs, quàm a se absolutam Collectionem tradidit, si fieri posset, in vulgus emittendam, atque ut verum fatear, vix ego spem ullam concipere audebam; nam ad necessarios labores, atque ad ingentes expensas animadvertebam; sed bene arrisit fortuna: Palatini quippe Socii non solum nobilitate generis, quam eruditione præditi alienum opus in suum adoptarunt, atque ad calcem deduxerunt. Maximum tamen operi præsidium accessit ab auspiciis Augustissimi olim Imp. CAROLI *VI., sine quo vel nostri, vel aliorum quorumcumque conatus irriti erant futuri; Amor enim in literas ac bonas Artes omnes, quibus Princeps cultissimus rapiebatur, ita nos Majestati ejus commendavit, ut nihil desiderandum reliquerit, quod ad Operis felicem exitum juvare posset; atque ut omnes intelligerent placere Numini ejus labores nostros, locum Typographiæ in ipsis Regiis ædibus concessit, quo factum est, ut & nihil molestiæ illatum fuerit ab invidis hominibus, & honoris plurimum tam a nostratibus, quàm ab exteris acceperimus. Quodcumque igitur hoc rerum est, auspiciis ejus debere nos publicè profitemur grati animi testimonium perpetuo futurum. Tu vero, Lector humanissime, si quid utilitatis, vel delectationis a studiis nostris accepturus es, debitum Sacris Manibus plausum minimè negaveris.*

Extremum itaque Collectionis Tomum, qui in duas partes dividitur, accipe. In partem hanc primam aliquot Opuscula collata sunt, quæ post mortem Clariss. Muratorii in lucem emerserunt, quibus factum est Italicorum veterum monumentorum veluti spicilegium: plura etiam dedissemus, si cetera, quæ tempus aliquando publicæ luci restituet, nostram in potestatem venissent. Non exiguam præterea me gratiam apud omnes initurum fore speravi ab obstinato, atque improbo labore in evolvendis iterum iterumque Tomis nostris, quibuscum, numero, ac mole, paucæ aliæ sunt Collectiones comparandæ. Hoc autem Indice studiosorum Virorum commodo, ac Tuo præsertim, Lector humanissime, consului; quippe si contentus fuissem Indicibus illis, qui singulos Tomos per Capita

Digitized by Google

excurrunt, molestum nimis erat futurum quærenti certæ rei monumentum, lustrare Tomos omnes, incerto eventu, an ea, quæ sibi necessaria fuissent, in vastissimo veluti pelago esset expiscaturus. Hanc enim Collectionem amplissimam sine ope diligentis Indicis excurrere, ne a metaphora discedam, simile visum est, atque Oceanum sine pyxide nautica sulcare.

Septemplicem itaque Indicem ad commodiorem usum in hunc modum paravi.

Primus *est, qui continet Auctores omnes eodem ordine, quo in Collectione nostra singulis in Tomis distributi fuerunt.*

Alter *nomina continet eorumdem Auctorum ordine alphabetico disposita, quibus respondet Tomus, & pagina, ubi quisque sit consulendus.*

Tertius, *qui gratior præ ceteris erit futurus, Catalogum exhibet Scriptorum omnium, qui de singulis Regionibus, Urbibus, & Locis historiam nobis reliquerunt; in eo verò habita est ratio alphabetica nominum Regionum, Urbium, & Locorum, iisque subjecta sunt nomina Scriptorum, qui de singulis egerunt; exempli gratia, si quis* Anconitanæ *Urbis,* Beneventanæ, *ac similium Scriptores consulere velit, Indicem dictarum Regionum, & Urbium aperiat, ibique Tomorum, paginarumque Indicem habebit, ut absque ullo suo labore cuncta facillimè cognoscere possit.*

Quartus *respondet Catalogo Scriptorum. Diplomata omnia, Instrumenta, Chartas, & similia continet, quæ congesta sunt in Collectionem nostram ordine temporum disposita, itaut unius tantùm Chronologiæ habita sit ratio, ab anno scilicet DLXXVIII. a quo antiquius nobis Documentum occurrit ad MCCCCLXXXV. qui novissimum dedit, ac marginali numero annum denotanti respondet summa documenti, notatusque est Tomus, ac pagina, ubi sit inquirendum.*

Quinctum *ad lautitiem disposui. Continet enim nomina Provinciarum, Urbium, Oppidorum, aliorumque Locorum, necnon Montium Fluminum, Insularum, ac similium, tam in Italia nostra, quàm alibi, quorum a Scriptoribus nostris alicubi mentio facta sit, indicato similiter Tomo, ac pagina.*

Sextum *nemo fortasse aperiet, qui consilium nostrum non probet, ob solatium, quod singulis Familiis oboritur ex cognitione majorum suorum. Dispositus hic pariter est ordine alphabetico Familias omnes, earumque personas enumerans, quæ in universa Collectione memoratæ sunt, vel ex nostratibus, vel ex alienigenis.*

In hisce duobus Catalogis, quincto *nempe ac* sexto, *id est animadvertendum, ut in singulis articulis quicquid historicum occurrat in postremo Indice generali rerum, & nominum prostet, juxta monitum, quod in articulis ipsis diligentiâ nostrâ notatum est.*

Septimum *ac ultimum, qui prælo subest, in parte altera hujus Voluminis, quod in lucem profero, brevi, Lector humanissime, habebis, tantamque Rerum, ac Nominum copiam continet, ut integrum ac novissimum editionis nostræ Tomum occupet. Ei parando cum opera mea tantùm par non esset, ac desiderium omnium urgeret, inquirendi primò fuerunt homines non doctrinâ solummodò, sed & diligentiâ præditi, qui asperum laborem susciperent, atque a ceteris curis soluti, huic Operi tantum vacarent. Numero quinque doctissimi Viri tandem unà mecum Indici concinnando dederunt operam, certis inter nos agendi regulis compositis; ac tandem post longissimam laboris, ac tædii tolerantiam absolutus est rerum universarum Index, & si quis umquam similibus occupatus fuerit, æstimare poterit quantum nobis fuerit insudandum, & quale sit operis pretium in compilatione hujus Indicis, qui per sexaginta quatuor mille articulos excurrit, quorum quisque ex singulis Tomis est excerptus, & continuam seriem rei gestæ repræsentat; cùm vero commodo Tuo bene consultum cognoveris, erit unde mihi, & literatis iis Viris, qui adjutrices manus dederunt, quorumque nomina proferre vetor, laboris præmium sit habendum.*

Commendationem verò Tuam non esse minuendam speramus ob diuturnum temporis spatium, quod in eo Indice concinnando adhibuimus; nam præter quam quod extremi hujus Tomi, qui XXV. inscribitur, ac numero est XXVIII. divisis in duas partes prioribus tribus Tomis, necessario expectanda erat editio, ut Tomos omnes, eorumque paginas notare posset, plura fuerunt in causa moræ, quæ nisi obstinata Palatinorum Sociorum perficiendæ rei voluntas unico literarum amore superasset, jamdiù editio nostra pro derelicta habenda fuisset; ac primò incendium, quo in ipso tanti Operis initio pars Regiæ Curiæ, ac Typographiæ nostræ conflagravit, bellorum deinde turbines, quibus publicæ, ac privatæ res in Insubria sunt imminutæ, unde plurimum æris, ac temporis

Digitized by Google

poris perditum est. Ego verò præsidiis omnibus destitutus, quibus ab Augustissimo Imperatore CAROLO *VI. fovebar, animo prorsus cecideram, ac de opere ad umbilicum, ut ajunt, deducendo omnino desperabam; at a Deo suffectæ sunt vires ad hæc & alia plura, quæ in vulgus emisi, nova item emissurus, ne otio inerti vilescam. Neque refugit animus licèt afflictus jactura, quam intra hunc annum sum passus, e vita sublatis carissimis, atque doctissimis tribus amicis* Muratorio *nempe, de quo supra dixi,* Apostolo Zeno, & Josepho Antonio Saxio *Literariæ Reipublicæ notissimis, quorum monitis, atque auxilio in pluribus juvabar.*

Sed jam pro more nostro ultimi hujus Tomi notitiam exhibeamus. Inscriptus is est Sacro & Clarissimo nomine Emi Archiepiscopi nostri S.R.E. CARDINALIS JOSEPHI PUTEOBONELLI, cui non tam profana, quàm sacra historia in pretio semper adeo fuit, ut cum ad supremum honoris apicem apud nostrates ascenderit, nihil ei antiquius fuerit, quàm vetera omnia Ritus Ambrosiani monumenta undequaque colligere, ut Ecclesiæ Mediolanensis præstantissimum decus apud Nationes omnes aliquando propagare, ac temporis edacitati, quæ plura corrumpit, pretiosissima Ecclesiæ lipsana subtrahere posset, ac immortalitati tradere.

Auctorum omnium, qui continentur in hoc novissimo Tomo, Epistolæ huic adnectimus Catalogum, atque hoc unum præmonemus, abstinuisse nos a Præfationibus, quas Clariss. Muratorius, si ei vitam in hanc usque diem trahere licuisset, singulis, quos addidimus, Auctoribus fortasse præposuisset, ut aliis, qui nunc eduntur, præposuit; nam recentioribus Scriptoribus per se optimè notis nihil præmittendum esse duximus, ne scribendi affectatam occasionem accipere voluisse videremur, & simiam agere cum tanto Viro simile argumentum pertractantes.

Ultimum Epistolæ hujus argumentum sibi vindicat publica gratiarum actio, quas Deo Opt. Max. reddere debeo ob vires tam longo labori suffectas, ex quo studiorum tuorum commodo bene consultum est, frustra resistentibus infortuniis, quæ si conditionem domesticarum rerum durissimam induxerunt, animum prosternere minimè potuerunt, quin interim alia bene multa in vulgus emitterem, Sigonianam *scilicet editionem*, Bibliothecam Scriptorum Mediolanensium, Rei Monetariæ Collectionem, *ac* Poëtarum Latinorum versionem; *quique sub prælo est, brevi publici juris faciendus* Catalogus, seu Bibliotheca Auctorum omnium, qui ex Hebræa, Arabica, Persica, Turcica, Græca, Latinaque linguis libros in Italicam nostram verterunt, *addita singulis articulis vel historica, vel critica animadversione. Quod si Deus dies vitæ prorogaverit, extremum etiam laborem designavi, novam operum celebratissimi* Panvinii *editionem concinnaturus, cui parandæ tantam MSS. ejus copiam hactenus habui, annuente potissimùm Beatissimo Pontifice nostro* BENEDICTO *XIV. bonarum Literarum, ac Literatorum hominum Patre amantissimo, ut fateri debeas diligentiam nostram neminem unquam superaturum fuisse, ac me Itali hominis officio bene functum fuisse. Utinam & hoc etiam animadverterent ii, quibus datum est de similibus cogitare, industriam hanc meam non solum decoris, verum & utilitatis in Rempublicam, ipsumque Regium Ærarium ex tam nobili mercimonio plurimum inferre, quod Augustissimus olim Princeps* CAROLUS *VI., ejusque selectissimi Consiliarii præ oculis habuerunt, cum aliquo largitionum Imperialium solatio fessam labore vitam honestarunt; neque spes aruit, quin reparatis publicis detrimentis de infelici, faticatoque homine sit aliquando cogitandum. Tu interea, Lector humanissime, favore Tuo animum nostrum recrea, & Vale.*

Dabam Mediolani XII. Calend. Julias MDCCLI.

ELEN-

Digitized by Google

ELENCHUS

TOMI IN ORDINE VIGESIMI QUINCTI, IN NUMERO VERO VIGESIMI OCTAVI.

Digitized by Google

COMMENTARIA

RERUM GESTARUM

A JACOBO PICININO

ANNO MCCCCLIII.

QUI FUIT SECUNDUS BELLI INTER VENETOS,
ET FRANCISCUM SFORTIAM MEDIOL. DUCEM,

AUCTORE

PORCELLIO POETA,

ET SCRIBA ALPHONSI I. UTRIUSQUE SICILIÆ REGIS;

Nunc primùm in lucem prodeunt

EX MANUSCRIPTO CODICE MEMBRANACEO
EXCELLENTISSIMI VIRI

MARCI FUSCARENI

EQUITIS, ET PROCURATORIS S. MARCI.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN COMMENTARIOS PORCELLII

MONITUM

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

IN Tomo XX. Rerum Italicarum jam dedi Commentarios Belli Anno primo, hoc est MCDLII. inter Venetam Rempublicam, & Franciscum Sfortiam Mediolanensium Ducem gesti, quorum Auctor Porcellius Neapolitanus Poëta & Historicus. Jam tum praesenseram, superesse ejusdem Commentarios Anni secundi, hoc est MCCCCLIII. ipsos libenter editurus, si tunc ad manus habuissem. Latebat ille Codex, uti denique mihi innotuit, in selecta Bibliotheca, quam sibi Venetiis paravit Excellentissimus & eximius Vir *Marcus Fuscarenus*, Eques, & S. Marci Procurator, non editis tantum, sed & manu exaratis Libris copiose instructam. Eumdem Codicem ab humanissimo Viro precario petere, atque impetrare, idem fuit. Erat is in membranis scriptus, picturis, atque auro ornatus, ita ut idem videatur, qui *Francisco Foscari* Venetiarum Duci ab ipso Porcellio oblatus fuit. Erit igitur hoc Opus alteri jam edito adjungendum. Ceterum quis Porcellius fuerit, & quot ille Libros ingenii sui testes post se reliquerit, antea indicavi. Praestat nunc apponere pauca, quae de eodem Scriptore adnotavit Hieronymus Tartarottus Roveretanus V. Cl. dum olim de Commentario hoc luce donando cum amicis ageret.

„ L'Opera presente, che molto prima era nota al Chiarissimo Sig. Lodovico „ Antonio Muratori, fu da esso con ogni diligenza fatta ricercare in Verona, „ dove dal *Giornale de' Letterati d'Italia* aveva imparato dovesse ritrovarsi. Come „ però vano riuscì allora ogni suo attentato, così nella Prefazione all' altra Parte „ di questa stessa Istoria, da lui pubblicata nel Tom. XX. *Scriptor. Rer. Italicarum*, si contentò di dire: *Optandum ergo foret, ut & ii Commentarii aliquando* „ *prodirent*. Finalmente pochi anni sono Girolamo Tartarotti ebbe la sorte di ritrovarla piena di polvere presso un Librajo in Verona, ed acquistatala, ne fe„ ce dono a S. Eccellenza il Sig. Marco Foscarini, Istoriografo della Repubblica „ di Venezia, dal codice di cui è tratta la copia, che ora comparisce in „ pubblico.

„ A quanto intorno alla vita, ed agli scritti del Porcellio scrisse nel men„ tovato luogo il Sig. Muratori, ed il Chiarissimo Sig. Apostolo Zeno nel Tom. „ IX. pag. 148. dell' accennato *Giornale*, aggiugnerò quì, che a intraprendere „ la fatica di scrivere questa Storia fu animato l'Autore da Lodovico Foscarini, „ chiaro soggetto di quell' età, con promessa di far sì, che dal Pubblico ne fosse „ rimunerato; il qual Foscarini ritrovandosi Ambasciadore a Roma per la Repub„ blica, non mancò altresì di promovere le fortune del Porcellio presso Pio II. „ Pontefice. Tutto ciò si raccoglie dalla Part. I. Cap. III. §. III. della *Diatriba* „ dell' Eminentissimo Sig. Cardinal Quirini, preposta all' Epistole di Francesco „ Barbaro, altro protettore, come quivi si nota, del Porcellio. Nè ingrato si „ mostrò egli a tanta cortesia, mentre, come ancora da questa stessa Opera si „ può vedere, con isquisite lodi e distinte esaltò in più d'un luogo il Foscarini, „ che allora era Podestà di Brescia. Marcantonio Sabellico nel Lib. II. Epist. XIV. „ numerò il Porcellio tra i suoi precettori con queste parole: *Romae Pomponio,* „ *& Domitio Veronensi dedi operam adolescens, audiveram tamen nonnihil antea Casparem Veronensem, & Porcelium Poëtam*. Con tutto questo nel Dialogo *De La*„ *tinae linguae reparatione*, dando giudizio sopra i versi di lui, non si lasciò già „ cotanto prevenire dall' amore verso il maestro, che non ne giudicasse rettamente, e in consonanza d'altri Critici: *Leporem in eo probant cuncti, eruditio*„ *nem, & gravitatem adimunt*. Menzione con lode di questo Scrittore fa lo stesso

„ Sa-


Digitized by Google

„ Sabellico anche nel Tom. III. pagg. 329. e 356. delle sue Opere, e così pure
„ il Biondo nell' *Italia Illustrata* Reg. IV. pag. 347. dell' edizione di Basilea MD-
„ LIX. quantunque per errore, com' io stimo, *Procellius* leggasi quivi, in luogo
„ di *Porcellius*. *Procellius Romae, & Neapoli, Italia bonis litteris implenda pro*
„ *viribus enititur*. Nella *Bibliotheca Bibliothecarum Manuscriptorum* del P. Mont-
„ faucon questi Codici MSS. si notano dell' opere del Porcellio, dall' ultimo de'
„ quali pare possa arguirsi, che fosse cognominato *Pandonio*. In Bibliotheca S.
„ Marci Dominicanorum Florentiae Cod. 99. *Triumphus Alphonsi Regis Aragonei*
„ *de victa Neapoli per Porcelium Vatem Romanum*. In Bibliotheca Laurentiana
„ Medicea Plut. XXXIV. num. XLIX. *Porcellii Carmina quaedam, primum ad Joan-*
„ *nem Tuscanellam Oratorem, ultimum Satyra imperfecta ad Card. S. Angeli D. N.*
„ *Caesarinum*. In Bibliotheca Regia Parisiensi num. 6500. e 6501. *Porcelli Poëtae*
„ *laureati Epigrammata*. *Ejusdem Carmina in laudem Francisci Sfortiae*. In Biblio-
„ theca Reginae Sveciae in Vaticana num. 1958. *Flavii Blondi Roma Instaurata*
„ *cum Epistola Francisci Barbari, & Carminibus Porcelli Vatis Romani, & Petri*
„ *Odi Montopolitani ad Blondum*. In Bibliotheca Vaticana Tom. III. Inventarii Cod.
„ 1670. 2856. & seqq. *Porcelli Pandonii Poëmatum libri VIII. ad Pium II. Porcelli*
„ *varia opera*. D'altra opera in VII. Volumi allo stesso Pio II. indirizzata, e
„ intitolata: *De felicitate suorum temporum*, fa menzione il Porcellio medesimo
„ in un' Epistola a Lodovico Foscarini, come dall' accennata *Diatriba* dell' Emi-
„ nentissimo Quirini, che sarà probabilmente la stessa, che la quì mentovata.
„ Non rechi maraviglia ad alcuno, che *Romanus* in qualche codice sia chiamato
„ questo Scrittore, mentre il Bandello, che nelle sue Novelle Part. I. Nov. VI.
„ a lungo scrive di lui, afferma, che *benchè fosse nato, ed allevato a Napoli, non-*
„ *dimeno voleva essere detto Romano*. Dallo stesso luogo del Bandello s'impara,
„ che a Milano nel Palazzo, già del Conte Gasparo Vimercato, vedevansi nelle
„ sale, e nelle camere, a diversi propositi, e sotto varie pitture, molti Epigram-
„ mi del Porcellio, che dimostravano la vivacità del suo ingegno.

„ E questo è quanto posso ora aggiugnere intorno all' Autore di questi Co-
„ mentarj, i quali uniti a' già pubblicati nel Tom. XX. di questa Raccolta, dan-
„ no un' esatta contezza della guerra, che fu negli anni MCDLII. e MCDLIII.
„ tra la Repubblica di Venezia, e Francesco Sforza Duca di Milano ec.

COM-

Digitized by Google



COMMENTARIORUM

Secundi Anni de gestis Scipionis Picinini Exercitus Venetorum Imperatoris in Annibalem Sfortiam Mediolanensium Ducem ad Serenissimum Principem Franciscum Foscari Venetorum Ducem per Clariss. Historicum, & Poëtam Laureatum Porcellium Neapolitanum

PROOEMIUM INCIPIT: LEGE FELICITER.



ANtheum Gigantem ab Hercule Jovis, & Alcmenæ filio apud Libiam luctando victum, Græci primùm tradidere, cadentique matrē Terram crebro vires subministrasse: quo victorem Alcidem materno subsidio superaret, tametsi id operis genus Herculi Jove genito nihil obesse potuisset. Figmentum meâ quidem sententiâ admirabile, nec ab inerti, & obtuso, sed ab acutissimo, & perspicaci ingenio profectum. Etenim virtutem esse Herculem volunt, voluptatem Antheum, cujus est more pecudum finis, victus ac rerum terrenarum luxuries; quòd autem à matre cadens majores vires acciperet, id arbitror ad exercitationem devolvi. Quanto enim magis palæstra exercebatur; tanto ad luctandum ingeniosior, agiliorque ad deducendam (ut palæstrici solent) membrorum compaginem. Quo fit, ut fortior ac robustus magis fuisse videretur; quorsum hæc? ut intelligas, Serenissime Princeps, dici, fierique omnia melius, quæ fuerint exercitationi accommodata; neque enim his unquam concesserim, qui eos esse Medicos ferunt, qui egregiè tradunt præcepta medicinæ; sed qui corpora humana curant, eaque ab invalitudine ad valitu-

A dinem bonam deducunt; Imperatorem armis tritum, virtute, justitia, moderatione, constantia, fide, & auctoritate Imperatoris servata dixerim, non eum, qui agendum, quid sit, præceptis, non experientia comprobavit; eodem modo de Oratoribus, de Poëtis, deque historiarum Scriptoribus audeo dicere, quorum monumentis illustribus vivunt viri laude digni memoriâ hominum sempiternâ. Et quod mirabile dictu est, ex mortalibus immortales fiunt; Græci, Duces eorum, & militiæ Imperatores, miris in cœlum laudibus extulerunt; Themistoclem, Epaminundam, Lysandrum, Xersem, Darium, Pirrum, & ante omnes Alexandrum Macedonem Philippi filium; eo-
B rum autem septem, qui Sapientes nominati sunt, immortali nomine, & gloria decoraverunt, eum maximè, qui ab Oraculo Apollinis sapientissimus judicatus est. Romani rerum domini, qui jura gentibus, ac leges dederunt, quique virtute insigni, summa justitia, & incredibili sapientia cœlo eorum animos adæquaverunt, non Reges modò, & Imperatores, verumetiam Dictatores, ac Cæsares rebus perquam fortiter beneque gestis æternitati commendarunt. Romulum, & fratrem Remum urbis Romæ Conditores, Numam Pompilium, & reliquos usque ad Superbum, Coriolanum, Furium, Camillum belli fulmina, Scipiones, Gracchos, M. Marcellum, Sulpicium, Gallum, & collegam, qui primus Romanorum
C eclipsim Lunæ cognovit. Adde Fabios, eum maximè, qui, ut Rempublicam cunctando restitueret, Maximus cognominatus est: Sillam,

A Marium, Pompejum, Lucullum, Julium Cæsarem, & patris patriæ interfectores Brutum, & Cassium. Et si Romana lege sanctum est: impunè licere tyrannum interficere, ex Senatorio ordine Viros, sapientia, & omnium virtutum laude præstantissimos, divinis literarum monumentis posteritati reliquerunt, Catones, Paullos, Scauros, & sanctissimos Jureconsultos, Pomponium, Aquilium, Scevolam, cæterosque, quorum præclara consilia, & institutiones magno, & excellenti Scriptores ingenio nullo pacto aboleri permiserunt. Nos igitur, quibus posse bene dicere, à natura concessum est, quid prohibet, illustrium nostræ ætatis virorum gesta perscribere, aut homines, sapientia, consilii magnitudine, constantia,
B moderatione, justitia, virtutumque omni genere præstantissimos, immortalitati consecrare? Conferamus (si placet) exempla Romanorum, præsertim, à quibus Græci in omnibus (præter histrioniam) superati sunt, quo res faciliùs judicari possit. Quem veterum Regum divo Alfonso Regi comparaverim vel rebus bene gestis, & auctoritate, vel clementia, & pietate, vel ordine, & continentia, vel religione, & fide, vel tandem liberalitate, & justitia, quibus rebus hominum societas continetur? Nicolaus Picininus Imperator insignis, an non potest de prærogativa laudis, & rerum optimè gestarum gloria cum omni vetustate
C certare? Hunc medius fidius superiori Africano continentia, tenuitate vitæ Fabricio, fidei integritate M. Attilio Regulo, G. Mario, ac rebus gestis Julio Cæsari, cæteris paribus, conferendum concesserim. At dices: Senatum habuit populus Romanus sapientissimum. Equidem ego non inficior; sed ab Urbe condita, vel ambitione, & invidia, vel luxu, & avaritia labefactatum. Vis Reges? fraterno primi maduerunt sanguine muri. Vis Consules? Camillum, Scipiones, Sillam, Mariumque pone tibi ante oculos. Quorum tempora penè semper fuere invidiâ, & ambitione corrupta. Vis Cæsares? at Cæsaris luxu, & ambitione Respublica nomen libertatis amisit, atque om-
D nino deleta est. Jure igitur Senatum Venetum Romano contulerim, aut prætulerim potius, qui ejusdem Ordinis principe quingentos annos, & totidem, aut plus eo (ut affirmant) sine invidia, sine seditione imperavit.

Sunt illic, hic centum Fabii, centumque Catones,
Et Conscriptorum nomina mille patrum.

Dicet quispiam: Catonem habuere Romani, maximum, & spectatum virum. Atqui negari non potest. Sed Serenitatem tuam, Illustrissime Princeps, jure optimo Catoni anteponam; nam etsi optimo vir consilio fuit Cato, ac fide, justitia, & sapientia singulari: non aliter, humanissime Princeps, in Senatu Veneto habitus
E es; at continentia Catone superior, propterea quòd illum vino interdum concaluisse, omnium est sententia, & civium benivolentia longè melior, quandoquidem nullius unquam civis odium tibi conflaveris. At Cato per multorum, & optimatum quidem, dices: Cato filii mortem patienter tulit, cùm nuncianti, *satisfecit naturæ filius*, respondisset; at tu filii exilium juvenili fervore delinquentis patientissimè substulisti, & quod omnes Senatorii ordinis maximi existimarunt, luculentissima, ac prudentissima oratione in gratiam civium, inque Patriam, non sine piis Patriciorum lacrymis revocasti: quas ob res scribant, qui ingenio præditi sunt, quique hanc bene dicendi facultatem profitentur. Nam si pares majoribus esse non possumus; tamen ob materiæ fœcunditatem, ob rerum gestarum copiam, & dicendi assiduitatem proximè accessuros speramus; sunt fortasse nonnulli, qui livore quodam commoti, aut alia quavis causa dicent, aut amicus es indulgentissimus, aut spe alicujus fortunæ blando, comique sermone assentaris; quandoquidem eos tantùm Romanis confers, quos & benivolentia prosecutus es, & observantia singulari; quibus ita respondendum duxi: Si amicus Principum superiorum haberi malim, nihil fictum, nihilque simulatum scribere oporteret; nihil est enim magis contra amicitiam, quàm blanditiis amicos fallere, & eos coæquare militibus gloriosis. Nec fortuna me ad scribendum impulit, quam ab ineunte ætate literis indulgens parvi feci: sed divina illorum virtus, quos audeo ceteris ejusdem ordinis principibus anteponere, & eos æternitati consecrare; nam nisi à longa oratione abhorrerem, hostium etiam permultorum exempla subdidissem, eorum maximè, quorum bene gestarum rerum gloria vivet memoriâ hominum sempiternâ. Nunc cùm vel mediocre mihi ingenium natura tribuisset, cùmque ingenio artem, artique exercitationem dicendi accommodassem, volumina ne pauca quidem, nunc metrica, nunc soluta oratione perscripsi, non spe quæstus, sed quo Latina lingua scriptis meis foret copiosior, quove novos veteribus compararem, & esset nomen meum non incognitum posteritati; quod ut assequerer, ad hoc usque tempus assidua dicendi exercitatione volui his Commentariis prolusisse, ut quemadmodum Antheus majores ex parente vires: sic ab usu scribendi continuò non inconveniens dicendi genus viderer assecutus. Quod Herculem fecisse accepimus, qui cùm in cunabulis geminos angues, ab Junone noverca immissos, strangularet, idræ proludium puer fecit; nunc, ut majora aggrediar, res, tempusque postulat. Dicturus itaque de gravi, & periculoso bello, quod Serenitas tua, in Annibalem Franciscum Sfortiam Mediolanensium Ducem, fortunatissimum Imperatorem, & rei militaris scientiâ peritissimum gerit. Hoc opus tibi, Illustrissime Princeps, devoveo, quod spero, quàm gratissimum fore, eoque maximè, quòd non Tyro, sed veteranus miles materiam hanc ingredior, quam superiori anno divo Alfonso Regi, tuo hujus belli socio consecravi. Quod ut facerem, incendit animum meum divina virtus, fides, vitæ modestia, auctoritas, & incredibilis animi præstantia Scipionis Jacobi Picinini, quem pro salute Reipublicæ, proque Regnorum tuorum amplificatione Imperatorem tui exercitus cum omnibus Patriciorum, & populi suffragiis jure optimo delegisti. Hunc Martis filium, Imperatorum decus, & in cæteris rebus patri assimilem dixerim; Literis verò superiorem. At cui dignius, cuive convenientius, quàm tibi, optimo Principi, hos Scipionis Commentarios devovere potuissem; cùm pro tuo ille imperio, & dignitate, proque honore, & gloria Reipublicæ Venetorum, non minus diligenter, quàm libenter Populos vestros pro virili servare, exercitum sua, ac æterna fide, & auctoritate regere, & cum hoste potentissimo, ac callidissimo, cùm res tempusque postulat, intrepidè, & præstanter configere stet sententia; cui victoriam belli hujus ob divinam animi ejus excellentiam,

&

Digitized by Google

& incredibilem auctoritatem fato reservatam speramus. Accipe igitur Scriptoris munusculum, Illustrissime Princeps, non domi, & in otio, sed in castris, & in medio quandoque certamine cum maximo capitis mei periculo elaboratum. Etenim eò militans scribere in animum duxi, quo rem ipsam veriùs, quàm Serenitas tua nemo sentiret, nemo scribere profiteretur. Nunc quoniam crescit in dies rerum gestarum copia, & fortuna virtuti Scipionis adjuncta, laboribus primis aspirat, de rebus ipsis, favore Serenitatis tuæ freti, dicere incipiemus.

Finit Prologus.

NARRATIO INCIPIT.

CUm à Sapientissimo Venetorum Legato, & Patricio Viro Francisco Georgio circiter quadraginta dies jam liber alieno stipendio Scipio dissentiret; cùmque pactione nulla, nulloque fidei vinculo cuipiam adstringeretur, Annibal pro Status, ac Regnorum suorum stabilimento pecuniarum elargitione, Regni ne parvi quidem pollicitatione, militum utriusque ordinis copia, & honore quàm maximo generum Scipionem ad se se omni cura, studio, & diligentia revocare procurabat; quibus rebus, magnanimus Imperator, qui facilè fortunam contemnit, animum nunquam adjecit, perseverans in ea re, quam animo institutam maximè habebat. Ea erat hujusmodi. Si tantùm, Illustrissimo Venetorum Principi, ac Senatui sibi parendùm foret: si pro qualitate militiæ, quam ipse perstrenuam habebat, & copiosam, sibi stipendio provideretur: si solutus Imperator novum hosti bellum in quamvis regionem indiceret; se nunquam ab eorum non solùm stipendio, sed ne fide quidem discessurum.

Dum hæc aguntur, multa hinc, atque inde concurrunt. Robertus de Sancto Severino Annibalis nepos oppidum Orianum ex Brixiensi agro non solum diripuit, verumetiam incendio consumpsit. Hujus milites dum Comezanum agmine peterent, rati id oppidum depopulari; Pazalias dux peditum sexcentorum invasit, coëgitque infeliciter terga vertere. Immo fortiter parum certare, captis septem & quadraginta militibus, quos omnes, equis, ac spoliis penè donatos militari consuetudine liberavit, etsi eo tempore solutus ab Illustrissimo Venetorum Principe de novi stipendii conditione contenderet.

Gentilis exercitus gubernator Manerbiam ex Brixiensi oppidum, quod superiori tempore ad Annibalem confugerat, obsidione subita circumdedit; Manerbienses verò non finè multorum militum cæde in deditionem Venetorum devenere, Gentile apud humerum sagittâ sauciato, qua plaga post pauculos dies animam exalavit. Hujus mortem Senatus quàm familiariter flevit, ac molestè tulit; erat enim dux maximâ erga Senatum fide, & observantia singulari.

Interea Venetorum Legatus, qui apud Lunadum semper aderat Scipioni, ut ejus animum ad vota Senatus devolveret; magna quidem pollicitus est, cum in usum militum, quos habebat, tum & in primis futura Regni spe; id perpaucis ejus sententiæ persuasoribus cognitum est; etsi inter milites varia esset mens, variaque rerum futurarum sententia; rationibus enim satis idoneis rem suam quisque confirmabat. Tandem inter Legatum, & Scipionem conventum est. Hanc Serenitas tua conditionem sine controversia confirmavit. Legatus propter Gentilis obitum sese ad Senatum confert.

Brocardus Comes Persicus secum, ut de meliori conditione Scipionis propter Gentilis obitum ageretur: Antonius Pisaureus, vir maxima auctoritate, & summa fide erga Scipionem cum pecuniis stipendiariis XVIII. Kal. Majas ad Scipionem præmittitur. Ad quem Legati duo Lunadum veniunt, Jacobus Antonius Marcellus, & Pascalis Maripetro, viri quidem in Senatu summâ sapientiâ, incredibili auctoritate, singulari agendis in rebus diligentia, & in eorum Legationibus fortunatissimi. Hi, dum cœna parabatur, in cellulam quandam cum Scipione ingressi sunt, cùm & ego adessem, & pauci admodum familiares. Hìc adventus sui causas, Pascalis natu major in hanc sententiam coram explicuit.

ORATIO LEGATORUM.

„ ILlustrissimus Princeps noster, & universus Venetorum Senatus salutem plurimam „ dicunt Scipioni Imperatori. Quæcumque „ agitata sunt à Legato nostro tecum, inclyte „ Imperator, nos (nam ego pro hoc jure „ meo loquor) ex Serenissimo Principe, & „ universo Venetorum Senatu inviolabili quodam vinculo confirmamus; quibus pari po„ testate demandatum est, ut te omnibus Du„ cibus, Conductoribus, Cyliarchis, Centu„ rionibus, & ex omni ordine militibus, quin „ etiam universis Regnorum nostrorum popu„ lis Gubernatorem, & universi exercitus Illu„ strissimi dominii Imperatorem clara voce de„ claremus. Pollicentes, quicquid honori tuo, „ & gloriæ, quicquid usui esse possit, pecu„ niam, regna, favorem, & potentiam: qui„ bus rebus pro jure suo amplissimam dignita„ tem tuam uti volumus. Ad hæc nos exerci„ tus tui Legatos venisse significamus, hac le„ ge, ut omnia, quæ Scipio Imperator jusse„ rit, nos non minus diligenter, quàm liben„ ter exequamur, nihilque dignitati tuæ de„ fieri patiamur ad rerum omnium supplemen„ ta, quæ tam castris, quàm militibus neces„ saria esse solent. Postremum est, ut ea, „ quæ fieri velit, imperii tui amplitudo mandet „ post hac tam stipendiariis cujusvis ordinis, „ quàm Legatis ipsis, omnia pro virili execu„ turis.

Hìc inter paucos, qui aderamus, primùm lætitia ingens exorta est; mox Scipio Imperator sapientissimus non inferiori oratione, præposita à Legato omnia memoriter replicans in hæc verba respondit:

„ Ego, Magnifici Legati, & Patres præ„ stantissimi, vos huc adventasse incolumes „ gaudeo plurimum. Quòd autem ex Serenis„ simo Principe, ex amplissimoque Senatu ve„ stro me tanto munere, ac summa imperii „ dignitate decoratis, immortales illis, ac vo„ bis habeo gratias, agoque; illud tamen vos „ scire præcupio, quæcumque fuerint in ho„ norem, & gloriam, inque vestri imperii usum, „ & amplificationem, etiam cum capitis sui „ discrimine dicturum, facturumque omnia „ Scipionem. Ad quam rem immortales Deos „ adjuturos spero; nam si cætera mihi dees„ sent;

Digitized by Google

„ sent; tamen singularem diligentiam, summamque fidem nunquam Scipioni defuturam „ intelligetis.

Postero die Legati præsidio Scipionis, Brixiam profecti sunt, ut Ducibus, & ex omni ordine stipendiariis, ex providentia Serenissimi Principis, & Senatus amplissimi Scipionem Imperatorem designatum literis suis significent; utque de Imperiali sceptro illi consignando diem dicant, deque movendo propediem exercitu nullus ignoret. Denique, ut qui stipendia acceperant, eos parare arma, equos, & impedimenta moneant, ut ab Imperatore vocati prodire in expeditionem queant.

Sassus Eugubinus alioquin miles perstrenuus, pecunia, & honoris pollicitatione corrumpitur; præsensit enim profugium ejus Annibal in re sua diligentissimus Imperator. Sassum capi mandat, eumque in carcere, & catenis astringi. Quod factum etiam ab hostibus laudatum est, quandoquidem familiares ejus Principis milites profugere cohortabatur, qui eum præfecturâ domesticâ decoraverat; unde etiam optimam conditionem sperabat, Scipio pecunias viritim distribuit; dat militibus commeatum, tum pro equis inveniendis, tum etiam ut opportunè rebus necessariis subvenire possint.

Annibal interea stipendiariis suis vel mediocriter providet; deerat enim illi pecunia, per quam universo ejus exercitui subveniret. Tibertus Brandolinus, Dux quidem magno animo, & militari scientia præditus, cum Annibale accipit conditionem. Is in subsidium Principis Mantuani missus est contra inclytum Ducem Karolum Gonzagam, cui ex Senatus consulto, exque Scipionis Imperatoris confirmatione delegata erat regio Veronensis. Unde cum XX. cohortibus, & magnâ peditum copiâ fratri bellum inferret: apud Hostiam agri Mantuani oppidum, octo & decem laqueo suspensi sunt, qui deditionis simulatione Karolum Ducem fratri planè prodebant. Princeps Mantuanus collectis suis cohortibus, Tiberto socio in Bastiam Veronensem paludibus cinctam ænea tormenta posuit. Tandem vi cepit. Karolus Dux hostem petere cum omni manu sociorum instituit. Occurrit ei structis aciebus frater, & oppidanorum copiis, quas Tibertus stipendiariis suis adjunctas ordine militari regebat. Certatur utrinque non instrenuè. Mantuani nunc victi cedunt, nunc addito acierum subsidio hostem victores insequuntur. Subcenturiantur postremæ cohortes primis; pugnatur utrinque viriliter, & marte incerto; tandem ob peditum copiam, quæ cum Tiberto de repente ingruit, terga dare Veronenses coguntur, quoniam eorum equi hastis peditum omnes ferè eviscerabantur. Quam quidem ob rem Dux Karolus duplici vulnere sauciatus, equi vestigia in fugam convertit; Ludovicus Malvetius equo hastâ vulnerato, ubi fortiter manum cum hoste conseruit; post victos Ductores alios sua se se virtute solus in tuta loca reduxit. Hìc plures, & præclari Duces, ac Præfecti capti sunt. Johannes Comite, Sanctus Gavardensis, Jacominus Turella, Herichetus, Baptista Grossus, Cimarostus, & Georgius Atheniensis, qui in eo prælio perquam fortiter cum hoste pugnavit. Hi omnes detenti sunt. Cæteri verò milites omnis ordinis, ereptis omnibus armorum generibus, liberati; ea est enim militaris consuetudo, ut cùm vexilla in prælio Duces amittunt, victi milites, & armis, & rebus cæteris spolientur, quin etiam Duces, ac Præfecti ad finem usque belli detineantur.

Interea dispersi hinc inde milites Scipionis, muniti equis, rebusque necessariis in unum coguntur. Marianus Aretinus, qui superiori anno ab exercitu Gentilis gubernatoris ad Annibalem transierat, ab equitibus Cæsaris Martinengi ducis jam veterani captus est; is effugii pœnas dedit, nam qui crebris equitatibus ex Oppido Carpineto discedens omnem agrum Brixiensem excurrebat, apud arcem ejusdem Urbis cum continuo mortis discrimine in carcere detentus est.

Postea verò quàm à militibus parata sunt omnia, quæ ad usum castrorum esse possunt, Scipio Imperator Lunado discedens cum Legatis, & Ducibus ferè omnibus, qui sub ejus ditione militabant, principio versus Montem-Clarum, deinde Quinzanum versùs, XVII. Kal. Majas magna cum tempestate pluviarum tetendit; quod ignorante Annibale, subita obsidione circumsedit; Quinzanenses illico ad ineundam pugnam cum stipendiariis, quos pro tutela loci habebant, magno cum clamore prosiliunt. Conserunt utrinque manus. Permulti utrinque decumbunt, quamplurimi vulnerantur; tandem pugna eo die direpta est; postridie verò ænea tormenta ad dejiciendos Oppidi muros opponuntur; murali enim pugna ob loci difficultatem Oppidum expugnari non poterat. Erat enim terreo quodam tumulo sublatum, & aquosis fossis circumcinctum, ut ne ipsa quidem fortuna pugnatoribus ipsis sine industria aspirare posset. Ergo tormentis pars murorum dejicitur; postero verò die omnis generis stipendiarii ad expugnandum Oppidum, ea parte, qua paries dejectus est, læta voce, ac favore Imperatoris concurrunt. Hìc crudelis pugna conseritur, hìc virtutem suam, & animi magnitudinem quisque miles Scipionis ostendit. Parte alia Sfortiani mori malunt, quàm hosti cedere, aut in deditionem venire. Quid te, Illustrissime Princeps, verbis moror? Bracchiani spe direptionis, ac prædæ inflammati, superant fossas, armati muros ascendunt, mortis pericula contemnentes. Sfortiani verò spe muneris, & gloriæ vitam volunt pro laude pacisci. Quinzanenses metu trepidare, inque deditionem venire cupiebant, proditis Imperatoris stipendiariis. Quod cùm vili, abjectoque animo temptarent, inter paciscendum pudore affecti Bracchiani iterum muros invadunt, tanto animo, ut Oppidum invitis stipendiariis expugnarent, ac diriperent, captis, spoliatisque omnibus, qui aderant, quos præter militarem consuetudinem Scipio munificentissimus his verbis liberos esse voluit:

„ Ite, egregii milites, virtutem militum „ nostrorum experti, Imperatorique vestro „ Annibali diligenter nunciate, Scipionem „ brevì cum illo certaturum; exercitum co„ gat, armis adcingatur, & damna vestra „ compenset. Quos certè scio in manus no„ stras iterum, atque iterum, diis fautoribus, „ perventuros. „ Illi gratias agentes Annibalem petunt.

Undecimo Kal. Majas eo die, qui Marti dedicatus est, Sceptrum Imperatoriæ dignitatis, & fœlicissimum Divi Marci vexillum, præsentibus Ducibus, cumque acclamatione, & favore omnium cujusvis ordinis militum, orante facundissimo, ac Patricio viro Hieronymo Barbadico, quem pro singulari ejus sapientia Serenissimus Princeps ex Senatusconsulto in exercitu Legatum tertium instituisti, ex Collegarum

Digitized by Google

rum consensu Scipioni consignatum est. Digna quidem mihi visa res est, gravissimam, & luculentissimam Legati orationem non præterire silentio, ut eloquentia tanti viri, & gravitas cognita posteritati esse possit. Quod certè scio Serenitati tuæ, & Senatui amplissimo fore gratissimum. Is medius inter Collegas, Pascalem Maripetrum, & Jacobum Antonium Marcellum, viros Patricii ordinis præstantissimos, summa in Senatu auctoritate, & fide, atque in legationibus exercituum felicissimos coram in hanc sententiam exorsus est:

ORATIO LEGATI.

„ SPectata fides, vitæque tuæ modestia, Scipio Dux Illustrissime, scientia militaris, & auctoritas, sapientia, & animi tui præstantia Serenissimum Principem, & Sapientissimum Senatum nostrum commonefecere, ut te honore amplissimo, & imperiali munere decorarent. Quam quidem ob rem, quasi deditâ operâ cum omnibus patriciorum suffragiis, cumque maximo populi favore Consul in comiciis, & Imperator designatus es. Tua igitur jam in potestate est, Exercitum nostrum regere, tueri populos, hosti potentissimo occurrere, & imperium Venetorum augere cum honore tuo maximo, & gloria sempiterna. Sunt, diis gratia, nobis clarissimi Duces, perstrenui Ductores, & egregii cujusvis ordinis milites veterani. Sunt arma, sunt cetera supplementa castrorum. Et quod maximi existimatur, pecunia, qua sola omne ferè bellum decernitur; hæc omnia sub tua ditione, subque tuo Imperio esse volumus. Quod ut omnes intelligant: principio hoc tibi Sceptrum Imperiale in gubernationis signum consignamus; deinde victoriosissimum Divi Marci vexillum tradimus, cujus favore maximo fretus, gloriam tibi, & honorem vendices cum amplificatione nostri Imperii, memoriâ hominum sempiternâ. „ Ad quem ex Scipionis Imperio nos inferiori oratione respondimus.

Responsio pro Scipione Picinino per Porcellium Poëtam.

„ SI pro summa Serenissimi Principis, & Illustrissimi Senatus vestri sapientia, & consilii magnitudine, si pro beneficiorum dignitate Legati, & Magistratus illustres in tanto clarissimorum Ducum, & magnificorum hominum cœtu, tantâ Patrum amplissimorum frequentiâ, tamque crebra strenuorum militum, & populi expectatione, ea velim differere, quæ communi judicio, & omnium sententiâ comprobantur, rem sanè incredibilem viribus meis imparem, & oratoris officio perdifficilem pollicerer; cùm præsertim nulla unquam tanta dicendi vis, nullum tam egregium, tamque perspicax, & acutum ingenium esse possit, quod de hujusmodi rebus dignè satis dicere profiteretur. Jam videre videor duram mihi provinciam accepisse, cùm mihi ipse coram habere Orationem persuasi, & locum hunc amplissimum, qui esset præstantissimis Oratoribus longè convenientior, usurpavi; sed morem gerere volui inclyto vestri fortissimi Exercitus Imperatori, qui cùm pro maxima benivolentia, & caritate erga me sua, tum & in primis pro mea in eum incredibili observantia, & fide, voluit hodierno die hoc me munere, & immortali beneficio decorare. Sed dicet fortasse quispiam, unde tibi principium sumpseris? quæ quibus antefeceres? Testor immortales Deos, præstantissimi Viri, me non tam laudum, & rerum bene gestarum copiam, quàm modum in dicendo majori cum difficultate quæsivisse. Dicam igitur primùm de divino Principis, & Senatorii Ordinis consilio, ac sapientia singulari. Mox de liberalitate, & beneficiorum dignitate strictim differam. Postremum est, ut ex fœlicissimo Principe Exercitus vestri Jacobo Picinino, quem in commentariis, quos suo nomine perscripsi, jure optimo Scipionem appellavi, immortales Serenissimo Principi, ac Senatui habeam, agamque gratias; quibus rebus breviter, & absolutè expeditis finem dicendi faciam.

„ Cùm innumerabilia penè sint Illustrissimæ Civitatis vestræ, non rerum modò benè gestarum, sed virtutum maximarum præconia; profectò illa mihi videtur esse præstabilior, illaque optimo Imperio longè melior, quæ maximè naturam humanam attingit. Hanc Philosophi vel prudentiam, vel sapientiam vocant; propterea quòd in veri perspicientia, & cognitione consistit.

„ Laudamus magnopere Illustrissimi Principis, & amplissimi Senatus vestri justitiam, qua hominum inter homines societas continetur; ea est enim, quæ tribuit unicuique pro dignitate cujusque, quare vestrum Imperium in longa pace, & tranquillitate conservatis.

„ Fortitudinem in cœlum usque efferimus, justitiæ propugnatricem, propterea quòd pericula subit omnia, labores tolerat, pugnat pro Republica, & fortunam contemnit. Quibus rebus Regum vestrum longè, latèque dilatatum perspicimus.

„ Temperantiam vehementer commendamus, in qua est ordo, modusque rerum; quapropter nihil foris, nihilque domi Illustrissimo Venetorum Imperio deesse potest ad benè, beatèque vivendum.

„ Accedunt ad hæc Misericordia, & Pietas, quibus diis immortalibus pene pares estis. Ceteras autem virtutes, quàm maximi existimamus, quas in amplissimo Senatu vestro accumulatissimas esse, nemo inficiari potest; sed nulla, ut ante dixi, pluris, quàm Prudentia, existimanda est; ea est enim virtutum ceterarum parens; ea est regina, & domina, cujus patrocinio tuti, cujus usu ornati, atque illustres sumus. Quæ si absit, nihil justè, nihil fortiter, nihilque moderatè fieri potest. Hanc in Serenissimo Principe vestro, hanc in Senatu amplissimo præcipuam esse, omnium est sententia. Haberem plurimarum rerum exempla, quibus ea res quàm facillimè probaretur; sed

„ *Ante diem clauso componet vesper Olympo.*

„ Erimus igitur hoc uno contenti, de Imperatore in hostem acerrimum, & Imperio vestro inimicissimum in re tam periculosa deligendo, Jacobo Picinino, scilicet Scipione novo, quem, pace aliorum dixerim, audeo ceteris hujus ævi Ducibus non æquare modò, sed anteponere, nec solum animi excellentiâ, & rerum id ætatis benè gestarum gloriâ; verùm etiam virtute, modestia, auctoritate, & fide. Quod in Quinzanen-

„ ses,

„ ses, quorum Oppidum externo die vi expu-
„ gnavit, diripuit, ac militibus in prædam
„ dedit, mira animi præstantia comprobavit.
„ Sed quid tam mirum! Patrem suum N. (Ni-
„ colaum) Picininum, Ducum, Imperatorum-
„ que omnium clarissimum hereditario jure
„ refert. Quem ne Romanis quidem Impera-
„ toribus vel vitæ integritate, & sinceritate
„ fidei, vel militari scientia, & auctoritate,
„ vel animi magnitudine, & rebus bene gestis
„ inferiorem dixerim. Qui plura bella, parva
„ manu confecit, quàm ceteri Duces legerint.
„ Plures Urbes, & indomitos populos subju-
„ gavit, quàm ceteri viderint. Qui cùm ab
„ aliis vinci non potuerit, seipsum clarioribus
„ gestis facilè superabat; sed de Patris divi-
„ nitate, aliàs. Nunc redeo ad Scipionem,
„ de cujus vita, quoniam ociosi sumus, pau-
„ cula differamus. Est enim in eo Imperatore
„ virtus quædam irrequieta, invincibilis ani-
„ mus, pudet certantem, hosti inferiorem
„ esse, aut parem, victoriâ inceditur, & in
„ flammatur, armatus ira, & furore terribi-
„ lis, in pace mitis naturâ est, liberalis, ju-
„ stus, facilis, perhumanus, & clemens, stu-
„ diis literarum studiosus indulget; ingeniis
„ favet, inediæ, caloris, ac frigoris patien-
„ tissimus, laborum tolerantissimus, ut nemo
„ magis; pericula intrepidè, ac prudenter sub-
„ it, nihil inconsultò agit, quod ab aliis cor-
„ ripi jure possit, & quod optimum semper
„ ego judicavi, fortunam utramque contemnit,
„ cujus casus virtute inferiores putat.

„ Hæc Serenissimo Principi, ac Sapien
„ tissimo Senatus Consilio fuisse ante cognita,
„ & in consultatione ante oculos tot illustrium
„ Virorum posita, semper existimavi. Quare
„ jure optimo, Scipio Picininus in re tam gra-
„ vi, ac periculosa cum omnibus populi, &
„ Patriciorum Virorum suffragiis, ex Senatus
„ consulto, clara voce Consul, & fortissimi
„ Exercitus Imperator designatus est. Hanc
„ equidem Illustrissimi Principis, & Sapientis-
„ simi Senatus deliberationem, in hunc usque
„ diem, eò dilatam opinor, ne in tanto Sce-
„ ptri munere, tantaque felicissimi Vexilli
„ Divi Marci auctoritate, ac tam amplissimo
„ Imperatoris honore, & gloria defuisse
„ quippiam ex altera parte videretur. Non
„ religionis solemnitas, non luculentissima
„ oratio, non clarissimorum Ducum, & uni-
„ versi Exercitus præsentia, non Magistratuum
„ dignissimorum conspectus, non denique in-
„ numerabilium populorum expectatio cum
„ pompa quadam triumphali, cumque favore
„ omnis ordinis, omnisque ætatis hominum
„ cum plausu, ovatione, & lætitia; sed cùm
„ essent hæc omnia paratu regio, sumptu ma-
„ gnificentissimo, & rerum omnium copiâ li-
„ beralissimè subministrata: ita enim viros be-
„ ne de se meritos vestra Civitas potentissima
„ miris ornat honoribus, & mortuos decorat
„ sepultura. Nihil tamen meâ sententiâ fuit
„ inclyto Imperatori convenientius, nihilque
„ gloriosum magis, quàm eorum auctoritas,
„ qui ejus dignitatem, ex Serenissimo Princi-
„ pe, & Senatusconsulto, tam insigni munere,
„ & imperiali auctoritate decoraret. Tres Pa-
„ tricii ex ordine Senatorio Viri præstantissi-
„ mi, Pascalis Maripetrus, Jacobus Antonius
„ Marcellus, & Hieronymus Barbadicus, de
„ quorum singulari virtute, & modestia in-
„ credibili, sapientia, & consilii magnitudine,
„ ac Majorum amplitudine, nobilitate, & san-
„ guine in novis Commentariis latiùs differen-
„ dum reservavi.

„ Isti te clarissimi Legati, o Scipio Prin-
„ ceps fortissimi Exercitus Venetorum, non
„ solùm publico munere, & Imperiali aucto-
„ ritate donaverunt, verùm etiam pollicitatio-
„ ne ad majora quædam mira cum Patris tui
„ divini Imperatoris laude in hanc sententiam
„ ad expeditionem, & celeritatem rerum ge-
„ rendarum, his versibus nomine Senatus co-
„ hortati sunt:

Surge age Picinine, Ducum fortissime; sola
Spes Venetûm, Martisque parens: nunc arte, tuaque
Militia, atque animis opus est: nunc pectore forti,
Quale fuit profugo sublata ob Signa Camillo.
Quæ retulit cæsis horrenda in prælia Gallis,
Ingens Sforcigenâ bellum cum gente gerendum,
Scipio bellipotens, & nostri gloria sæcli.
O decus armorum, spes o fidissima nostri
Imperii, bello subigi patiere potentis
Urbis opes: patiere novo servire tyranno?
Et tua Sforcigenas tolerabunt tempora leges?
Est mihi nunc animus pro me, pro jure meorum
Oppetere, aut acri patriam defendere bello.
Nunc te per Superos, & honoris conscia nostri
Numina, perque fidem, cujus certissimus Auctor,
Perque patris oro diverso ex hoste triumphos;
Arma cape intrepidus, & me tuere sub armis.
Surge, age, namque potes, cape justi insignia belli.
Et Duce te coëant acies, & Signa sequantur.
Surge, age, & indomitum propelle è finibus hostem;
Dedecus hoc nequeat nostris annalibus addi,
Meque tibi, natisque tuis, natisque tuorum,
Et gratum officii, & memorem per secula dices.

„ Scipio Picininus Imperator vestri poten-
„ tissimi Exercitus agens primùm pro suscepti
„ muneris beneficio immortales Illustrissimo
„ Principi, ac Senatui, populoque potentissi-
„ mo gratias, vobis clarissimis Legatis, & Ma-
„ gistratibus oratione mea suam omnem ope-
„ ram, diligentiam, auctoritatem, & fidem
„ integerrimam pro virili sua liberalissimè pol-
„ licetur. Imò facultates, corpusque suum,
„ & animam, qua nihil esse debet homini ca-
„ rius, nihilque gratum magis. Is enim ita
„ rem suam instituit in omnibus rebus agen-
„ dis, vestra frui quàm maxima auctoritate,
„ consilii magnitudine, & sapientia singulari;
„ unde spes est, indubitatam vobis victoriam,
„ & sibi nominis immortalitatem vendicare.
„ Quod autem ad rem attinet, hoc carmen
„ accipite:

Gaudeo, si quicquam, Veneto Censore Senatu,
Confeci, quo me tali dignetur honore.
Nunc majore fide complexus, ut arma capessam
Et Duce me coëant acies, Martemque lacessant.
Edicit, contraque jubet ferre arma tyrannum.
Quis sua dicta neget? vel quis mandata recuset?
Jussa sequar quæcunque dabit, si me ire per acres
Teucrorum Populos jubeat: si me ire per Indos:
Perque Gethas, si me Lybicos superare leones,
Hyrcanasque tigres, si me dare vela jubebit,
Et Sillam, & Sirtim, & rabidam tranare Caribdim:
Hanc animam vobis, Veneti, à juvenilibus annis
Devoveo, excipiam per mille pericula mortis
Quicquid id est, seu pacis erit, seu fulmina belli,
Imperitare tuum est; ego jussa libensque volensq;
Accipio; imperiisque tuis parêre necesse est.

„ Hæc

Digitized by Google

„ Hæc cum ſalute Reipublicæ Venetorum, „ & amplificatione imperii, & Scipione Imperatore, cui hanc de potentiſſimo hoſte victoriam reſervatam ſpero, in laudem, & gloriam Sanctæ & individuæ Trinitatis differuerim. Plaudite.

Scipio Quinzanum trecentis peditibus, & rebus neceſſariis munit. Moxque in Pontemvicum profectus eſt, atque Oppidum cinxit obſidione ultra citraque amnem Olium; Etenim cymbis, & aſſeribus pontem conſtruxerat, ut & Oppido nemo ſuccurreret, & ſui milites Cremonenſem agrum facilè offenderent, quandoquidem nondum ejus Exercitum Annibal coëgerat. Quare oportebat ejus loci tutores in deditionem venire. Quod cùm facere negarent, A Scipio militibus ſuis Oppidum in prædam dedit. Qua voce audita, ad certamen veniunt Bracchiani; at ea parte, qua tormenta, fortis baleares, & machinæ partem turris dejecerant, Oppidum aggreſſi ſunt. Quod etſi eſſet omnium judicio inexpugnabile, propterea quòd foſſis profundiſſimis, & amne Olio ex altera parte cingebatur, ubi etiam amnis erat; per quem baſtitâ alterius ripæ Oppido quàm facillimè ſuccurrebatur, tamen Bracchianorum magnanimitate expugnatur, ac vi diripitur; in cujus expugnationem ſi quamplurimi utrinque vulnere confoſſi, ac cæſi ſunt; tamen Zachaninus domeſticus Scipionis miles muralem coronam jure optimo meritus eſt.

LIBER PRIMUS EXPLICIT.

SECUNDUS INCIPIT.

POſtea quàm intellexit Annibal, non modò Quinzanum, ac Pontem-vicum veniſſe in Venetorum poteſtatem, verùm etiam nonnulla ex Cremonenſi agro Oppida, ex ejus imperio defeciſſe, utrumque moleſtè ferens, collectis tribus centum cohortibus, ac peditibus quingentis Sinigum ivit. Quod Oppidum ab eo ſanè defeciſſet, niſi fretus quàm maxima celeritate adventaſſet. Moverat enim Scipio exercitum, & Sinigum versùs feſtinabat; ſed cùm adveniſſe ei Oppido ſubſidium, Annibale viſo, cognovit, reflexit illico acies, & caſtra ejus apud Pontemvicum locavit. Creſcebat interea utriuſque Imperatoris exercitus; Karolus Dux Muntonis Comes, qui ſuperiori tempore bello Cremano præfuit, ducentis & mille equis auxit exercitum Scipionis.

Quinto Idus Junias Annibal dimiſſo apud Sinigum Exercitu, Cremonam petit, ut argentum cudat ad cogendos ſtipendiarios; erat enim opus ei Principi magnâ pecuniâ ad alendum Exercitum, cùm eſſent ſub ejus ſtipendio quatuor & viginti millia equorum, peditum verò tria millia; cùm in exercitu Scipionis triginta millia ſtipendiarii utriuſque ordinis militent, Annibal ſeſe magna facturum brevì pollicebatur. Quibus verbis & milites, & populos ad patientiam cohortabatur. Tibertus Dux, qui ſuperioribus diebus ad Annibalem venerat, agrum Brixienſem excurrit, tameſi parum profecerit; poſtero die ad ſecundum lapidem prope caſtra Scipionis Marchianos ad pugnam provocavit. Tum Scipio, cujus favore Tibertus jam dudum honorem ſibi vendicarat, & gloriam militarem; *non eſt*, inquit, *tunc pugnandi tempus, cùm ab hoſte provocamur; ſed Tibertum certè ſcio, non tam libenter ſine Scipionis ſubſidio dimicaturum, in quo ſperare nullo modo amplius poteſt; nos cùm primùm arma expediverimus, non dubito, Tibertum Annibalis caſtra repetiturum*. Hæc Scipio ſuaviſſimus penè ſubridens; deinde accitis clam duobus magnanimis Ducibus, Corneo, & Capuano; *hodie volo*, inquit, *quali animo ſint hoſtes experiamini. Ite, accingamini armis, & Sinigum versùs acies veſtras dirigite; hoſtem ad pugnam provocate, ego ad ſuccenturiandum non deero*. Idemque Johannem Antonium Gattæmelatæ filium, & animo præſtantiſſimo adoleſcentem cum Bertholdo animo non inferiori præ- B dito, facere cum ſuis cohortibus, quas habebant tres & decem, imperat. Omnes illico Scipionis imperio paruere, ſtructiſque octo & decem cohortibus, ac peditum quatuor millibus in nemore quodam, quod erat inter Sinigum, & Pontemvicum, nam quinque millibus paſſuum diſtabant, omnes conduntur, ut per inſidias hoſtis alliceretur, præmiſſis equitibus levioribus ſexaginta, qui hoſtem provocarent, Subſequitur Scipio, Rangono Duce in rei militaris ſcientia peritiſſimo, & paucis domeſticis comitatus. Ego verò numquam ab Imperatoris latere diſcedebam, quem duæ acies, altera domeſticorum militum, altera Gallupporum ſequebantur. Principio provocantur Sfortiani. C Vidit nemo excurrentes uſque ad cancellos, & Sinigi vallum: ſenſit Sfortianorum nemo. Tandem ſonitu tubarum noſtrarum exciti, vix arma ſumpſerunt, & ſuper vallo aſtantes, tanquam Æthnei gigantes navigantem Æneam Bracchianos milites aſpiciebant. Qua ratione id fecerint, certum neſcimus, vel ſecordia, & animorum abjectione, vel ut Annibalis imperio parêrent, quod non ſervare capitale eſt, vel quòd inſidias ſibi paratas cognoviſſent; nemo unquam obices, nemo cancellos egreſſus eſt. Quapropter, revocatis Corneo, & Capuano, quibus ea res demandata fuerat, cum cæteris Ducibus, omniſque ordinis militibus, Pontemvicum, & caſtra Scipionis repetivimus. D Meâ quidem ſententiâ, ſi expeditiori celeritate uſi fuiſſent primi excurrentes, poteramus intra vallum, inque Sinigi Suburbiis cum hoſte dimicare, & quantum ratio ſuadebat, eo die Annibalis caſtra diripere. Quod fuiſſet belli hujus finis. Sed optima Imperatoris inventio fuit negligentiâ militum malè diſpoſita.

Corneus III. Idus Junias in pabulatores, qui in agrum Oppidi Alfianelli venerant, profectus eſt; quibus invaſis, qui erant præſidio, milites ſubſidium præſtitere. Parte alia Brac- E chiani Corneo ſuccenturiati ſunt. Tibertus Bracchianos aggreditur cum cohortibus tribus, & ducentis peditibus; poſtulant noſtri ſubſidium. Tum Scipio movit acies, quas ſecum habebat, quinque & decem, ac peditum ferè duo millia. Quorum primo congreſſu pugnantium plurimi ſauciantur, at nonnulli decubuere, propterea quòd in inſidias, quas hoſtis paraverat, pervenere. At Scipio, (tanta eſt Imperatoris auctoritas), hoſtem etiam in inſidiis

diis

Digitized by Google

diis aggreſſus eſt. Tudiſchetus, cum Julianecto, domeſtici Scipionis milites, primi omnium in inſidiarum loco cum hoſte pugnarunt, adeò ut Sfortiani terga nudarent. Quibus ſuccenturiatus eſt Tibertus, qui propter adventum Scipionis ad foſſas, quas ſuperiori nocte pro ſua defenſione effodi fecerat, iterum atque iterum propulſus eſt. Tum Scipio: *Puerile*, inquit, *hoc eſt; ſi magnanimi ſunt, & fortes, ut haberi volunt, prodeant in latos campos Sfortiani*; ac revocatis omnibus utriuſque ordinis militibus: *experiamur*, ait, *ſi locum ſibi peropportunum, nobis verò non ſatis convenientem egredi volunt*. Cumque his verbis militiam ſuam in Oppidum uſque reflexit. Tunc cœpere hoſtes uſque ad tuta loca vagari. Riſit Imperator jocundiſſimus ad Karolum Muntonis Comitem, & ad eos, qui aderant Præfectos, & milites; deinde ait: *hoſtes noſtri ſimulacrum pugnæ cient: in malum ſanè cocularium incidimus. Tu ſequentes acies coge, ego in caſtra primas remittam, ut abeamus*. Sic læta fronte rationantes in caſtra regreſſi ſunt, etſi paulò poſt rumor eſſet, adventaſſe Annibalem, qui magnopere optaverat priori pugnæ interfuiſſe.

Eodem die Pollanus, & Albanenſis Præfecti cum Urſo Duce excurſionem in Oppidum Otholengum fecere, parum tamen feliciter; nam Albanenſis juxta oculum ſauciatus eſt, ſine præda reverſi ſunt. Capti ex noſtris milites duo, ex hoſtibus verò ablatis equis pabulatorum ſex.

Scipio, & Annibal ſumma auctoritate Imperatores, Exercitus eorum ſervant illæſos quantum queunt, nec quiſque virtutis ſuæ obliviſcitur. In ſolos pabulatores equitatus crebri ſiunt, ſola pabulatorum præſidia manus conferunt, perpaucis hinc inde captis, etſi glorioſa magis ſit Scipionis conditio, nam ad cancellos, & foveas caſtrorum Annibalis Bracchiani milites perſæpe excurrebant, atque hoſtem intrepidè ad pugnam provocabant.

Decimoſeptimo Kalend. Julias pugna acris apud Alfianellum, quod Oppidum erat in medio utriuſque Exercitus, facta eſt. Hic Gallupporum Scipionis manus fortiter dimicavit. Horum equi omnes pene eviſcerati ſunt. Hic versùs Urſinus, & Bertholdus Tadei Marchionis filius viriliter cum hoſte pugnaverunt. Hic tanta fuit animi præſtantia, tanta Scipionis auctoritas, ut Sfortianos numero longè plures in fugam converteret, etſi utrinque acri vulnere confoſſi forent quàm plurimi, ac multi cum ſanguine animas effudiſſent.

Quartodecimo Kal. Julias iterum ab omni Venetorum Exercitu in pabulatores itum eſt, pugnatumque contra præſidia, quæ ſimul cum pabulatoribus, foveæ tutelâ evaſerunt; captis ex hoſte militibus ſex, ex pabulatorum verò equis decem, ex Venetis quatuor equitibus levioribus. Ex hac pugna ingens lætitia inter Venetos exorta eſt. Arbitrabantur enim, Sfortiam ſecundum Annibalis filium ab Angelo Dirutano captum, cùm non ipſe, ſed ejus domeſticus, cui veſtem ſuam dederat, captus in caſtra deduceretur.

Cupiebant Imperatores caſtra aliò deducere, ſed antemurale quoddam apud Pontemvicum perficere erat animus Scipionis, ut Oppidum equitibus, pedite, & rebus neceſſariis munitum, Exercitu moto, relinqueret; poſtridie veniunt Legati ad Imperatorem, conſultantque de rebus agendis, deque movendis caſtris, cùm ibidem defectu pabulorum reſtari non poſſet.

Poſtero die Scipio, ut ſolebat, invadere præſidia pabulatorum inſtituit; quod negotium Corneo commiſit, & Capuano. Hoſtem cùm prima acie aggreditur Capuanus, & Equitibus expeditis. Sed cùm eſſent tres Sfortianorum cohortes, & non parva peditum copia, neceſſe fuit cum duabus cohortibus, quas ſecum habebat, & peditibus ferè ducentis, Capuano Corneum ſuccenturiari. Utrinque certatur egregiè. It Scipio cum Legatis viſere, quid agatur. Hunc decem acies ſequebantur, & mille ferè pedites, qui favore Scipionis freti, ita Venetis auxiliati ſunt, ut terga vertere Sfortiani cogerentur. Interea res Annibali nuntiata eſt: præmittit ſex & decem acies, ſuorum ſubſidio. Moxque accinctus armis, ſi qua deficerent, ſuccenturiaturus accedebat; quod poſteaquàm Scipio intellexit, principio pugnam diremit, ac milites utriuſque ordinis ſonu tubarum coëgit, atque Alfianellum versùs veniebat, cùm Sfortiani pedites clara voce Bracchianos ad pugnam vocant. Sequebantur paulatim inſtructæ acies, & nos jam tuta tenebamus. Tum Scipio noluit ab hoſte provocatus dimicare: *differamus*, inquit ad Legatos, *hanc pugnam in alium diem, quandoquidem nobis hodie, Diis gratia, bene ſucceſſit*. Erant enim capti pabulatorum equi ſeptuaginta, milites duo, ex Bracchianis autem nemo. In hac pugna Capuanus egregiè cum hoſte certavit. Bertholdus Tadei Marchionis filius non mediocrem laudem pugnando promeruit. Antonius Politus eo die viriliter cum hoſte certavit. Parte alia Scaramucectus, Jacobus Laudenſis, & Nicolaus Fabrianenſis magnam laudem in ea pugna meruerunt.

Nono Kal. Julias Ludovicus Princeps Mantuanus, & Tibertus agrum Veronenſem opprimebant, ac poſitis tormentis, Oppidum Belforte, quod erat in Veronenſi, & Oppidum Pluſforte, quod defecerat à Principe Mantuano, vi cepit, diripuit, ac ſolo adæquari juſſit, cùm nullum afferre poſſent illis ſubſidium ſex cohortes, & duæ peditum centuriæ, quas Pollono Duce Scipio ad auxiliandum præmiſerat; interea multæ equitum turmæ, & peditum copiæ in agrum Cremonenſem ultra Olium flumen per Pontiſvici pontem egreſſi excurrerunt. Harum aliqua cum ingenti præda reverſa eſt; aliqua manum cum hoſte, æquo Marte, conſeruit; alicujus pars non ſine ſanguine, ac ſtrage multorum ab Oppidanis capta eſt. Parte alia Sfortiani ad portas Brixienſes ferè excurrunt, alii Aporrezate cum magna armentorum præda, & captivis, Calviſanum, unde egreſſi fuerant, revertuntur. Interdum utraque pars hoſtium commeatus raptis bovibus invadebat. Quid verbis moror?

Omnes ſe prædæ accingunt, opibuſque futuris.

Sextum ex agro Cremonenſi Oppidum deficere ab Annibale, & ad fidem Venetorum confugere duorum dierum termino pepigit; quod cùm non ſervaſſet, Fuſtichectus, & Baptiſta Balzo cum centum equitibus, totidemque domeſticis militibus Scipionis in equitatu quodam ferè diripuerunt. Tandem non inde diſceſſit, quin multi utrinque vulnerati, ac cæſi forent. Illud tamen dignum memoriâ referam, quòd matrona quædam Fuſtichectum pugnantem ſuper ponte Oppidi per lora captum trahebat, quæ multis ab eo vulneribus confoſſa eſt; denique dum pons ſublevaretur, in foveam aqua plenam audax virago prolapſa eſt. Bracchiani verò ſalvâ armenti, ac gregis prædâ,

Digitized by Google

dâ : nullo capto inde discesserunt.

Hericus Mactus, miles quidem egregius, familiari ejus accusante, in profugii suspicionem venit; Scipio utrunque capi, & in carcerem trudi fecit. Negante deinde familiari natione Siculo, Dominum esse reum, Hericus liberatus est; qui familiari oculum dextrum eripuit, nares truncavit, aures abscidit, & dexteram amputavit; factum me hercle inhumanum, & crudele, cui rei ego libenter adfuisse noluissem, sed alia quadam pœna Siculum afficiendum existimabam.

Karolus Comes, Bracchii maximi Ducis filius, structis quinque cohortibus cum Urso Ursino, Duce quidem magnanimo, & Roberto Atheniensi, cum peditibus quingentis, quibus præerat, ad cancellos usque Pavoni Brixiensis agri Oppidi excurrunt, & armenta ex antemurali, ne parvo quidem numero rapiunt; quod factum posteaquam Sfortiani milites sensere, qui erant apud Prabuinum, quod Oppidum duobus millibus passuum inde distabat, Pavonensibus subsidium ferunt, prædam primo congressu vendicant. Bracchiani verò rubore affecti, ereptæ prædæ gratiâ mori malunt, quàm rem partam amittere, & gloriam; ergo conserunt manus. Hìc pugna acerrima, Marte dubio, orta est, nunc victis, nunc victoribus Bracchianis; sed cùm ad extremum vestigia verterent, progressi Melonum amnem, frontem ad hostes convertunt. Hìc acriùs dimicatur. Tandem copiæ Sfortianorum fugatæ sunt, captis militibus sex & decem, ex Bracchianis tribus equis; hinc inde pluribus eviсceratis, uno ex hostibus cæso, ac vulneratis ab utraque parte quàm plurimis.

Scipio cum Legatis sapientissimis plures dies consiliis indulserunt, de rebus agendis dijudicantes, utiliùs esse castra commutare, cùm jam Ponsvicus Oppidum vallo fortissimo, & antemurali munitum foret, tricentis peditibus pro loci tutela dimissis; sed grande facinus ante facere excogitavit, tanta est animi Scipionis excellentia; nam VIII. Idus Julias Annibalis castra vi superare, diripere, ac tandem exurere instituit; solis Legatis consilium aperit, quod cùm satis verisimile videretur, laudata mirificè providentia Imperatoris. Id fuit ejusmodi: Scipio vesperi post cœnam, jubet omnes exercitus Duces, omnes Cyliarchas, & Centuriones, armis accingi, nec causam cuipiam aperit. Ignem tectum in vasulis inter domesticos ejus distribuit. Vocatis deinde Ducibus, luculentissima, brevique oratione omnes hortatur, omnes admonet, se ea nocte huic bello finem, Deorum auxilio, impositurum: *Hostem*, inquit, *incautum offendemus, cujus castra ingredi, diripere, & incendio consumere, nihil est, quod prohibeat nobis; omnes hostium milites, omnes Duces captos habebimus, & ipsum quidem Annibalem, si volet fortuna omnipotens, capiemus: tabernacula nostra, spoliis hostium, ac manubiis repleta erunt omnia. Si hoc consilium Annibal præsentisceret, & adventum nostrum, accinctus armis expectaret; invademus nihilominus omnem ejus militiam, quandoquidem sumus & equite, & pedite fortiores. Scimus enim invasos, pene semisepultos esse; quare lætis auspiciis, si placet consilium, hostem petamus.* Perplacuit Ducibus hæc sententia, ac spem fronte ostendentes: *sequamur quò nos ire jubet Scipio*, conclamaverunt. Principio sex & triginta cohortes instructæ, jussæque iter arripuerunt, ex duabus & quinquaginta, quæ in castris tunc aderant, præmissis peditibus expeditis quinque ferè millibus, sagittariis mille, scoppetteriis, & funditoribus quingentis, ac seorsum illis, qui ignes in castra jacerent. Eunt per Pontem supra Olium amnem, & cum Scipione unà Vir ille sapientissimus, ac loco, & tempore festivissimus, alter Legatorum Jacobus Antonius Marcellus, quem benignitate, rerum conficiendarum celeritate, & fide maxima nemini Venetorum secundum jure optimo dixerim. Alter verò natu major ad castra tegenda cum parte Exercitus restitit, Pascalis Maripetrus, quem gravitate, sapientia, vitæ integritate, & justitia audeo præstantissimum dicere. Res ad Annibalem illico delata est; instruit milites omnis ordinis Imperator sagacissimus, pedites, & sagittarios per loca sua disponit, & ducit extra cancellos acies sex, ex octo & quadraginta, quas tunc secum habebat. Ipse, armis perlucentibus circumfusus, expectat hostis adventum, cujus voces jam facilè audiri poterant, propterea quòd & rectum iter perdiderant, & ad sociorum clamorem omnes reducebantur. Quod fuerat Scipioni ac Legato, qui semper assistebat Imperatori, molestissimum, adeòque, si licuisset, & fieri sine Exercitus detrimento potuisset, acies perlibenter reflexissent. Tandem sperans in virtute militum, Scipio jubet expeditos pedites, & sagittarios Sinigi cancellos viriliter invadere. Haud secus ac jussi, faciunt, movent arma, & clamorem ingentem cum tubarum sonitu. Sfortiani supersunt vinetis cum cohortibus equestris ordinis sex, & peditibus ferè mille. Rejiciuntur Veneti, ac paulatim vestigia flectentes, in fugam conversi sunt, vulneratis, cæsisque quàm plurimis, non suâ, sed equitum culpâ, qui illis subsidium negligenter attulere. Tandem tres acies succenturiatæ sunt, una domesticæ familiæ Imperatoris, ac duæ Karoli Comitis; hæ pedites dispersos ab ingenti periculo liberaverunt. Tum Scipio, qui peditum Legionem ad insidias in nemore quodam paraverat, quod erat juxta Sinigum ad quingentos passus, simulans suos milites revocare, acies ac pedites reflectit. Sfortiani audentiùs insequuntur, opinantes neminem in nemore per insidias latitare. Ergo sine suspicione putabant se se victoriam consecuturos; sed posteaquam ad medium silvæ perventum est, Scipionis nomen conclamantes, prodeunt pedites Bracchiani, Pamalias ante omnes, frontem convertunt, acies revocant, supersunt hostibus, qui contra fortiter ferientes, nomine sui Imperatoris freti sunt. Hìc crudelis pugna conseritur, hìc domestica Scipionis acies pugnæ princeps fuit, hìc Karolum Comitem nulli, præter Scipionem, in eo prælio cessisse judicavimus. Hìc Capuanus, nunc Ducis, nunc militis partes mirificè agebat. Vincuntur denique Sfortiani, Bartholomæo Quarterio Annibalis Præfecto militari ad terram prostrato, captis viginti militibus, & nonnullis equitibus levioribus, equisque ceterorum ferè omnium aut vulnere confossis, aut eviсceratis; ex Venetis in primo congressu quàm plurimi pedites, & quinque milites capti reperiuntur, qui omnes militari consuetudine, amotis armis, utrinque liberantur. Interea Scipionis acies quædam paulatim regrediebantur, & peditum copiæ præcedebant. Parte alia, Annibal suas copias suo ordine contra Scipionem instruebat. Quod ubi Scipio prudentissimus cognovit; *non est*, inquit ad Legatum, *commorandi tempus*, *ni*-

Digitized by Google

mium à castris , & à copiis nostris distamus . Statimque tubarum clangore , militibus omnis ordinis revocatis, victor se se in sua castra inter loquendum cum Legato recepit . Annibal aliquantulum progressus tandem acies reflexit, & in station. . . . . quis Oppidis habebat ire impera . . . . . . Annibal casu equi . . . . in usque ad sanguinem illæsam . . . . . . infelix augurium multi præsagiebant .

Postero die cùm Scaramucia Lavellus ab Annibale ad castra Scipionis transfugisset , & Johannem Ungarum egregium militem ad singulare certamen provocasset ; dicto die hastis concurrerunt ; strenuè, lautèque rem pro sequisque gessit ; Scaramucia in dextera sauciatur . Ungari , ut ajebant Veneti , pectus perfossum est ; quibus ego fidem non præstiti , etenim torace perfosso , illæsus ad Annibalem reversus est .

Postero die Sfortiani nocte intempesta Venetorum excubiatores invasere , ac tribus ca- A ptis , vox fugientium ad castra pervênit ; Scipio primus omnium hostem insecutus est, quem milites omnis ordinis sequebantur . Is cùm Sfortianos primus omnium inveniret , captos deserere , & terga dare Bracchianis coëgit . Tandem quadraginta pedites cum equitibus tribus capti sunt ; hoc verè audeo dicere de majestate Scipionis , quòd eo præsente nullus pugnæ exitus fuit unquam Venetis infortunatus , etiam si fuerint numero inferiores. Habet enim Scipio quandam numinis majestatem , quam lædere hostis non audet . Et quod majus est , Annibal nihil unquam , præter Scipionis magnanimitatem , pertimuit ; contraque Scipio tam præstanti animo in Annibalem armis circumfunditur , B ut nullo pacto putet se se aliud quàm victorias consecuturum . Quod ita esse , ex hoc percipi conjecturâ potest , quòd Imperator Imperatorem sæpenumero ad pugnam vocat , aut collatis signis ad prælium . Et tamen ab Annibale Imperatore ma . . . . & fortunato.

LIBER SECUNDUS EXPLICIT.

TERTIUS INCIPIT.

ANnibal usus astutiâ quadam singulari III Kal. Julias castra ante auroram Gaidum versùs movit . C Quod Oppidum in umbilico Brixiensis agri positum est . Is enim Ludovicum Principem Mantuanum , qui Venetorum Exercitum, Duce Karolo Gonzaga ejus germano, ante vicerat, & Tibertum Brandolinum factis induciis cum Veronensibus anteire, & Gaidi suburbia ingredi jusserat , simulans postero se die movere , ut Scipio trajicere aliò Exercitum non curaret. Quod posteaquam Scipioni cognitum est , cùm Annibal Sinigo, confestim ipse è Pontevico Exercitum movit, existimans Annibalis Exercitum prævenire , ne apud Gaidum ejus castra locarentur ; nullus enim locus plus eo Oppido Urbi Brixiæ obesse potest . Ergo Mantuanus Princeps , & Tibertus cum septem millibus utriusque ordinis militibus prævenerunt , D occupaveruntque primùm Suburbia , atque Oppidum circumdedere , & Castellum terreum , quam Bastitam vocant . Scipio autem ratus Annibalem anteire , aut illum apud Gaidum offendere , nimia celeritate fretus est . Incendebatur enim cum illo Martem lacessere , ac belli fortunam experiri , Legatis, ac ceteris Ducibus consilium non reprobantibus ; sed cùm Gaidum prope essemus , nunciatum est Scipioni Imperatori, tenere hostem suburbia , quæ ipse superiori anno inexpugnabilia penè fecerat . Tentare tamen voluit magnanimus Imperator , an posset ei loco succurrere ; E quod cùm nequiret , aliquantisper manum cum hoste conseruit , tribus tantùm cohortibus sociatus , ac peditibus ducentis ; sed cùm ei pugnæ Annibal structis aciebus, ac peditibus suo ordine bene dispositis superveniret , Antonium Furliviensem Præfectum militarem egregium , & domesticos ejus milites , qui tunc cum hoste per quàm fortiter dimicabant, revocari fecit, reflexisque aciebus , quas habebat paratas ad pugnam , Karolo Comiti , duci meâ sententiâ , ut præstanti animo , ita in re militari prudentissimo, retroflecti mandavit . Moxque Lenum versùs reflexi inde longo agmine , ac vagis impedimentis Porcianum petivimus, ibique Castra milites, Scipionis imperio, locaverunt .

Postridie Scipio diligentissimus armis circumfusus, omnes Exercitus Duces, omnes Præfectos militares , & egregios cujusvis ordinis milites capere arma imperat , & cum altero ex Legatis Jacobo Antonio Marcello Gaidum versùs profectus est , si quà ei Oppido afferre subsidium queat; quod fieri nullo pacto potuit, nam cùm suburbiis Oppidum cingeretur , plurimo ac fortissimo utriusque ordinis milite ab utroque latere servabatur . Hinc à Principe Mantuano , & Tiberto Duce diligentissimo . Inde inter Gaidum, & flumen, quod Navilium vocant, ab Annibale Imperatorum astutissimo. Postero enim die Bastitam per insidias inter loquendum expugnaverunt , ereptisque eorum spoliis , qui pro Bastita aderant , liberavit . Hinc omnino sublata est Scipionis spes, Oppido posse succurrere: tametsi nullam cum Annibale conditionem acciperet . Neque enim volebant Gaidenses ab Imperio Venetorum deficere, cui fide , & amore quàm maximo astringebantur. Annibal æenea tormenta in muros locat , quæ dies, ac noctes Oppido erant infestissima, quamquam parum profectura ; est enim Oppidum inexpugnabile, latissimis mœnibus , & turribus cinctum , ac terra plenum usque ad murorum intervalla , habetque latissimas fossas ante mœnia , ac profundissimas , & vivis aquis oppletas . Oppidum parvo spatio cingitur , Oppidanis sexcentis munitum erat , peditibus stipendiariis centum, equitibus verò centum & quinquaginta, quibus Georgius Comatus præerat.

Interea turrim , quæ erat inter Brixiam, & Gaidum, à Venetis desertam, Annibal peditibus munivit . Est enim militibus suis peropportuna , propterea quòd excurrentium militum receptaculum est , & speculum latissimi campi , in cujus medio sita est . Huic Turri Monterono est nomen , quam Scipio hosti eripere callidissimo consilio curavit , nam derepente omnes ferè ejus loci custodes extra turrim vagantes offendit , nec poterant turrim ingredi , cùm maximè optarent , occupante aditum Scipione , quem retinere non potuit , pro-

Digitized by Google

prohibentibus sagittariis, qui turrim servabant, etsi perpauci essent; sed maximam Scipionis celeritatem inertia, & negligentia sagittariorum suorum interturbavit. Attamen, dimisso aditu, it obviam illis, & equorum clunibus sagittarios jubet insidere; atque iterum ad turrim revertitur, quam custodibus omnino eripuisset, nisi quamplurimæ Annibalis acies adventassent. Quod cùm prudentissimus Imperator accepisset, tres cohortes, quæ præcesserant, reflecti mandavit. At ipse collectis equitibus, ac peditibus, quos habebat, Porcianum versùs tetendit, quod Oppidum distat à turri tribus millibus passuum, atque inter redeundum armatas Ducum omnium acies, & peditum copias offendebamus. Ad quos Scipio enarrans ordine quicquid eo die actum fuerat, ad castra pervênit, tametsi eadem die acri pugna inter milites certatum est, in qua equi duo & decem eviscerati sunt, vulnerati quamplurimi, non equi modò, sed omnis ordinis milites. Johannes Marengus Gallupporum Scipionis Præfectus in ea pugna virtutem suam ostendit. Is unum ex Sfortianis captum ad Scipionem traxit Scaramuciam strenuum quidem militem, etsi ejus equus esset acri vulnere affectus, & ipse in naribus gladio sauciatus. Matthæus Capuanus levi armatura indutus, mirificè dimicavit, cujus equus occisus est, & nisi Corneus succurrisset, fortassis ab hoste captus remansisset. Scipionis equus sagittâ sauciatur. Tandem ex hostibus milites quinque capti sunt, ex Venetis duo, qui sub Urso Duce militabant.

Interea transfugæ officium suum faciunt; multi enim à Venetis ad hostem transeunt, at plures ab hoste ad Venetos pecuniarum aviditate. Gaidenses, dum hæc fiunt, suburbiorum suorum domos, quas Sfortiani obsidentes incolebant, & loca fœno, equorumque pabulis repleta, ignem è mœnibus jacientes exurunt.

Sexto Nonas Julias tentoria quædam cum octo & decem Tiberti Ducis equis jactu ignis Gaidenses consumpserunt. Sed jam quicquid è muris Oppidi dejici poterat, Annibal crebris tormentis dejecerat, ratus jam vi Oppidum expugnare, ac diripere. Illi contra ut tormentorum ictibus possent obsistere, quicquid interdiu dejectum erat, noctu trabibus reparabant. Parte alia structis Exercitus copiis Scipio diligentissimè paratus erat Gaidensibus subsidium ferre, si fortè pugna contra mœnia consereretur; idque Gaidensibus non erat incognitum, crebro nuncio magnanimi Imperatoris, qui omni ex parte Annibali infestus est.

Karolus Gonzaga jussu Scipionis Veronâ discedens in Montem-clarum tandem applicuit. Is Castra Annibalis nocte intempesta aggressus, tentoria nonnullorum militum exussit, ac raptis, ut fama fuit, centum equis, in idem Oppidum revertitur.

Pollonus, & alii Præfecti militares, quos pro subsidio Veronensium Scipio miserat, factis induciis, ignorante Imperatore, ad Scipionem in castra regrediuntur. Erant enim cum Pollono Antonius Benzonus, Perutius, Johannes Perusinus Scipionis patruus, & Antonius Bononiensis, Præfecti quidem perstrenui, qui stipendio Scipionis militabant, cumque his Ludovicus Malvetius, & Guido Benzonus liberi Venetorum Præfecti, quorum omnium adventu septem cohortibus castra Scipionis adaucta sunt, præsidia ad conducendos comeatus, & res pro Exercitus conservatione necessarias, majora præmittuntur; propterea quòd excursiones, & equitatus quamplurimorum militum utrinque fiunt, adeò ut, ne ipsi quidem milites per agrum Brixiensem tuti esse possint.

Gaidenses datis obsidibus III. Nonas Julias cum Annibale conditionem accepere; hac lege, nisi Gaidensibus postero die à Scipione subveniatur, ipsos ab imperio Venetorum defecturos. Erant enim mœnia eorum disjecta, machinæ in muros venturæ desuper erectæ, aquâ fossarum amotâ, & jam ad expugnationem Sfortiani parabantur. At illi cùm hosti resistere non confiderent, nam multi ante decubuerant, quamplurimi vulneribus erant affecti, cùmque Scipionem ad Oppidi subsidia venturum non sperarent, se se Annibali, Oppidanis, militibus, & re salva tradiderunt. Quòd autem Gaidensibus Scipio ita, ut statuerat, non succurrisset, imbres, ac pluvias causam fuisse concedimus. Quibus omnis semita, viæ, scrabes, ac regionis paludes ita erant oppletæ, ut ubique stagna, lamæ, ac torrentes viderentur; quibus rebus non modò Gaidensibus non succurrere, sed ne prope Gaidum quidem ad duo millia passuum, sinè maximo Exercitus periculo adventare poteramus. Eoque maximè quòd loca inexpugnabilia rebus hìc stantibus ab hoste potentissimo tenebantur. Annibal, ut vulgò ferebatur, id Oppidum Tiberto Duci diligentissimo dono dedit.

Arbitror, Serenissime Princeps, Jovem cum Annibale divisurum orbis imperium, quandoquidem cessantibus in Gaidenses mille bombis tormentorum crebro tonitu intonuerit, è nubibus ignes, & fulmina haud quaquam cessantia jecerit, adeò ut una sagitta cum duobus liberis patrem extinxerit, & imbres inauditos, dies, ac noctes demiserit. Apparuit quinetiam super agro Brixiensi illis diebus intortus anguis in cœlo, quem hisce oculis admirans vidi. Quo prodigio omnes in potestatem Tyranni Gaidum venturum prædicebant.

Iisdem ferè diebus demissæ sunt Literæ ad Legatos, quibus significabatur calamitas Constantinopolitana, quam attulit magnus Barbarùs Teucrorum Rex post longam obsidionem factis induciis cum Januensibus. Sed rupta fide: primùm Urbem dolo captam Teucris in prædam dedit, & quinque millia Januensium trucidavit, deinde Constantinopolim invasit, vique expugnavit, ac diripuit, cæsis Christianorum octo & quadraginta millibus; quæ res vulnus non mediocre Religioni nostræ attulit, & jacturam quidem ingentissimam, nisi rerum sator Deus noster misericordiâ suâ provideat, allatura est. Ego tibi, clementissime Princeps, Christianum populum unicè commendo; is enim maximè in te uno sperare potest, qui Barbarorum furorem comprimere sæpenumero potuisti, nec quicquam imperio tuo deflieri potest, ad Religionem Christianam tutandam, ad Fidei nostræ decus, ad Italiæ ornamentum, & ad Patriæ gloriam sempiternam. Principio regna sunt tibi quammaxima, parata classis, portus tutissimi, milites omnis ordinis fortissimi, & armis Romano more accincti, & quibus omnia in ferrum ruunt, aurum, & pecuniæ. Sed spero, Serenitatem tuam ad id daturam operam, tum pro Jesu Christi Dei nostri augenda Religione, tum etiam pro fugienda servitute. Nam quid aliud sperare possumus, nisi Barbaros jam jam in Albanenses, inde in Illyriam, moxque in Italiam facillimè venturos? nisi illis quàm celerrimè obviaverimus, & eorum impetus, & furorem perstrinxerimus. Ad quod non dubito

bito Pontificem Maximum, Christianæ Religionis Principes, & Divum Alphonsum Regem, ac Regum Christianissimum, ac Sanctissimam Trinitatem adjutricem. Redeo jam ad instituta.

Scipio Gaidi perditionem, etsi spem vultu simularet, impatienter f rebat, eoque maximè quòd nullo pacto id fieri potuisset, nisi inter Veronenses, & Mantuanos factæ fuissent induciæ ignorante Imperatore, qui in eorum subsidium magnam exercitus sui partem contra Principem Mantuanum demiserat. Id quibus imputandum sit, nescio. Illud tamen certè scio, Legatos Exercitus, viros quidem tum in cæteris rebus, tum vel maximè pro eorum imperio diligentissimos, postulante nemine jusjurandum dedisse Scipioni, atque etiam roganti mihi confirmasse, de induciis Veronensium sese ne minimam quidem scintillulam præsensisse. Rectores igitur agri Veronensis, ut opinor, inducias suo arbitrio cum Principe Mantuano confirmarunt; quæ res indubitatam Scipionis victoriam ancipitem fecit: etenim in agrum Cremonensem, vel quatriduo Venetorum exercitum Imperator diligentissimus trajecisset; sed induciæ clam statutæ sapientissimum Scipionis consilium perverterunt, & Brixiensi agro ne parvam quidem calamitatem attulerunt.

Interea mille lucri causâ fiunt insidiæ in equos pabulatorum; equi cotidie subhastantur, pabulatores, & milites in pugna capti utrinque liberantur; quam quidem ob rem audentibus, aut in equorum prædam, aut hoc tempore frumentatum eunt. Silvester Præfectus domesticæ militiæ Scipionis Asulam reversus, nam ibi firmam habebat stationem, collectis Oppidanis, ac peditibus stipendiariis cum Pitacchia militari Præfecto Scipionis, qui ibidem superiori anno gubernaverat, Aquam frigidam, quod Oppidum est agri Mantuani, excurrens ad suburbia invasit, sectisque messibus ignem injecit, deinde impetus est, oppugnare Oppidum, existimans perpaucos esse, qui locum tuerentur. Sed cùm esset munitum pedite, & Oppidanis; præter spem, evênit; illi enim sagittis, scopectisque diverso vulnere quamplurimos affecerunt, quinetiam nonnullos morti tradiderunt. Quare oportuit incommodè, relictâque prædâ inde discedere, atque Asulam reverti.

Karolus Gonzaga Nonis Juliis ad Scipionem Imperatorem venit, cui inter cœnandum cùm multi adessent milites, clara eis facinora belli Veronensis narrabat, ordine ostendens non suâ culpâ, sed militum secordiâ se terga hosti vertisse, & vexilla perdidisse.

Postridie fugitivus quidam ex equestri ordine ducentos pedites cum equitibus sexaginta excurrisse ad suburbia Brixiæ nunciavit Scipioni. Tum Imperator prudentissimus iter illis præscindere, & prædam vendicare nova ratione cogitavit. Etenim tres equitum cohortes, & peditum non parvam copiam armis accingi mandavit, moxque versùs turrim, quam hostis occupaverat, cui nomen erat Montorono, propterea quod in colle sita est, prope Urbem ad octavum lapidem iter tenuit, unde hostes reverterentur, citra Navilium amnem, qui inter duorum Exercituum castra defluebat: prodeunt ex eo loco nonnulli Sfortiani, qui pro turri erant, conserunt manum. Sed cùm numero pauciores Bracchianorum impetum ferre non possent, in fugam conversi sunt. Scipio prædatorum expectabat adventum. Sed cùm sine præda pedites reverterentur, Scipionis milites sagittis invadunt, quos sine præda Imperator abire patiebatur. Sed provocatus, amnem equitibus tranare imperat, parent milites; tum Sfortiani pedites fugere, equites persequi, Bovus adolescens magnanimus omnium primus in peditem hastam effregit. Sequuntur Angelus Politbetis, & Corneus, atque alii, qui amnem tranaverant. Dedunt sese pedites Sfortiani, quos ereptis armis Scipio ad suum Exercitum nonnullis vulneratis remisit. Ea res interea Annibali nunciata est: acies armari jubet, instruit, cancellis Gaidi educit, cum peditum copiis. Quos cùm vidit Scipio perpaucis comitatus, nam qui secum iverant, omnes pene per campos excurrebant, reflectens vestigia, suos milites ad tuta usque reduxit, expectans quid hostis ageret. At cùm ille nequaquam appropinquasset, Scipio ad castra reversus est; tum Sfortiani pedites, qui per campos discurrebant, aggressi sunt. Illi fugere, ac pedibus fidere, tandem plures quingentis capti sunt, & ereptis armis liberati. Nocte proxima nonnulli ex Sfortianis castra Scipionis invasere. Clamant excubiatores; res ad Scipionem delata est, armis illico accingitur, nunquam enim pannos exutus dormiebat, arma milites clamant, arma tubicines canunt, armantur cohortes, inveniunt neminem, nam aggressores in fugam erexerant. Revertitur Scipio, qui primus omnium fuerat hostem nocturnum persequutus, Legatos offendit; consulunt de rebus agendis, maximèque de commutandis castris; erat enim rumor, Annibalem brevì moturum. Concludunt esse nobis eundum pro deliberatione Annibalis; qua de re varia erat Legatorum, Ducumque sententia. Imperator verò, acsi divinitus haberet, de hoste ventura prædicebat.

Septimo Idus Julias Angelum Politbetim, & Antonium Furliviensem clam, noctuque agrum Cremonensem excurrere cum duabus cohortibus, & centuriis duabus mandavit. Erat enim omni milite vacuus, cùm omnes ad sese Annibal asciviſſet. Hi postero die cum ingenti præda, cum armentis, gregibus, & captivis ad Scipionem reversi sunt; Annibal turrim, quam Montoronum vocant, munit peditibus, lustratque aggere, & terreo muro latissimo, adeò, ut locus esset inexpugnabilis; voluerunt illorum labores turbare sæpius Bracchiani. At illi in mediis campis Martem nobiscum lacessebant adeò, ut nunc fugati, nunc victores, cæsis, vulneratisque plurimis, æquo discrimine pugnaremus.

Karolus Gonzaga cum octo cohortibus, ac peditibus tricentis pro Lunati custodia ab Imperatore, & Legatis missus est. Erat enim rumor, illuc Tibertum, & Principem Mantuanum profecturos, à Lunadensibus libenter recipiendos, propter veterem eorum familiaritatem! nam Mantuanus Princeps habuerat ejus loci paucis annis superioribus merum, & mixtum imperium.

Apud Montoronum dumtaxat cotidie ferro certatum. Est enim campus quidam utrique Exercitui communis, sed peditum major, quàm militum pugna. Hìc quamplurimi cotidie confodiuntur, cæduntur plurimi, vulneratis utriusque Exercitus equis nobilioribus, quorum ossibus omnis ferè campus inter utrunque Exercitum repletus est.

His diebus in agro Patavino tanta fuit ventorum, grandinis, & imbrium vis, ut arbores

bores è radicibus evulsæ, per aëra verterentur. Et Villicorum domus ferè mille cum morte quamplurimorum hominum ad terram dejicerentur, qui rapti à ventis, aut nusquam, aut longè tribus millibus passuum inventi sunt. Torrentes imbrium instar fluviorum decurrebant. Grando autem non minor capitibus puerorum dilapsa, domorum tecta frangebat. Harum nonnullæ ita solo adæquatæ sunt, ut ubi fuerint, internosci non possit.

Interea ager Brixiensis cotidie à Sfortianis usque ad portas Urbis excurritur. Parte alia agrum Cremonensem Bracchiani populantur. Cives, & Oppidani à militibus capti pretio redemti sunt. Stipendiarii verò militari consuetudine liberantur. Duo ex equestri ordine milites Antonius Fichinus, & Bartholomæus Bononiensis cùm pararent ad Annibalis castra transfugere, capti à Scipione laqueo suspensi sunt, eoque maximè quòd eorum culpam in Corneum transferebant, asseverantes ejus jussu tentare transfugium. Quod cùm Corneus pernegaret, torti, ut fama erat, falsa pro veris dixisse professi sunt. Itaque Corneus à culpa falsi criminis favore Scipionis liberatus est. Hìc varia erat militum sententia. Sed audivi Legatos, omnem culpam transferre ad Annibalem, qui pollicitationibus ita illis miseris dicere persuaserat, ut Corneum ejus transfugam ulcisceretur. Transierat enim superiori anno nudus, ut ita loquar, ad exercitum Venetorum, cùm, ut ipse confirmabat, iram Imperatoris effugeret.

Paternum ex Cremonensi Oppidum, quod superiori mense ab Annibale defecerat, cùm stipendiarios nollet, etiam mandato Legatorum, recipere: data opera est, ut dolo fallerent. Misso igitur Pollono Præfecto militari, & Roberto Athenienfi, qui cohorti peditum præerat, jubet Scipio excursionem per agrum Cremonensem simulare, ac tentare, si qua peditibus munire Oppidum possint. Id ita factum est; captis enim Paternensibus dolo, blandisque verbis, ut Literas Legatorum servarent, quas illi secum tulerant, nonnulli sagittarii castellum per insidias ingrediuntur, dum Oppidani Pollonum extra cancellos alloquerentur, quibus invitis Oppidum ducentis peditibus munitum est; quod factum Annibal impatienter ægrèque tulit, propterea quòd erat maximo impedimento, & commeatibus oberat.

Donatus domesticus Annibalis miles bona fide in campis Montoroni captus est. Acceperat enim fidei securitatem ab domestico milite Scipionis, ad Imperatorem erepto equo pedes ducitur. Johannes Antonius Gattæ melatæ filius, adolescens mehercle magno animo, ac modestia singulari, Donatum sibi, jurique suo deberi allegabat; fuerat enim ab illius sagittariis captus, ideoque in ditionem suam iturum poscebat. Quæritur Judicum Exercitus sententia, an domesticus Scipionis donatum sua fide tutum fecerat, deinde an potuerit illum securare? Prudentissimè quidem ab justissimis Ducibus Rangono, & Cæsare Martinengo sententia lata est; Sacramento enim dignioris statutum est, bona ne fide data in securitatem colloquerentur. Inventum est verum; reliquum verò erat in pectore Imperatoris reservatum, qui in medium multis præsentibus enunciavit, se velle domesticos ejus milites hanc habere auctoritatem, ut hostem suo nomine facere tutum possint. Quibus verbis Donatus, reddito, restitutoque sibi equo, ad Annibalem remissus est.

Interea Bastitam apud Poncarale, quod Oppidum à nullo incolebatur, fieri Scipio voluit, ne facilem Annibal haberet transitum. Gaido obiens ad Urceos novos, ad Suncinum, & alia Oppida, quæ Venetorum exercitui perdita obesse possent, neve commeatus impedirentur.

Decimoseptimo Kal. Sextiles excubias Venetorum, & præsidia structis equitum cohortibus, & peditum copiâ, vesperi hostis invasit. Quæ cùm non auderent armis concurrere manumque cum hoste conserere, propterea quòd erant milites numero pauciores, ingenti clamore Scipionis exercitum concitaverunt. Scipio primus omnium pedes ad clamorem festinabat; deambulabat enim post cœnam, ita ut fit: sequimur. Interea equus Imperatoris affertur. Scandunt equos permulti milites, partim armati, partim inermes: hostibus appropinquamus. Franciscus Estensis, miles quidem egregius, sed infelix, hostem equitem aggreditur, sed à pedite hasta in inguine vulneratur, quo ictu illico cadens decubuit. Hunc pro sua animi magnitudine omnis pene exercitus in funere familiariter deflevit. Hoc tempore transfugis, qui permulti erant, opera datur, & pedestri pugnæ, ubi quamplurimi utrinque, aut cadunt, aut sauciati sunt, magis dolo, & insidiis, quàm animorum præstantia, propterea quòd ad pugnam persæpe sine Scipione, nullo ordine servato, procedebatur.

Quintodecimo Kal. Sextiles Tibertus ad Brixiensium montium radices excurrit, quibus non satis damni attulit, tum propter locorum difficultatem, tum vel maximè quia Montani ejus regionis vias, & transitus diligenter servabant. Postero die idem ad Urbis portas excurrit, atque illic cum civibus, & stipendiariis, qui ad Urbem pro rebus agendis confluxerant, manum conseruit. Tandem occisis equis pluribus, & militibus suis nonnullis vulnere confectis, parvâ cum prædâ ad Imperatorem suum revertit.

Ludovicus Princeps Mantuanus in agrum Asulanum cum mille equitibus, & maxima peditum copia equitatum fecit. Hinc præda ne mediocris quidem armentorum, gregumque, & captivorum tricentorum per pedites erepta est, sed negligentia equitum à militibus Scipionis vendicata. Erant enim Asulæ equitum duæ acies, quarum alteri præerat Petachias Viterbiensis, claudus veteri vulnere, sed miles prudentia, & magnanimitate perstrenuus; alteram Silvester regebat, quæ erat ex domesticis militibus Imperatoris. Hi cum hostibus ita viriliter dimicaverunt, ut Princeps Mantuanus ab illis discederet, captis sex tantùm & triginta Oppidanis, bovibus octuaginta, equis militum tribus cum magnanimo milite Lazaro Pontoliano, cui erat etiam acies semiplena; ex Mantuanis verò sex & viginti equites capti sunt; id ita fuisse Literis Silvester confirmavit; nos verò inter cœnandum, ab inclyto Imperatore nostro Scipione accepimus.

LIBER TERTIUS EXPLICIT.

QUAR-

Digitized by Google

QUARTUS INCIPIT.

CUm nil ferè aliud sederet animo Annibalis, quàm Scipionis castra aliqua ratione turbare, structis pontibus, XIV. Kal. Sextiles castra Scipionis noctu aggrediebatur. Quod cùm Imperatori magnanimo cognitum foret, excubiatorum suorum diligentiâ, aut, ut fama erat, indicio cujusdam militis intempesta nocte, ob causam tabernaculum egredientis, jubet ab Ducibus, & cujusvis ordinis militibus parari arma. At ipse perpaucis domesticis comitatus in hostem se confert, infectos adhuc pontes disturbat. Evolant Sfortiani, Scipio in tentoria sua revertitur; sed erant, qui dicerent, nonnullos milites ideo ponticulos construxisse, ut faciliùs vallum Castrorum egredientes ad Annibalem transfugerent.

Interea turris Montoroni fit, antemurali ad quindecim pedes latissimo, profundo verò ultra quinquaginta, inexpugnabilis. Cùm esset ea in terreo colle sita, & naturâ loci expugnatu difficilis; etenim sex & decem dies, totidemque noctes mille ferè mercenarii operi incubuere, ac plaustra centum excisas arbores, sectas trabes, & ramos arborum deferebant, diligentissimis tamen utriusque ordinis militum præsidiis.

Nec minus apud Poncarale desertum Oppidum cotidie Bastita exurgit. Hæc maximâ industriâ, & diligentiâ Scipionis construitur, adeò ut nullis viribus expugnari possit; quod opus ideo fabricatum arbitror in transitu quodam difficillimo, ut comeatus, & cætera supplementa castrorum inde, & sine præsidiis tutò duci possent.

Sed maxima est Brixiensium præsertim nobilium querela. Queruntur enim apud Urbis Magistratus, messes perditas, arbores, ac vites excisas, pabula secari non posse, & Villarum suarum tecta, ac domos ad terram dejici, & igni trabes consumi; solos Artifices dites esse, cùm ipsi ex primatibus fiant tenuiores; denique nihil superesse nobilibus, unde vivere queant. Tenuiorum autem alia querimonia est; dicunt enim, annonam caram esse, domos desertas, dispersas familias, jacturam undique esse maximam, deesse victum, nec locum esse, unde vel industriâ, vel labore familiam suam alant.

Tertio decimo Kal. Sextiles Pollonus cum parva equitum manu equitat in Pavonenses. Parte alia Antonius Adrianus cum duabus Annibalis cohortibus in Manerbienses inter redeundum cum præda, & captivis hosti ab hoste excurritur. Pugna strenuorum militum conseritur. Bracchiani numero pauciores. Pollonus licèt inermis magna tamen calamitate hostem afflixit; sed lapsu equi in terram cecidit. Superfunt Sfortiani. Accurrunt Bracchiani, sed Præfectum eorum ab hoste liberare non possunt, cùm & pauciores, & levi ferè omnes armatura ornati essent. Ergo captus est Pollonus, captique omnes ferè socii pudore affecti, quòd illi subsidium afferre non potuerint; Pollonus ab Annibale detentus est, cæteri liberantur.

Robertus Atheniensis, qui peditibus quingentis præerat, & alii quidam Centuriones

A Farsengum ex Cremonensi Oppidum vi expugnavit, ac sociis in prædam dedit. Is ferè omnem agrum Cremonensem diligenter infestabat, propterea quòd multa Oppida ab Annibale defecerant, & erant stipendiariis Venetis benemunita.

Duodecimo Kal. Sextiles cùm Scipio ad Legatos profectus, ut solebat, dixisset, audissetque de rebus agendis illorum sententiam; acceptâ demum veniâ, ab illis discessit. Atque inter eundum, *eamus*, inquit ad eos Duces, qui aderant, *& quid agatur ab hoste, experiamur*. His dictis cùm in suam cellulam pervenisset, armis primùm circumfunditur, equum deinde sibi afferri jubet. Fecere itidem alii Duces. Sed Capuanus, & Corneus armis præstantes primi. Itur igitur in Campos Montoroni, duobus millibus passuum à castris distantes; hìc Tibertum Ducem cum acie suorum

B militum, & peditibus fortasse centum offendunt, ab ulteriore tamen parte Navilii amnis, unde turris munita erat, ad quam si quando opus foret, Sfortiani recurrerent. Stat Scipio observans, num citra amnem hostis ad dimicandum accedat. Tibertus Scipione cognito hæret, tanta est illius Imperatoris auctoritas. Pedites amnem tranant, quibus nonnulli equites erant subsidio. Tum Scipio: *Sinite*, inquit, *commilitones hostem accedere propius*. Simulabat enim illorum adventum quasi parvi fa-

C cere, & Tiberti transitum morabatur, qui in ulteriore ripa spectabat quidnam ab Imperatore ageretur. Hìc Scipio cohortatus milites: *Ite*, inquit, *magnanimi, o socii, propellite inde hostem, tranate amnem, & ad castra usque persequamini*; haud secus ac jussi faciunt. Stringunt equos agitatis calcaribus, hostem aggrediuntur, cum illo manus aliquantisper conseritur. Ledebantur Bracchiani sagittis ab ulteriore ripa provenientibus. Tandem victi Sfortiani dant terga, & fluvio freti, mortem acerbam fugiunt. Sed viri illi duo clarissimi, Capuanus, & Corneus, telorum genus omne contemnentes primi fluvium tranavere. Sequuntur alii. Occurrit Tibertus contra, pugnant

D utrinque perquam fortiter utriusque ordinis milites. Tunc Scipio, cujus invincibilis animus audet etiam difficillima, clara voce animos militibus suis addebat, adeò ut minus puderet eos victos, quàm non victores ad Imperatorem redire; qua voce audita, ac visa Scipionis majestate, animi Venetis additi sunt. Sfortiani perterriti, ac Tibertus metuens paulatim retrocedere revocatis militibus ejus incœpit. Urgent Bracchiani, Capuanus, & Corneus omnium primi. Ad id tandem perventum est, ut Tibertus, alioquin magnanimus, satis cum pudore vallum turris ingrederetur, ne captus in ditionem Scipionis perveniret. Cùm præser-

E tim nulla ei foret subsidii spes, etsi turrim ipse ascenderit, tanquam Annibalis adventum, aut acies succenturiaturas speraret.

Sed hoc de Scipionis auctoritate, Serenissime Princeps, audeo dicere, quòd ne ipse quidem inclytus, ac fortunatissimus Imperator Annibal audet libenter cum Scipione certare. At de Tiberto, Duce quidem præclaro, sic dixerim, auctoritate, ac favore Scipionis fretus, clarum sibi nomen, & gloriam vendicavit.

Tantâ

Digitized by Google

Tantâ enim benivolentiâ illi Scipio afficiebatur, dum stipendio Venetorum militabat, ut honores Præfectis suis eriperet, & illi daret. Dicet fortasse aliquis, quonam pacto id fieri poterat? Omnibus enim equitantibus, excursionibus, ac pugnis Tibertum cæteris Præfectis militaribus, ac Ducibus Scipio anteponebat; cui ipse auctoritate sua, & militibus semper erat subsidio. Quam quidem ob rem, etsi naturâ magnanimus est, tamen favore Scipionis longè clarior, longèque audentior factus est; id ipse accepti beneficii gratissimus non negabit. Quapropter cùm Imperatoris auctoritatem, & animi præstantiam intelligeret; rectè sibi consuluit præsente Scipione hostibus cedere, ac terga nudare. Nam fortasse eum in vita postremum diem videre potuisset; tanto enim animo incensi erant milites ob præsentiam Imperatoris, ut eorum hastæ, non solùm fugato, sed occluso in summo turris Tiberto, in parietes arcis frangerentur. Quibus tubarum voce revocatis, Scipio lætus, ovansque in Castra sua revertitur. Tibertus verò turrim egressus, se se cum sociis ad Annibalem contulit.

Apud Glaream Abduæ interea Sfortiani turrim quamdam ad secundum lapidem juxta Revoltam Oppidum, unde ager Mediolanensis, ac Laudensis facilè excurri, & populari potest, in eorum potestate accepere, & adjuncto Muxia fluvio, in Abduam amnem majorem regna Annibalis tuta ab excursionibus reddidere. Quod factum nimium Annibali placuisse, omnium erat sententia, propterea quòd ejus subditi jam in portu navigabant.

Tibertus Dux diligentissimus constructis pontibus super Navilio amne, intempesta nocte villas in radicibus Brixiensium montium excurrit, cum cohortibus equitum sex, & magna peditum copia; sed parum in eo equitatu profecit, Oppidanis quinque captis, & bobus quatuor & viginti, propterea quòd præsenserant ejus adventum Brixienses, & datis signis tormentorum, rem omnem Scipioni significabant. Hìc cives dolore affectos quàm maximo exclamasse ad Deos ferunt, oblocutos plurima, & querimoniam haud mediocrem quidem cum Rectoribus Urbis eo graviùs fecisse, quòd induciæ factæ forent in Veronensi, ac ipsis tantum esse bellum indictum: videre se ajebant Brixiæ Urbis calamitatem, & ruinam, venturam famem metuere, propterea perditam binos annos agriculturam; denique omnia variis sententiis querebantur.

Postridie Tibertus fugæ suæ non immemor, ulcisci quærens, novas rationes excogitavit, ut per insidias Scipio, vel magna cum jactura, circumveniretur, vel forsitan suâ sententiâ captus ad Annibalem traheretur; quare ante lucem tres equitum acies, & pedites ferè quadringentos intra vallum Montoroni clam locat, sperans Scipionem (ut solebat) amnem præteriturum, ut cum hoste manum consereret; sed transfuga quidam ex pedestri ordine has Tiberti insidias Scipioni revelavit. At Scipio c tra amnem in medios campos progressus, hostem secum dimicaturum expectabat, quo nusquam apparente, collectis utriusque ordinis militibus suis, ad tentoria regressus est.

Postero die Annibal tanquam ad prælium iturus, sumptis armis, structisque aciebus quamplurimis, & peditum centuriis, per ripas Navilii amnis in Montoronum venit, sperans Scipionis animos debilitare, qui omni ferè die in latos campos progrediens, Annibalem ad concertandum provocabat. Sed eo die diligentissimus Imperator cum Legatis Bastitæ, quam apud Oppidum Poncaraldum fabricari magno studio faciebant, indulsit; quod etsi molestè Annibal tulit, Scipio tamen multo molestiùs, cui nihil gratius, nihilque optabile magis esse poterat, quàm cum Annibale armis certare, tanquam Dux maximi honoris, & gloriæ cupidus, sperans se se nunquam ad tabernacula inferiorem rediturum.

Marenghus Galluppporum Scipionis Præfectus, & Angelus Politbetis equitatum in pabulatores Annibalis, & eorum præsidia fecerunt. In quo captis equis pabulatorum quamplurimis cum auxiliatoribus animo satis præstanti dimicaverunt. Hìc Marenghi sonipes occiditur, ex Galluppis capti duo, ex cæteris, qui secum ierant, capti tres, vulnerati quatuor, equi cæsi duo. Ex hostibus eques unus cæsus est, pedites duo, icti plures, pabulatorum equi capti quadraginta.

Imperatores ita suis finibus, suoque ordine continentur, ut nulli rei opera detur, nisi castellis terreis fabricandis; ille apud Gaidum super amne Navilio, ut tutò possit per omnem agrum Brixiensem usque ad radices montium discurrere. Hic apud Poncaraldum ut commeatus, & castrorum munitiones etiam sine præsidiis ab Urbe Brixia ire, ac redire ad castra possint.

Sexto Kalend. Sextiles quàm acri pugna utriusque Imperatoris exercitus dimicaverit, quo ordine, qua diligentia, & animorum excellentia conflixerit; Serenitati tuæ meis Literis hoc tenore accuratè satis, ac diligenter significavi.

„ Illustrissimo Venetiarum Principi Domi-
„ no Francisco Foscari, Porcellius Poëta feli-
„ citatem. Cùm à Scipione Picinino tui Exer-
„ citus Imperatore gesta omnia in hunc usque
„ diem præscripferim, eaque Celsitudinis tuæ
„ nominis immortalitati consecrarem; digna
„ quidem res mihi visa est, quæ cum honore,
„ & amplificatione tui Imperii occurrunt, vir-
„ tute præsertim, & diligentia Imperatoris,
„ ea aliquando Serenitati tuæ meis Literis si-
„ gnificare, ut ab eo, qui militans scribit,
„ rem ipsam accipias, & quod in hoc acri bel-
„ lo contra Ducem Mediolanensium geritur,
„ temporibus tuæ invictissimæ dignitatis id præ-
„ teriri Celsitudo tua nullo pacto putet. Ac-
„ cipe igitur novum prælium inter Scipionem,
„ & Annibalem primos omnium Imperatores
„ perquàm breviter exaratum.

„ Cùm Annibalis, Scipionisque Exercitus
„ manum sexto Kal. Sextiles conseruissent, es-
„ setque inter militum utriusque ordinis co-
„ pias, concertatio crudelissima: volui Celsi-
„ tudinem tuam, cui opus Commentariorum
„ meorum devoveo, non latere; cùm præser-
„ tim parum certa sit militiæ opinio, variaque
„ gestarum rerum sententia; quod quandoqui-
„ dem minimis rebus etiam cum vitæ meæ pe-
„ riculo interfui, posteritati diligentissimè vo-
„ lui consecrare.

„ Anastasius Sancti Angeli cum acie,
„ quam habebat perstrenuam, & Matthæus
„ Capuanus Dux quidem magnanimus ante lu-
„ cem præsidio pabulatorum proficiscuntur;
„ hos aggredi, Duce Roberto de Sancto Seve-
„ rino Annibalis nepote, simulant Sfortiani, ut
„ eorum subsidio acies equitum, & peditum
„ copiæ Scipionis Imperio moverent. Id An-
„ nibalem eo finxisse opinabantur, ut cum
„ omni ejus exercitu ab adversa manu Scipio-
„ nem

Digitized by Google

„ nem incautum circumveniret. Intellexit simu-
„ latum facinus Imperator prudentissimus, &
„ acies in præsidii subsidium ante missas, illico
„ equitans ipse divertit. Fugitivus quidam in-
„ terea properans nuntiat, venturum in latos
„ Montoroni campos cohortibus structis, Anni-
„ balem, & Scipionem Venetorum Imperato-
„ rem ad dimicandum provocaturum. Tum Sci-
„ pio, cui nihil gratius, nihilque jocundius
„ nunciari potuisset, hostibus inermis, ac per-
„ paucis comitatus excurrit obviam, jubetque
„ deferri sibi arma. Marenghum Gallupporum
„ Præfectum, & domesticos milites, quibus
„ Silvester tunc absens præerat, sectari. In
„ campos se se confert, ubi neminem pugnatu-
„ rum videt. Via est quædam, qua Blaneolo
„ Gaidam versùs itur. Hac iter arripit, Rivulum,
„ qui erat in medio, pertransit. Hostem in insi-
„ diis armatum invenit, atque illum derepente
„ invadit. Conferunt utrinque manus. Hic Ma-
„ renghus Principem se ejus pugnæ ostendit,
„ nunc hastâ, nunc gladio milites adversos pe-
„ tens. Pugnat, ita me Dii ament, fortiter Gal-
„ lupporum Scipionis manus. Parte alia viriliter
„ dimicant Sfortiani: omnes pudore affectos,
„ terga hostibus dare pudebat. Bracchiani nu-
„ mero pauciores. Sed virtus invida illis inerat;
„ tandem reflexo Sfortianorum pede, ac quinque
„ captis, ita sponte separati sunt, ut pene om-
„ nes utrinque sauciati perfossis equis perlibenter
„ secesserint. Bovus adolescens egregius, ac po-
„ culorum Scipionis minister, perfosso naso ad
„ genas gladio sauciatur. Paulellus Romanus mi-
„ litum judicio Annibalis decus, inermis hastâ
„ occiditur. Marenghus cæso equo, ac vulneri-
„ bus tribus confossus ad castra revertitur. Ho-
„ stium autem nomina, qui aut cæsi sunt, aut
„ vulnerati, prætereo. Quæ etsi permulta sunt,
„ mihi tamen incerta existimes. Annibal interea
„ structis ordinum omnium cohortibus, latos
„ Montoroni campos milite suo occupat. Hi sunt
„ inter Blaneolum, & Gaidam. At Scipio cum
„ paternæ, tum etiam sui animi præstantiæ non
„ oblitus, Tibicini imperat, omnes Ducum acies,
„ omnes peditum copias, sumptis armis pugna-
„ turas acciri, & ad Imperatorem proficisci;
„ Nunciantur res. Parent omnes. Eunt armati.
„ Salutant Imperatorem, intenti quid sit agen-
„ dum expectantes; tum Scipio arridens: *hodie*,
„ inquit, *o socii arma hostium experiemur, ta-*
„ *metsi derepente ab omnibus Annibalis nervis in-*
„ *vasi, ac provocati simus*. Post hæc acies pri-
„ mùm disponit, hortaturque Duces, & Præfe-
„ ctos ordinem datum, cuneis dispositis, servari;
„ deinde quos secum esse volebat, sectari se se ju-
„ bet, domesticæ aciei milites ardentissimos, mox-
„ que in hostem confertur. Parte alia Annibal,
„ qui campis jamdudum imperabat, ad aditum
„ quendam pervênit, quem tutelâ veteris foveæ
„ peditum tria pene millia tuebantur. Hic acci-
„ pio, Serenissime Princeps, quanta est Scipio-
„ nis auctoritas, quanta ejus animi præstantia,
„ quantique etiam ab hostibus acerrimus fiat.
„ Cùm fortissimus militum Annibalis cuneus adi-
„ tum magna cum peditum copia invaderet: pri-
„ mùm viso Scipione abstinuit, ac certare pede-
„ tentim, & moderatiùs cœpit. Scipio cupiens
„ hostes intercipere, illos ad vineta, & arbores,
„ quæ inter utrasque copias erant, simulans ve-
„ stigia flectere, deducebat; fisus virtuti, ac pe-
„ ditum suorum centuriis; quare abire simulans,
„ ad servandos milites, qui sine ordine cohorti-
„ bus adjungebantur, se se contulit; has dum
„ instruit, dumque imperat, quid acturæ sint,

A hostis irruit, aditum vi superât, & Venetorum „
pedites in fugam convertit. Tentavit quinetiam „
alium quendam aditum vincere, quem Dux pe- „
ditum Matthæus Sancti Angeli non sine multo- „
rum cæde, & sanguine plurimorum effuso, ser- „
vavit. Erat Tibertus Brandolinus hostium pri- „
mus armis circumfusus, & galea comante pa- „
vonum pennis sublata; hic vincendi gloria in- „
flammatur; sed res cum Scipione hìc agitur, „
non cum illis, quos paulò ante in Veronensi „
cum Ludovico Principe Mantuano vertere ter- „
ga coëgerat. Hunc Blasius Bononiensis captum „
in castra Scipionis traxisset, nisi militum suo- „
rum acies perquam fortiter dimicans, Ducem „
suum de manu hostis liberasset, & Bononien- „
B sem domesticorum peditum Scipionis Centurio- „
nem interclusissent, virtute sua, ac peditum „
suorum viriliter liberatum. Cessit igitur, qui „
erat pro aditu Bononiensis, ne vineta quidem, „
ut cæteri deserens, etsi adfuerint ei pugnæ om- „
nes Annibalis milites familiares, quos ipse „
Imperator Cæsareos socios vocat. Supervenit „
interea cuneus equitum Venetorum, & aliæ „
duæ acies, quæ pro cornibus stabant. Cuneus „
cum hoste manum conserit, pugnatque virili- „
ter, Rangoni magnanimi Ducis hortatu, qui „
illic aderat cum cohorte sua ab Imperatore „
dimissus. Supervênit Antonius Bononiensis mi- „
les, & Præfectus Scipionis perstrenuus, & alii „
quidam egregii milites cum acie Tolentina; „
C hìc dubio Marte concurritur; hìc hastarum „
onerati currus franguntur in cœlum; hìc aut „
cæsi, aut vulnerati milites cadunt; hìc equo- „
rum cædes maxima; hìc milites fugati, victi- „
que fuimus; hìc totiens hostem victores fuga- „
vimus. Jam hastæ militibus deerant. Jam fes- „
sus hostem ferire poterat nemo. Jam stabant „
omnium equi fessitudine immobiles, & ipsi „
equites ad pugnandum ardentissimi, anhelitu „
solo vivere videbantur Tibertus apud inguen „
sauciatus est, & alibi, ut ferunt, Bartholo- „
mæus Quarterius in eo prælio princeps hostium „
fuit, cujus equus haud dissimilis Buccifalasso „
à Mathucello Monferrariensi militi quidem „
egregio occiditur; Antonius Bononiensis in „
D cubito. Palamon Antonii Martinenghi, adole- „
scens quidem magnanimus, Tibertum hastâ pe- „
tens, aliquantisper fugavit, abs quo demum „
ense fugatus est. Pugnavere viriliter, qui ab „
Annibale ad Scipionem transfugerant, Mathu- „
cellus Monferrariensis, Marianus, Baptista „
Planellus, & Baptista Ballus, Fustichettus, „
Octavianus, clarum aliquod facinus agere, „
aut simul oppetere conjurati. Parte alia Pollo- „
nus, qui superioribus diebus captus, arma „
contra Annibalem ne caperet, jusjurandum de „
derat, palantes pedites inermis ad aditum re- „
dire, quem tenebat hostis adhuc, aut blandis „
vocibus hortabatur, aut gladio compellebat. „
Tum Scipio, cujus virtus irrequieta est, le- „
E ctis centum fortasse sagittariis, vocatisque tri- „
bus equitum cohortibus, ad hostem consultò re „
vertitur. Hunc posteaquam dispersæ peditum „
copiæ redeuntem conspexere, Bracchianæ vo- „
cis favore collecti sequuntur vestigia Impera- „
toris, adeò ut qui priori pugna fugerant, hi „
pudore affecti nunc inhæreant calcaribus Sci- „
pionis, etiam cum maximo vitæ eorum peri- „
culo. Hoc cum clamore læto Tibertum Du- „
cem, Robertum Annibalis nepotem, & cæte- „
ros, qui aderant, milites præstantissimos, Sci- „
pione primo omnium, aggrediuntur. Quo vi- „
so, hostes arma parum tractantes paulatim „
cedere, sparsos eorum pedites revocare, & in „
„ cam-

„ campos converſi, dimiſſo vi aditu, prælium meo judicio recuſabant; ſed quid tam mirum? Hoc tibi, Sereniſſime Princeps, perſuaderi velim; quòcunque Scipio proficiſcebatur, eòdem illum victoria ſecuta eſt. Hic Scipio ſagitta apud Sutam perfoſſis ocleis vulneratus eſt, quod nemini unquam, niſi in tentoriis revelavit: ne animos victis hoſtibus adderet, & milites ejus ſtupore affectos in fugam converteret. Magna profectò Scipionis conſtantia, & Imperatore Romano digniſſima; indoluit Annibal vehementer, amiſſum aditum, quo ſervato ſperabat, ſe eo die victoriam indubitatam conſecuturum; ſed vana ſpe illuſus eſt, prudentia, ordine, magnanimitate, & diligentia Scipionis. Quare illico reflecti cohortes, & in latos campos Gaidum versùs deduci jubet, ne in arctis locis à peditibus, quorum maxima erat nobis copia, circumveniretur; Scipio autem cuneos, & acies in iiſdem campis inſtruxit, & Annibalem ad dimicandum æquo in loco etiam atque etiam provocavit. Ille ſuas copias in caſtra ejus reducere procurabat, & ad id dabat operam diligentiſſimè. At in eo prælio duo & decem ex Venetis cæſi, vulnerati lethaliter quadraginta, levi autem vulnere ſauciati centum & ſexaginta, equi triginta ex noſtris decubuere, perfoſſi centum & viginti; ex hoſtibus, ut ajunt, cæſi pauciores, vulnerati plures duplo, ut affirmant, qui inde venirent; de morte equorum, & plagis exceſſit medicina modum. Legati priùs ancipites, nunc incredibilem Scipionis virtutem, & animi magnitudinem admirabantur, ac mirificè collaudabant. Revocatis igitur Venetorum copiis Imperator invictus cum Legatis, ac Ducibus ad tentoria fando revertitur. Vale. Ex victorioſiſſimis Caſtris Divi Marci, quinto Kal. Sextiles

Pridie Nonas Sextiles Tibertus cum Roberto Sanſeverino inſidias Scipioni paraverunt in eo loco, ubi cum Venetis pugnare conſueverant, delectis quingentis equitibus, & peditibus ducentis. Scipio inermis, paucifque militibus, & ſagittariis fortaſſe quadraginta comitatus, in campos Montoroni, ita ut ſolebat, profectus eſt, ut exploraret loca, ſi quando opus eſſet fortunæ viciſſitudines experiri. Puer quidam interea ad Scipionem transfugit, nunciatque, inſidias ſibi paratas eſſe, magnam in latebris eſſe utriuſque ordinis militum multitudinem, monetque, ut caveat ne tam liberè per campos parva manu vagetur; erant cum Imperatore nonnulli milites expediti, qui cum hoſtibus etiam expeditis futuræ pugnæ jaculis proludebant. Ad quos Scipio: *ite*, inquit, *commilitones egregii*, *atque armis accincti ad me confeſtim revertimini*. *Interea aliquid boni fiet*. Evolant juſſi omnes. Tum vocato ad ſe Laurentio fido tubicine, imperat, ut univerſus Exercitus in arma moveatur, properentque primùm peditum copiæ, & Centurionum omnium ſagittarii. Sequebantur interea Scipionem Caſtrorum præſidia, quæ bifariam ita diſtinguit, ut alteram partem in medios campos trajiciat, idque ut hoſtem alliciat, ac ſpe inani paſcat, donec pedites, & cohortes advenient. Reliquam non ſatis longè ſequi imperat. Karolum Montonis Comitem prò venturis cohortibus ordinandis ſubſtituit. Ego Scipionem ſequor, cujus diligentia, & animi magnitudo, non ſolùm admirationem, ſed ſtuporem quendam intuentibus afferret, abſentibus verò non facta, ſed ficta eſſe videantur; ſed cùm detectis ejus inſidias hoſtes intelligerent, pudore affecti ſunt, manum cum hoſte non conferere, propterea quòd jam adveſperaſcebat, & cum hoſtibus non pugnare turpiſſimum ducebant; quare ſtructis militibus Robertus proſiliit, Tibertus verò reſtitit, in tempore ſuccenturiaturus. Advenienti Roberto obviam fit Scipio paucis militibus comitatus. Concurrunt utrinque ardentiſſimi milites, ex Bracchianis primus omnium Mathucellus. Parte adverſa Robertus Dux, franguntur haſtæ; ſuperſunt alii egregii quidem milites, feriunt pariter, nunc haſta, nunc gladio, nunc jaculis, nunc clava, & omni telorum genere perſtringuntur. Aberant ab utraque parte pedites, qui in parte campi inferiore concertabant, & acerrimè quidem. Superveniunt cohortes in ſubſidium Scipionis. Sunt parte alia, qui hoſtibus ſubſidium ferant; hìc pugna parvi temporis crudeſcit; hìc Mars utranque aciem fortiter pugnantem ſpectat, ac nemini inclinat; hìc trunci haſtarum æra cum ſonitu verberabant; hìc campus ruptis haſtis repletus eſt. Bracchiani tandem ſuperiores eſſe incipiunt; cædunt retro Sfortiani, nunc faciem, nunc terga vertentes. Quingentos ferè paſſus Scipio vehementer perſequitur, voce alacri milites ſuos cohortatus ad eorum honorem, & gloriam Imperatoris. Interdum hoſtis propter ſubſidia reficiebatur, firmabat tunc Scipio ſapientiſſimus veſtigia, dum advenientes propiùs acies propinquarent; ſed nox adveniens hoſti favorem præſtitit. Quem profectò uſque ad caſtra eorum inſecuti fuiſſemus, ſed nox prælium diremit cum honore ſummo, & gloria Scipionis, cumque amplificatione auctoritatis militiæ Venetorum. In hac pugna Capuanus, & Corneus perſtrenuos ſeſe milites præbuerunt. Angelus Politbetis, dum hoſtem captis loris trahit, in inguine ſauciatur. Mariani dum manum Roberto Duci injicit, equus occiditur; Planellus in medio hoſtium deprehenſus ſua virtute hoſtiles manus effugit; unus ex Venetis caſu equi captus eſt, equi decem vulnerati, eviſcerati duo, milites vulnere perſtricti quatuor & decem, cæſus verò unus. Ex hoſtibus cæſi tres, perfoſſi ſex & decem, equi octo eviſcerati, vulnere autem confoſſi quatuor & viginti. Scipio prætermiſsâ equeſtri pugnâ ad pedeſtrem audito ingenti clamore ſe contulit, ſuos milites paulatim cedentes invênit; propterea equites, qui ad hoſtium favorem concurrerant, noſtri Scipione viſo hoſtem clamore læto petiviſſent. Sed gradum Imperator propter imminentem noctem contineri voluit, omneſque ſecum unà Porcianum versùs redire imperavit. Quod hoſtium Duces perlibenter feciſſe non ambigo.

Poſtridie Scipio cohortem Colellæ Neapolitani Annibalis Præfecti tranans Navilium amnem cum expeditis militibus in fugam convertit. Joannes Troilus ante omnes proh pudor! haſtatos, galeatoſque milites ab inermibus tranato vi flumine ſuperari. Jam video, Illuſtriſſime Princeps, faciliimam Annibalis fortunam immutari, quandoquidem ejus commilitones ſueti omnem Exercitum vincere, tam facilè à Scipione ſuperentur. Jam dedidicit Annibal videre. Sed æſtimo jure hæreditario id fieri. ut quem belli parens Scipionis pater uſque vicerat, eum ſuperare filius conſueſcat. Idque fatis datum etiam puto, cum pro gloria Scipionis, cui victoriam hanc reſervatam ſperamus, tum & in primis pro ſalute Reipublicæ Venetorum, proque amplificatione tui Imperii, quo Prin-

Principe Venetorum Regna semper armis, justitia, & consilio viguerunt. Sed redeo ad rem. Ex quinquaginta militibus pars vallo Montoroni occlusa est, pars agitatis calcaribus, datisque loris vento similis fugit, clara voce subsidium petens; pars sine ictu ac molliter capta est. Expectat ad noctem Scipio, si quis subsi- A dium afferat, ut cum illo arma tractet. Sed nemo implorantibus auxilium attulit; quamobrem Scipio ridens viles, abjectosque Sfortianorum animos, facibus in castra revertitur, captis octo equitibus, ac peditibus sex & viginti, quos omnes jure belli liberaliter ad Annibalem sine equis remisit.

LIBER QUARTUS EXPLICIT.

QUINTUS INCIPIT.

DUm hæc agerent, Ursus Dux Cremonensium agros excurrere, populari, & extinguere pro viribus ab Imperatore jussus est, ut aliqua bellum divertere in Annibalis Regna posset, quo Brixienses tot modis ab utroque Exercitu vexati aliquantisper requiescerent. Ille locum quendam, Bredam nomine, accepit, ibique Bastitam propter loci opportunitatem fundavit. Erat enim vicinus Cremonæ ad tertium lapidem, unde Urbs facilè ex pluribus locis infestabatur, commeatus, & supplementa castrorum impediebantur. Hanc Cremonenses prohibere tentaverunt, quod cùm facere non possent, Annibali, ut provideret ei malo, supplicavere; Annibal id ægrè ferens, C decem equitum cohortes, ac mille ferè pedites ad rem turbandam demisit; hoc cùm primùm Scipio intelligeret, Legatos viros quidem sapientissimos, & in aliis, quas permultas habuerunt, legationibus fortunatos consuluit; qua in re consultum est, ut Præfecti quinque cum peditibus octingentis in Ursi subsidium mitterentur. Erat enim in Cremonensi apud Paternum Oppidum Robertus Atheniensis quingentorum peditum, & equitum centum & quinquaginta, Dux, qui Cremonenses non minus, quàm Ursus infestabat. Interea murus Bastitæ terreus surgit; Cremonenses excursiones crebras, & populationes patiuntur. Parte alia apud Gaidum castellum mirabile attollitur. D

Sexto Idus Sextiles Capuanus in subsidium Venetorum cum sagittariis ducentis, hastatis peditibus tricentis, scoppetteriis sexaginta demittitur, propterea quòd Annibal tres acies, & pedites quadringentos in auxilium Cremonensium noctu antemiserat. Sunt igitur in Cremonensi pro Venetis Ursus, & Capuanus, quibus delegatum est bellum Cremonense per Imperatorem, & Legatos. Anastasius Cola Sanctæ Agathæ, Nardus Antonius, & tres cohortes Johannis Comite sine Duce, qui in bello Veronensi captus, & detentus est. Ex Sfortianis autem Sacramor Vicecomes, Troylus Archamonus, Malcorpus Præfectus militaris, & reliqui numero equitum octingentorum, qui E omnes cum hoste armis crebrò concurrunt.

Interea Literæ ad te, Serenissime Princeps, ex amplissimo Patre Cardinali Græco de direptione, & extinctione Constantinopolitana, pro honore Italiæ, pro Christianæ Fidei conservatione, pro Christi Dei nostri gloria, tandem pro Barbarorum desolatione, & ruina, composita prius inter Christianos tranquilla pace, in hunc tenorem demittuntur:

„ Illustrissime, & Excellentissime Princeps. „ Distuli ante hunc diem infelicem, & calamitosam Urbem nostram Constantinopolim tuæ „ Celsitudini commendare, cum pudore quodam subrustico retractus, ne pro commo- B „ do, & salute Patriæ rogans, meum ipsius „ commodum viderer quærere, tum quia sua „ sponte Inclytus Senatus vester (ut est erga „ omnes afflictos clementissimus) tantum opis, „ præsidiique pararat, ut omnes indubiè existimarent satis id superque esse ad eam Urbem tutandam, ad arcendos à mœnibus Barbaros, ad impetum crudelissimi hostis comprimendum. Quod utinam eò tempestivè appulisset; non enim essemus spe; atque opinione nostra fraudati; verùm non negligentiâ vestrâ, cujus in tanta re ne simulacrum „ ullum apparuit unquam, sed vicinitate hostis, & importuno anni tempore, & fatis „ ita volentibus factum est, ut dum in medio „ cursus est classis, dum spe victoriæ alacres „ copiæ in hostes feruntur, præverterit Barbarus, urbemque, & situ loci, & mœnibus, & comeatu, & omni genere præsidii „ munitissimam, quam omnes annum integrum „ posse pati obsidionem sperabant, viribus expugnaverit. Rem auditu terribilem ita ab „ omnibus, qui in se aliquid humanitatis habent, & præsertim Christianis, deplorandam. Me miserum! non possum hoc non „ sine maximo dolore scribere. Urbs, quæ „ modo tali Imperatore, tot illustribus viris, „ tot clarissimis, antiquissimisque familiis, tanta rerum copia florebat, totius Græciæ caput, splendor, & decus Orientis, gymnasium optimarum artium, bonorum omnium „ receptaculum, ab immanissimis Barbaris, à „ sævissimis Christianæ Fidei hostibus, à truculentissimis feris capta, spoliata, direpta, „ exhausta est. Publica dilapidata, privatæ „ opes extinctæ, Templa argento, auro, gemmis, Reliquiis Sanctorum, aliaque pretiosissima suppellectilia opulentissima nudata; „ Viri instar pecudum trucidati, abductæ mulieres, raptæ virgines, infantes, è parentum complexibus sublati, & si qui ex tanta „ clade superfuerunt, vel in vinculis, ut ære „ redimantur, servati, vel omni genere cruciatus affecti, vel ad turpissimam servitutem „ redacti; fana, ac delubra Sanctorum maledictis, verberibus, cruore, & omni flagitiorum genere fœdata; Castra in Templis „ Dei, atque sacra in castris habita. O miseram, o infelicem, & in brevi tam celerem, „ ac variam civitatis commutationem! Quis „ cùm hæc legerit istarum rerum ignarus, facta, „ non ficta esse crediderit? Sed nolo calamitates „ patriæ apud te deplorare, cui hæc fortasse „ notiora sunt, quàm mihi ipsi, præsertim ne „ videar confricare vulnus tuum, quem fata „ voluerunt miseriarum nostrarum esse participem, clausis in ea Urbe tot Civibus Venetis, & nobilissimis hominibus, tot Patricii „ Ordinis viris, qui utinam meliorem quàm „ nostri fortunam experti, incolumes aliquando

„ in

A „ in Patriam revertantur. Certè verendum est,
„ ne eâdem procellâ vexati pariter perierint ;
„ mihi verò data est facultas liberè imploran-
„ di auxilium, non jam pro Patriæ, non pro
„ Civitatis meæ salute, sed pro tutela om-
„ nium, pro Christi gloria, pro Christianæ
„ Fidei conservatione, Christianorum honore.
„ Quo in loco pluribus exponere poteram,
„ quantum periculi immineat Italicis rebus,
„ ne de reliquis dicam, nisi truculentissimi
„ Barbari impetus comprimantur ; verùm ne-
„ que me latet, eas rationes Senatui vestro
„ notiores esse, quàm mihi, & ad finem festi-
„ net epistola. Hoc unum breviter dicam, è
„ duobus alterum necessarium fore, vel ut
B „ Celsitudo tua unà cum cæteris Christianis
„ Principibus furorem, ne dicam rabiem,
„ Barbari in hisce initiis comprimat, atque
„ constringat: non solùm se, suaque tuendo ;
„ verùm etiam offendendo hostem, vel ut ille
„ mox reliquâ Græcia, quæ nunc vestro Im-
„ perio subjecta est, insulisque omnibus ve-
„ stris, præterea etiam Pannonia, atque Illyrio
„ potitus, Italicas quoque res in maximum
„ discrimen adducat. Deventuros autem ad
„ hæc quàm facillimè Christianos Principes,
„ cùm tales causæ sint, tam acerbæ, tam gra-
„ ves, tam novæ, cum de salute communi,
„ de Christiana Religione, de Christi gloria
„ agetur, nemo est, qui non speret, præser-
C „ tim à Celsitudine tua, vestroque Senatu,
„ cujus auctoritas maxima, est invitatus. Qua-
„ propter te hortor, Inclyte, atque Illustrissi-
„ me Princeps, & quibus possum precibus,
„ rogo, obsecro, obtestor, ut compositis ali-
„ quando Italiæ rebus, fineque bellis, quibus
„ Christiani Principes invicem sævitis, imposito,
„ ad majora convertas oculos, vagantemque
„ in Christianorum fines furibundum hostem,
„ & cuncta immaniter prosternentem, aspicias.
„ Unde putas eum in tantam insolentiam pro-
„ rupisse ? nimirum quia vos cernit Christia
„ nos Principes invicem bella gerentes, ma-
„ nus vestras vestrorum sanguine maculatas,
„ arma cruore Christianorum fœdata ; hæc
D „ illum audacem faciunt. His fretus, præci-
„ puam Græciæ Civitatem nuper aggressus ex-
„ pugnavit, diripuit, & extinxit ; quòd si
„ vos, ut Christianos Principes decet, posito
„ hostili animo concordes, atque unanimes
„ intelligeret ad Christianæ Religionis ampli-
„ ficationem incumbere, mihi crede, non mo
„ dò alienis abstineret ; sed loco maximi mu
„ neris duceret intra fines suos posse consiste-
„ re. Eja igitur, Princeps inclyte, expergi-
„ scere, expergiscere aliquando, & extinctis
„ inter se Christianorum odiis, quod tibi, qui
„ & auctoritate plurimum vales, & sapientia
„ polles, facillimum erit, pacatos, atque
„ tranquillos animos indue, & ut tecum unà
E „ ad ulciscendam Barbarorum injuriam, ad
„ extinguendum Christianæ Fidei hostem, ad
„ eam civitatem, quæ olim vestræ Reipubli-
„ cæ fuit, quæque adepta futura est, ante-
„ quam Barbari etiam Peloponense occupent,
„ recuperandam incumbant. Hortare, pro-
„ voca, allice ; nihil hoc utilius imperio tuo,
„ nihil Italiæ, & universæ Christianorum rei-
„ publicæ commodius, nihil immortali Deo
„ acceptius, nihil nomini tuo gloriosius facere
„ potes; qua in re, si quid parvitatem meam
„ posse tua Celsitudo intellexerit, vel in le-
„ niendis nostrorum animis, vel in his ad bel-
„ lum Barbaris inferendum adhortandis, nul-
„ lum laborem, curam, sollicitudinem recu-
„ sabo. Valeat Illustris Dominatio vestra. Ex
„ Bononia die tertiadecima Julii MCCCCLIII.

„ B. Cardinalis Tusculanus Bononiæ Legatus.

Georgius Targhetta primus peditum domesticorum Annibalis, ad Scipionem transfugit ; hunc Veneti ducentis peditibus datâ stipendii pecuniâ præfecerunt ; is postquam se se rebus omnibus apud Urbem Brixiam munivit dum ad Venetorum castra reverteretur, à militibus Annibalis captus est, & ad Imperatorem deductus ; quem cruci affixisset, nisi apud eum preces militum quamplurimum valuissent ; sed erant, qui dicerent, id ab Annibale consultò factum, quemadmodum experientia docuit anno superiore, ut Veneti acceptâ pecuniâ à militibus ejus fallant.

Dum hæc fiunt, tres Scipionis Præfecti militares egregii Angelus Politbetis, Marruchus, & Angelus Dirutanus, hostilem terram equitatu suo discurrunt ; tandem consultò in insidiis aliquid emolumenti futurum expectant; cum his erant equites quinquaginta, & domestici pedites Scipionis centum, quibus præerat Bononiensis Centurio. Hos omnes Sforciani milites quadraginta, quibus Gaspar Vicomercato præerat, incautos aggrediuntur, improvisosque nunc huc, nunc illuc sponte sua agunt ; feriunt crudeliter, arma exuunt, ac captos in parte ad Annibalem trahunt ; sed postea quàm nonnullis vagantibus tempus concessum est, casside armari, & hastas manu capere, primùm convenere, dehinc auxilio quorundam peditum arctos aditus capientes, hostem per campos retro fugere coëgerunt, adeo ut, captivis dimissis, tres ex eorum numero caperentur ; ex Bracchianis verò equi quatuor leviorum equitum capti sunt, & cum illis miles unus Angelus Politbetis in ilibus perstringitur. Marruchus in facie, Cimarostus per utrunque inguen confoditur ; in hac pugna Hericus mactus non mediocrem virtutem ostendit, qui ab Annibale ad Scipionem transfugerat, cumque miles est naturâ egregius, tum ; & in primis quòd Annibalis indignationem fugiebat; captus enim, laqueo fuisset sine miseratione suspensus.

Sexto Idus Sextiles per Exploratores cognitum est Annibali, facilè eripi posse armenta, quibus commeatus, & supplementa castrorum deferebantur, quæ erant pabulandi gratiâ in lamis, & paludibus circumclusa. Quare Corneus, & Cæsar Martinenghus opinantes siccas solis siccitate paludes esse, ac posse equites in illis percurrere, ut exploratorum suasione acceperant : equitatum ingentem sexcentorum militum, totidemque peditum paravere ; mox ad paludes se conferunt, pedites pascentia armenta cogunt, ad aditus referunt, ut tutò in castra Scipionis deferre possint. Interea hostis, qui erat præsidio armentorum, subsidium futurum expectat ; omnia enim etiam cœlum clamoribus auxiliaribus insonabant ; jam subsidia adsunt, copias peditum nostrorum inter paludes offendunt, ferro, hastisque perfodiunt, adeo ut incolumes perpauci evaserint. Hostes prædam jam perditam vendicaverunt, captis quadraginta peditibus, quibus equites Venetorum propter paludis impedimenta, auxiliari nullo pacto potuerunt.

Postero die Tibertus pabulatores Venetorum invasit, quibus à Scipione ita celeriter sub-

Digitized by Google

subventum est: ut nisi castra Annibalis Tibertus repetiisset, à Sociis Matthæi Sancti Angeli peditum Ducis interclusus ad Scipionis manus eo die invitus pervenisset.

Johannes Antonius Gattamelatæ filius Castrorum suorum loca commutare ab Imperatore jussus est, nam cùm versùs Balneolum tetendisset, Lenum versùs impedimenta, & tabernacula detulit, unde erat suspicio moturum Annibalem, & eò copias trajecturum. Sperabat enim Scipio eo pacto institutum Annibalis interrumpere, ne ad alia loca Cremonæ vicina castra ejus transferret, ubi novum bellum erat exortum, missis hinc inde magnis copiis à Scipione, ut offenderent; ab Annibale verò Cremonensis agri defendendi gratiâ.

Pridie Idus Sextiles Imperator Capuano clam imperat, ut Castellum Leonis, quod Oppidum morbo laborabat, subita cingeret obsidione, ratus in potestatem Venetorum venturum, propterea quod omnes ferè Oppidani peste vexati, habita priùs securitate, villas incolebant. Imperium Capuanus diligenter executus est, nam & Oppidum circumsedit, & quos extra invênit cum gregibus, & armentis, salvos esse voluit, etsi de ea re varii essent sermones. Annibal hoc factum impacienter ferebat, Literis suis significans omnibus Mundi Principibus, Rebusque publicis fraudatam Scipionis, & Legatorum fidem, quæ rupta securitate Oppidanis Castelli-Leonis non servetur. Erat enim illis potestas securitatis ratione, eorum arbitrio, ut Oppidum aggredi, atque ingredi possent. Ad hoc Scipio justissimus Imperator, & Legati, viri quidem ut summa sapientia, ita & singulari justitia præditissimi, Oppidanis inquiunt, non Oppido salvum-conductum esse validum, nec fraudari securitatem, si quis Oppidum, aut Urbem vendicet, eam præsertim, quæ sese in ejus ditionem venturam visa castrametatione pollicetur. Quis enim neget, vocatis Principibus ad Imperium accedere? Scipionem Oppidani præmissis nunciis advocavere; vocati Capuanum ante miserunt; quid igitur peccarunt? cùm Annibal ad Quinzanenses superiori anno vocatus accessisset. Præterea, ut ajebat, Capuanus cùm Oppidanis introëundi, egrediendique tradita esset potestas, id se facturos recusabant. De præda autem, quæ Capuano vicio ascribebatur, sic Legati respondebant. Securitatem hanc eo factam, ut ab Annibale in usum Cremanorum par facta esset; quod ita factum est; post paucos verò dies factam à Sforcianis prædam in agro Cremano apertissimâ querelâ Cremanorum etiam Legati testabantur; quare licebat acceptam contumeliam ulcisci; siquidem pars justiciæ est vendicatio; hæc omnia ita fuisse, Legati viri quidem religiosissimi jure jurando, me præsente, confirmarunt. Quis igitur justiùs agat? Nos Jureconsultis relinquimus. Illud verò certissimum est, Oppidum circunsessum magno omnis ordinis subsidio, magnâque Oppidanorum ejus regionis copiâ, & supplemento rerum omnium ad usum militiæ necessariarum; perpaucos esse, qui Oppidum tutari possint, quamvis difficultate loci, & arcibus, quas duas habet, Oppidum sit penè, ut ajunt, inexpugnabile. Interea ænea tormenta ad dejiciendos muros illuc delata sunt, & copiæ in subsidium crescunt; hìc plusquàm in ceteris locis diligentiam Scipio servavit, fisus virtuti militum, & Capuani, cui ea res delegata erat; attamen in subsidium loci nonnullos Sforcianos cum Donato milite perstrenuo ...... ingressus negari non potest; quod fuit initium calamitatis Exercitus Venetorum; nam decimo septimo Kal. Septembris Castello-Leonis succurritur à Corrado Duce magnanimo, & Annibalis fratre cum cohortibus octo, & peditibus quingentis, cùm essent Venetorum acies tres & decem, pedites mille, stipendiarii, & Oppidanorum multitudines, Capuano Duce, qui literis Scipionem Imperatorem certiorem reddebat, Oppido nullo pacto ab Annibale subveniri posse; hìc primùm excubiatores capti. Velites in clunibus equorum ducti, Oppidum ingressi sunt. Fugatæ acies, & copiæ peditum circunfusæ; hìc sine pugna capti equites ducenti & quinquaginta, pedites verò, & Oppidani tricenti; hìc capta sunt ænea tormenta, & Anastasius Præfectus, qui erat eorum custodiæ deputatus, ac solus in acie viriliter pugnavit; hìc capta sunt omnia ferè militum impedimenta. O viles milites & abjectos! O animos muliebres, tantam hominum multitudinem à tam parva manu hostium superari! Sed profectò negligentiâ accusandi sunt; ah rem tantam tam negligenter agere, ubi omnis Venetorum status, omnis spes erat reposita cum honore, & gloria Scipionis! propterea quod eo Oppido ad fidem Venetorum deducto, oportebat Annibalem regnis suis subsidium ferre, præsertim agro Cremonensi, qui erat omnino hac calamitate deperditus; quam quidem ob rem necesse fuisset Brixiensibus non esse ampliùs infestum, & subditis ejus succurrere; sed vigilias superioris noctis, in qua tota armati vigilaverant, fuisse hujus calamitatis causam, Capuanus allegabat. Hæc quàm honesta purgatio sit, Serenissime Princeps, tùo, Sapientumque judicio existimandum relinquo. Corradus Dux lethaliter in capite sauciatus est, Capuanus in cervice, sed vulnere leviori, Jacobus Comite, in nodo pedis; hic præstanti animo dimicasset; sed illum in medio pugnæ socii deseruere, fecere itidem Capuani milites, qui, & impedimenta, & equos, & arma, quæ ibi habuit, omnia perdidit.

Dum hæc aguntur, Scipio profundis fossis, & muris terreis vallat, ut essent ejus castra tutiora, quandoquidem quamplurimis equitum cohortibus, ac peditum multitudine exuta erant: ex hinc Oppida Benaci lacus tutarentus; inde Cremonensem agrum infestarent. Nec secus Annibal facit, qui vel pro Alexandrini belli præsidio contra Gulielmum Monferrariensem, vel pro auxilio belli Parmensis in Corrigii Dominos, vel pro subsidio Cremonensis agri contra milites Scipionis vix cum dimidio exercitus sui restiterat.

Karolus Dux magni Ductoris quondam Braccii filius, acceptâ ab Imperatore veniâ cohortes duas ad excurrendum Mediolanensem agrum demisit; sed cùm nec unde transire possent, turrim duobus fluminibus cinctam, quam pedites per pauci servabant, primùm obsedere; Centuriones, qui subsidio illis veniebant, tenui pugna superaverunt. Tandem in Venetorum fidem turrim acceperunt. Mox Agrum Mediolanensem excurrerunt, unde ad Imperatorem cum præda non mediocri, & captivis nonnullis reversi sunt.

Tertio decimo Kal. Septembrias tempestas quammaxima, ingensque cœli ruina castris utriusque Imperatoris supervênit, atque omni Brixiæ regioni, adeo ut multæ villarum domus caderent, ventorum, & aquarum tempestate,

ftate, quamplurimæ arbores è radicibus evel lerentur, & militum permultorum tentoria per aërem, admirantibus omnibus, ducerentur.

Apud campos Montoroni novum pugnæ genus inventum est; fortissimi enim milites, qui armis circunfusi præstare ceteris solebant, nunc inermes longis jaculis lato ferro utuntur, quas lanceas ceraleas vocant; quibus aut inermem hostem, aut levioribus armis indutum Maurorum, Hispanorumque more feriant; quo in novo decertandi genere permulti, & clari quidem viri decubuere.

A Cùm Scipio hostem deducere ad communem pugnam nequiret, sextodecimo Kal. Septembris, cum sola tyronum acie, cui Bous adolescentulus præerat, paucisque peditibus, & sagittariis præsidia castrorum Annibalis invasit. Quæ ad obices usque insecutus est; quod factum Annibal simulans parvi facere, equitibus nonnullis levioribus, qui id orabant, dimicare concessit; hic tyrones, hortante tantùm Imperatore, viriliter pugnaverunt, præsertim Johannes Cremanus, qui eo se die Principem suæ ætatis ostendit, in hac pugna ex Bracchianis nonnulli sauciati sunt, tamen . . .

LIBER QUINTUS EXPLICIT.

SEXTUS INCIPIT.

CUm ab utriusque illustrissimi Imperatoris Exercitu armis adhuc invictis sæpe certaretur, crevissetque plurimùm etiam apud hostes Scipionis auctoritas; Nicolaus Quintus Pontifex Maximus pro officio suæ Beatitudinis, paci, ac tranquillitati Italicæ consulere instituit, cum propter sui nominis immortalitatem, quam ex pace consequi videbatur, tum & in primis propter Barbarorum victoriam, superata, ac direpta Constantinopoli, quæ Urbs erat non modò Græciæ totius caput, sed Orientis decus, & ornamentum. Verebatur quin etiam, ne Rex ille Teucrorum sævissimus Exercitum, quem habet ingentissimum, in Italiam trajiceret, & Urbem Romam rerum olim Dominam, firmamque Apostolicæ Sedis stationem occuparet; quibus rebus duos Patres amplissimos, & Dominos Cardinales ex Collegii consilio legavit; alterum ad divum Alfonsum Regem, & ad Florentinos, quibuscum bellum in Tuscia gerebat; Alterum ad Serenitatem tuam, Illustrissime Princeps, & ad Inclytum Imperatorem Franciscum Sfortiam, Mediolanensium Ducem, qui cum illustrissimo Venetorum Dominio de imperio certabat. Huic erat sociale bellum cum Florentinis; Tibi autem, Senatuique Venetorum sapientissimo cum Rege . . . . Sedente Senatu, Legationem exposuit, ac de pacis conditione responsionem accepit; illico ad Annibalem Mediolanensium Ducem, qui Gaidi commorabatur, profectus est; hic pro veritate Pontificis Maximi de pace Italiæ, de honore religionis, denique de salute Christianorum locutus, ad pacis conventionem pervênit, cui omnes Italiæ Principes, & Respublicæ assentiebantur; sed de modo, & conditione pacis contendebant; eademque divi Alfonsi Regis, & Florentinorum erat sententia; Amplissimus ill . . . . cùm esset apud Annibalem una tantùm nocte ac magnificentissimè receptus; literas prius quam ab illo discederet duodecimo Kal. Septembris ad Scipionem scripsit, quibus significabat, prædam pridie factam debere jure restitui, propterea quòd tecum, Serenissime Princeps, convenisse confirmabat inter utrumque exercitum eo præsente inducias fore; Scipio autem, cui militaris rei scientia erat percognita, qui prædam eo die ingentem fecerat, ducentorum scilicet equorum, ac boum jugatorum cum plaustris centum & sexaginta, versis prius in fugam

B præsidiis, captisque Præfectis militaribus quatuor, ad amplissimum Patrem in hanc sententiam prudenter respondit: „ Accepimus induciarum literas, quibus nunquam assensi sumus, cùm adversùs Annibalem, meliorem belli conditionem haberemus, Pabulatores cum Pabulatorum præsidiis invasimus, vicimus, ut sæpe aliàs. Nulla igitur est ratio, quampropter aut Annibal, aut tua dignitas queri possit; quandoquidem inter Imperatores pactum nihil, aut conventum est; si quid alioquin tua me amplitudo facturum velit, sciat id me, & perlibenter, & diligenter executurum.

Octavo Kal. Septembrias simulatus qui-
C dam transfuga ignem in castra Scipionis jecit, exussitque duo & decem militum tabernacula, equos viginti, & omnem ferè cum armis supellectilem; hi, qui jacturam hanc passi sunt, sub magnanimo Duce, & miræ indolis adolescente Johanne Antonio Gattæmelatæ filio militabant; quidam tamen Mediolanensis natione ad Castra Venetorum transfugerat ad utrunque paratus, vel igni Castra incendere, vel morte certa occumbere. Idque evênit homini ex sententia; captus enim dum facinori ingentissimo accingebatur, parata ingenti pyra, flammis exustus est.

Tibertus Brandolinus, & quidam domestici Annibalis familiares cum copia peditum,
D & sagittariis sexaginta quinto Kal. Septembrias commeatus Exercitus Venetorum, quæ Brixiâ Porcianum deferebantur, viriliter aggressi sunt, ad portas usque Urbis excurrentes. At cùm nulli cognitus esset, præsidia & commeatus incautos occupavere; quibus pene omnibus captis, aut fugatis, ad Annibalem Gaidum versùs revertebantur, captis omnibus ferè plaustrorum bobus, & oneratis ducum, militumque & mercimoniatorum jumentis; sensit inter agendum equitatum hunc, Scipio diligentissimus, sumptisque armis, jubet omnes Duces Exercitus cum eorum militibus armis circumfundi. Parent omnes. Is primus celeritate nimia fretus occurrit hosti cum præda ad
E Annibalem redeunti. Confert cum illo manum. Vincuntur Sforciani, quorum quamplurimi capti sunt, & præda à Scipione magnanimo vendicata. Hic Tibertus per insidias cum nonnullis cohortibus è silvarum latibulis prodiit, Brachianos, Scipione absente, invadit; perpauci enim abeunte Imperatore remanserant. Pugnatur ab utrisque perquam fortiter. In

Digitized by Google

In qua pugna multi decubuere, quamplurimi vulnere perstringuntur; Sforciani ereptâ prædâ inflammati, numero plures, auxilio peditum, quos habebant quamplurimos, paucorum Brachianorum victores extiterunt, & vendicatam prædam ad Annibalem detulere, etsi nonnulli collecti hostem usque ad præsidia castrorum Annibalis insequerentur; sed cùm nihil agerent, ad Scipionem, qui per aliam quandam viam ad eos superandos, qui Navilii amnis vadum servabant, profectus erat, pedetentim redierunt. In hac pugna duo & decem ex Sforcianis militibus capti sunt cum Johanne Francisco de Balneo Præfecto militari. Ex Bracchianis autem capti sex cum duobus militaribus Præfectis Angelo Dirutano, & Marucho, viris quidem egregiis; sed ex Sforcianis quamplurimi pedites, & sagittarii capti sunt, quibus hastis, & scorpionibus spoliatis ad eorum Castra remissi sunt.

Pridie Kal. Septembris ignis consultò, & ex industria jactus in Annibalis castra detrimenti plurimum attulit; exustis equis, & armis plurimorum militum, qui vix nudi igneam pestem evadere potuerunt.

Eodem die Petrus Brunorius, qui olim in agro Picenti ab Annibale ad divum Alfonsum Regem transierat, moxque ab ejus majestate suspicionis, vel criminis causâ pocius, ut Rex ipse ajebant, captus, nunc verò post annum undecimum Venetorum precibus liberatus, collectis mille, & quingentis peditibus contra Annibalem stipendio Venetorum venit; qui cùm esset in conspectu Scipionis flexus Imperatorem salutavit; cui Scipio: *gaudeo*, inquit, *Brunori*, *te salvum advenisse*, at illi nihil respondenti anulus è digito cecidit, quod ego in bonum augurium non accepi; more enim majorum, aut status aut honoris amissionem portendebat; sed cum magno Venetorum favore pro veteribus factis, & claris quidem, sub Annibale Exercitum auxit, quamvis factus sit senior, alteroque latere debilitatus, ac luscus foret; cui hic comes Bona venit. Bona inquam femina incredibilis, quam jure Viraginem appellari decet, quandoquidem pharetram in humeris gestet, cornu sinistrâ, sagittas dexterâ; ac coturnos in plantis gerat. Ea est matrona antiqua, parva corpore, consumpta macie & colore fusco; hanc cassida in capite gestantem operæ pretium est cernere; hæc tam sincera est erga virum fide: ut multociens Oceanum tranaverit amici sui videndi, ac liberandi graciâ.

Kalendis Septembribus literæ delatæ sunt ad Legatos: Pojanum in Tuscia Oppidum, quod ad Aragonum, & Siciliæ Regem confugiens defecerat ab Imperio Florentinorum. Don Ferdinando Regis Filio præstanti animo, incredibilique ingenio, ac virtute adolescente, nuper Exercitum morbi causâ reflectente, parvi temporis obsidione ab Alexandro Sforcia, Annibalis Fratre, ac Duce ut magnanimo, ita rei militaris scientia peritissimo, captum, ac direptum esse; etsi in ejus præsidio essent (ut fama erat) pedites tricenti, & equites quadringenti perstrenuorum quidem militum, quos omnes militari consuetudine liberavit.

Hisdem diebus vulgò ferebatur, in Annibalis auxilium venturum in Italiam Renatum Ducem ex Francorum Regum sanguine, quem jure tituli Siciliæ Regem appellabant, paulatimque crevit rumor, illum Sabaudiæ montes penetrasse. Apud Urbem Hastam aliquot dies commoratum, deinde Alexandriam pervenisse, ibique diligenter quærere vel sanguinis, vel amicitiæ causâ Gulielmum Ducem Monferrarii Marchionis Fratrem, Annibali conciliare, qui crudeli odio ab illo Imperatore dissentiebat.

Eodem die duo Ungari natione, alter ex equestri ordine, alter miles humili parente natus, hasta, ense, ac clava duello certaverunt. Ignobilis victus, qui petenti veniam nobili acceptâ injuriâ non dederat.

Septimo Idus Septembris nonnulli ex Venetis equitibus, ignorante Scipione, pabulatoribus suis præsidia præstabant. Hos invasere Sforciani, atque etiam circumvenere adeò, ut ab illis tanquam certantibus facilè superarentur. In ea pugna tres equites ex Sforcianis capti sunt. Ex Venetis autem, quos Gattiscos vocant, equi Pabulatorum quinquaginta, milites octo, cæsi verò duo; sed id evênit ex militum inobedientia, qui statuta ab Imperatore præsidia non sectantur, ac sua sponte sibi favent, sibique ipsi fidunt, nullo ordine reservato; sed nihil est, quod citiùs puniatur, quàm inobedientia militum. Hic ego Scipionem plusquam alibi ob inobedientiam commotum vidi; quòd nisi mitis, clemensque illi natura foret, forsitan præsidii principes eo die securi jure percussisset.

Cùm Polonus Scipioni suaderet pridie Idus Septembris, ut ejus equitatui succenturiaretur, quem ad cancellos usque Castrorum Annibalis magnam bovum prædam acquisiturus paraverat. Impetravit quod voluit ab Imperatore suavissimo; quam quidem ob rem postquam primi equites excurrerant cum præda bovum, & equorum pabulantium ne parva quidem revertebantur; Equitatum hunc præsenserant Sforciani, Bracchianos redeuntes per insidias intercipiunt in vallis, aditibus, & ostiis, unde nullo pacto salvi esse poterant. Principio deserunt prædam ingenti industia, & sudore partam Bracchiani, ut possint cum hoste sinè impedimento dimicare; sed propter viarum angustias, & locorum iniquitatem, licèt fortiter, tamen infeliciter pugnaverunt; duo enim Polono equi occisi sunt. Angelus Politbethis hostium manus mirificè evasit, & quamplurimos virtute sua ab hostibus liberavit; Mathucellus ab hoste circumventus vulnerato equo viriliter hostium manus effûgit; Marianus de Sancto Severino, miles alioquin perstrenuus, hic infelix, dùm socios deserit cum octo ex militibus Bracchianis captus est. Hunc olim transfugam confestim laqueo Annibal suspendit; quod factum tulit Scipio molestissimè, & Chechum ex Hetruria, quem in compedibus habebat, illico cruci affigi fecit; sed Marianus eo die malè libenter arma sumpserat: in somnis enim superiori nocte acceperat, se laqueo suspensum. Quod somnium omnes parvi faciendum persuasimus.

Interea Oratores ex Renato Duce ad Annibalem veniunt, quorum secreta ignorabantur. Sed fama eò venisse, ut significarent, Gulielmum Ducem Monferrarii Marchionis germanum cum Annibale nonnullis conditionibus reservandis persuasione ejus convenisse. Quin etiam Renatum Ducem referebant Gaidum brevì ad Annibalem venturum.

Sexto decimo Kal. Octobrias Ludovicus Malvecius Præfectus quidem militaris perstrenuus cum Marrucho Præfecto Bracchiano, & Pazalica clarissimo peditum Chyliarcha acceptâ ab Imperatore veniâ commeatus, & supplementa

Digitized by Google

menta Castrorum Annibalis, dato ordine subsidii inter Isulellam, & Calitisianum invaserunt, rem omnem turbavere, præsidia superarunt, & cum ingenti armentorum, bovumque, & commeatuum præda revertebantur; adsunt subsidia Annibalis cohortes quatuor. Expectant Veneti eos, qui sibi succenturiari debent. Ad inferendum subsidium prodiit nemo: paucos igitur cum pluribus certare oportet, iniquo Marte; tandem præda in partem relinquitur, captis inde octo & quadraginta bobus captivis pretio redimendis, decem ablatis, quin etiam aut dispersis quamplurimis mercimoniis, quæ ab institutoribus in Castra Annibalis deferebantur; sed cùm Veneti non possent superiori Hosti resistere, amissis tribus & decem equis, paulatim cesserunt, captis etiam perpaucis peditibus, qui statim in sua Castra remissi sunt.

Interea literæ ad Scipionem, & Legatos delatæ sunt, divum Alfonsum Regem magno cum Exercitu, & classe in Tusciam brevì perventurum, aurumque per stipendiarios distribuisse; senserat enim Pojanum Oppidum, & alia quædam loca, quæ superiori anno à Florentinis defecerant, nunc ab Alexandro Sforcia, quem in eorum subsidium Annibal miserat, vi superata, ac direpta, & ejus unigenitum Filium Don Ferdinandum ob imminentem febrem Exercitum reflexisse, & apud Pitilianum commorari. Quod Oppidum inter Senensem agrum, & Ecclesiæ patrimonium situm esse, certum est.

Quarto decimo Kal. Octobrias Albanensis Præfectus Scipionis militaris, & miles, nullo utriusque Exercitus, meâ sententiâ inferior, apud Montoronum dum quinque milites solus, audusque caput aggreditur, gladio inter dimicandum post aurem sauciatur, quo ictu subitò decubuit; hujus mortem Scipio quàm familiariter flevit. Quod in honore funeris intelligi potuit, collacrimantibus enim, qui aderant, Ducibus cum ingentissima pompa, & gemitu utriusque ordinis militum, apud Balneolum ære Scipionis sepultus est.

Gibertus ex Corrigii Dominis apud Turrim Bachanelli cum quatuor cohortibus, ac peditibus ferè octingentis manum cum quinque aciebus Mantuani Principis, & peditum multitudine conseruit. Tandem in fugam convertit, captis quatuor & viginti militibus, equitibus verò levioribus sex & decem, cum peditibus centum & quinquaginta, etsi superioribus diebus agrum Mantuanum excurrisset & cum ingenti armenti, gregisque præda, & captivis quamplurimis in suam regionem revertisset.

Gulielmus Dux cum Annibale conditionem accepit, suasu Renati Andegaviæ Ducis, qui è Provincia in Italiam copias suas trajiciens, ad præstandum Florentinis, & Annibali auxilium venit. A quibus opportunè subsidium expectabat, ut Regnum sibi Siciliæ vendicaret, quod possidebat jure hæreditario divus Alfonsus Aragonum & Siciliæ Rex, etiam à Pontifice Maximo Eugenio Quarto privilegiis confirmatum; hæc Gulielmi Ducis concordia magnam attulit Annibali jocunditatem, propterea quod Alexandrinum agrum à belli vexatione liberavit, & cohortes, quas illic, Culione duce, habebat, ad ejus Exercitum revocavit. Quapropter ingens lætitia in regnis, quæ habet plurima, subitò exorta est, adeò ut nocturnæ flammæ in arcibus sublatæ siderum lumina superarent.

Decimo Kal. Octobris Petrus Brunorius cum maximo peditum equitatu, & equitibus ferè tricentis Pavoni suburbium diripuit, tametsi ab Oppidanis pars incoleretur; sed cùm deinde Oppidum oppugnaret, sagittarii pro loci custodia ab Annibale deputati cum domesticis, qui aderant, stipendiariis & Oppidanis bipatentibus portis, ac demisso ponte prosiliere, manumque cum hoste viriliter conseruerunt non sine magno Brunoriæ gentis incommodo. Nam plus quàm inde discederet, octo & decem ex sociis vulnerati sunt, cæsi verò tres. Qua de re varia erat in Castris militum, Ducumque sententia; nam alii hoc factum ad Cyliarcæ magnanimitatem, alii ad temeritatem pro loci difficultate referebant, ab omnibus tamen ordo Brunorii, & diligentia laudabatur, quòd sub optimo & peritissimo Imperatore Annibale militaris rei scientiam didicerat.

Cùm ab utroque Exercitu nono Kal. Octobrias perstrenui milites equitarent: hinc Angelus Politbetis cum equitibus triginta, ac peditibus centum, inde domestici Annibalis milites numero quadraginta, pedites verò quinque & decem, alii aliis excurrentibus eodem itinere obviam facti sunt. Hìc strenuitate egregiorum militum acerrimè decertatum est, ut nec ubi unquam acriùs aut crudeliùs; Angelus Politbetis ad terram ab equo dejectus, victoris equum pedes occidit; Fustichettus in sura lethaliter sauciatur. Octaviano equus confoditur, qui omnes ab Annibale ad Scipionem transierant; Antonius Politus duplici vulnere perstrinctus est. Julianettus domesticus Scipionis miles, circa ilia ictus ad tentoria languens revertitur. Ex peditibus multi decubuere, jacti sagittis quamplurimi. Ex Sforcianis verò multo plures quàm erant Veneti numero peditum superiores. Res nunciatur Scipioni, qui furore subito accensus, arma simul, & equum deferri sibi mandavit, domesticos familiares, & Præfectos quinque militares sequi abeuntem sese imperavit; at festinans, comite Legato Jacobo Antonio Marcello, viro quidem ut sapientissimo, ita magnitudine animi præstantissimo, hostem petiit, quamvis tardiusculè, & ego secum unà. Erat enim sedata militum pugna, & Sforciani ad Annibalem confugerant, qui in latos Montoroni campos, licèt ultra amnem, cum Legatis Renati Ducis, cumque Principe Mantuano, & aliis quibusdam Ducibus locorum fortassis explorandorum gratiâ venerat. Hunc postea quam Scipio inspexit: *volo*, inquit ad Legatum, *ut hodie vesperi experiatur Annibal, quid sit fugere*; deinde strictis suo ordine militibus nonnullis, quos secum habebat, levi armatura indutos, paratisque ad succenturiandum cohortibus, excursores ante misit. Intellexit rem Annibal, cui verba dare difficile est, ac paulatim Gaidum versùs equum convertit. Astutè quidem, qui expectare noluit, ut ab hostibus invaderetur, propterea quòd fuisset contra tanti Imperatoris auctoritatem, & tamen ejus milites armis circunfusi cum parte inermium restiterunt, expectantes quidnam sibi hostis velit. Irruunt Bracchiani. Illi primùm leviter armatos parvi facere, nostri favore magnanimi Imperatoris freti clara voce invadere. Illi sese viriliter defendere. Hìc permulti utrinque sagittis, aut plumbeis glandibus sauciantur, propterea quòd ex pedestri ordine milites undique ad clamorem concurrebant; superventi Scipio, recipiunt majores animos Bracchiani. Hoste verò Imperatore viso cedere. Accedunt interea

Digitized by Google

interea acies, quibus visis omnino Sforciani terga verterunt. Hic nonnulli capti sunt, sed perpauci juditio meo evasissent, nisi pugnam mox superveniens diremisset. Tum Scipio prudentissimus socios omnis ordinis in unum tubarum clangore collegit, ne per insidias fortasse aliqui interciperentur. Tandem ad Castra cum Legato ad multam noctem revertitur. Unus tantùm ex Bracchianis captus est Michaël Corsirus, miles quidem egregius; sed eo die infortunatissimus, qui cùm vellet postremus virtutem suam (ut solitus erat) cùm hostibus experiri; casu equi ad terram prostratus, ab hoste captus, ad Annibalem ductus, crucique affixus est, quòd superiori anno ab Annibale ad Scipionem transfugerat. Quod factum Scipio clementissimus ægrè nimis, ac molestè tulit.

Jam de pace Italica Romæ apud Pontificem maximum agebatur, ut unitis Christianæ Religionis Principibus, (Turcorum) adventui obsisti possit, qui Italicos fines devictâ Græciâ, terra, marique visere festinabant. Jam Legati Romam proficiscuntur, cum ab divo Alfonso Rege, & Venetorum Dominio, qui fœdus decennio percusserunt, tum etiam ex Florentinis, & Annibale, qui non modò nova societate, sed veteri quadam benivolentia, & officiis ultro citroque datis, ita alter alterius tuerentur imperium, ut duo corpora, una anima unoque frui spiritu videantur.

Septimo Kal. Octobris Scipioni paratæ sunt insidiæ. Erat enim solitus prope Vineta Gaidi locorum explorandorum causâ deambulare. Is ducebat eo die secum tres acies, & domesticos milites pedites centum, & sagittarios quinquaginta, cùm essent hostium cohortes sex, & quingenti pedites, quibus Periohanne præerat. Imperator casu in hostium insidias incidit, quos in ipsis latibulis virili animo invasit. Prodeunt Sforciani, ut milites fortes decet, manus utrinque conseritur. Illi Annibalis, hi læto Scipionis favore fruebantur. Omnes, ita mihi Dii Deæque benefaxint, erant Annibales, omnes erant Scipiones. Pugnatum est usque ad seram noctem, nox acre prælium diremit; cedebant tamen paulatim Sforciani, ac sese cedendo defendebant. Tum lætus ac voti compos Scipio milites ejus ex utroque ordine revocabat, qui adhuc hostem insequebantur, ne qua calamitas intercederet. Moxque cum Legato Marcello, qui semper aderat Imperatori, facibus in Castra revertuntur. In eo prælio hinc, atque hinc equi plures hastis, sagittisque icti, & eviscerati sunt. Cola Aversanus miles quidam egregius crure trajectus occiso equo infixus sedi restitit. Antoninus in cervice vulneratus. Angelo Politbeti equus sauciatur. Zucius Urbevetanus, & Homodarme Præfecti lautissimè dimicaverunt. Philippus Pauli Rosei gener, qui ferro ceraso ictus, subitò cecidit, magnam eo die gloriam pugnando fortiter dedit adolescentiæ. Ex peditibus autem Johannes Athelanus, & Franciscus Octeanensis palmam retulerunt. Quibus erat adjunctus Miniconus Neapolitanus miles ex equestri ordine. Sed in ea pugna pedes hic cæteros, & agilitate corporis, & animi magnitudine superavit, quem pro ejus virtute Scipio in Castra regrediens equo fortissimo donavit. Ex hostibus autem Periohannes auctor insidiarum, & Johannes Picininus Luscus magnam in armis gloriam vendicaverunt; ex Sforcianis sex milites capti, & ereptis equis liberati sunt.

Cùm intelligeret Scipio Culionem Ducem cum octo & decem cohortibus, quas regebat in Bello Alexandrino, ad Annibalem redire, & Renatum Andegaviæ Ducem cum quatuor Gallorum millibus in ejus Imperatoris auxilium adventare: illico dedit operam, in unum stipendiarios Venetorum reducere, ac loca Castrorum corroborare, cùm esset numero stipendiariorum Annibale multo inferior. Instituêre quinetiam Legati tricentos Sagittarios conducere, totidemque Scoppecterios, & Fonditores, & agrestium, Oppidanorumque multitudinem ad decem millia cogere. Eo tempore Furlivii Dominus cum equitibus quadringentis, & peditibus centum stipendio Venetorum conductus ad Scipionis castra pervênit.

Tertio Kal. Octobrias cùm Ludovicus Malvecius, & Johannes Villanus Præfecti militares cum Pazalia peditum Cyliarca perstrenuo, equitatum Sforcianorum trans Olium amnem sentirent: qui Singo discedebant, acceptâ ab Imperatore veniâ cum equitibus quingentis, & magnâ peditum copiâ è Castris noctu discedentes vestigia hostium invenere. Quos, eo loci, unde venturi erant, in insidiis præstolati sunt. Hi erant equites centum & viginti, pedites verò centum & quinquaginta. Jam cum præda, & captivis Sforciani revertebantur, quos ex insidiis prosilientes Bracchiani utriusque ordinis aggressi sunt. Illi verò quamquam subito terrore perterriti, hosti frontem ostendunt, certant utrinque virili fortique animo. Præda autem, quæ salva esse non potest, deseritur, ut ardentiùs decertetur. Denique victi terga hostibus nudaverant. Hìc sex & viginti milites capti sunt, ac pedites sexaginta. Quos omnes sinè equis imperio Scipionis ad Annibalem remiserunt, præter Francalanzam militarem Præfectum, & militem non instrenuum, quem quoniam à Scipione ad Annibalem transfugerat, laqueo gutturi injecto suspendebat; sed militum prece motus, & pietate sua, quam habet à natura innatam, hominem vita donavit, sed in compedibus detinuit, non immemor ejus sententiæ, quam superioribus diebus ante oculos posueramus, de virtute cum hostibus, non de crudelitate certandum.

Illis diebus querimonia stipendiariorum in castris exorta est, & cùm essent in maxima pecuniarum caritate, nemo erat, qui eorum necessitati sucurreret. Quare multi transierunt ad Annibalem, plurimi transfugium minabantur, quum alere domesticos eorum non possent. Hìc maxima fuit Legatorum diligentia, qui misso Clemente eorum fidissimo scriba, magna cum auri quantitate reversus est. Nam cùm de militum egestate orationem habuisset in Senatu non ignobilem, celeriùs necessitati Exercitus provisum est.

LIBER SEXTUS EXPLICIT.

SEPTIMUS.

SEPTIMUS INCIPIT.

INterea praeditiones Vatum, Astrologorumque juditia ex variis mundi nationibus in medium afferebantur, quae in eamdem sententiam conveniebant astra scilicet Annibali aut mortem, aut non mediocre periculum minari, & liberis. Idque futurum ante Eclipsis solaris adventum, quam fore pridie Kal. Decembris, omnes praedicebant. Addebant quinetiam nonnulli, tanta auctoritate Imperatorem domesticorum suorum proditione periturum. Quae juditia omnia, & praeditiones Annibal sibi ipse fidens, & fatorum institutionibus irridebat.

A Tertio nonas Octobrias militibus, Ducibusque à Scipione imperatum est, ut eo die nullo pacto cum hoste certetur. Nam cùm is dies foret Veneri consecratus, minus libenter cum hoste dimicabat; sed pro nimia Imperatoris familiaritate, quidam pro eorum magnanimitate mandatum contemnentes in Campos Montoroni, qui erant utrique exercitui convenientes, accincti armis profecti sunt. Quae res & honorem Imperatoris, & Exercitus salutem, & imperium Venetorum in discrimen adduxit; contigerant enim Karoli Gonzaghae militibus eo die Castrorum praesidia. Is imperium Scipionis exercitus cùm Venetorum duces hostibus cedentes inspiceret, & dispersos, captosque milites, nunciavit Imperatori, ut suis accurreret, aliter vix & quempiam posse hostium manus effugere, cùm essent in loco, ubi pugnabatur, cohortes equitum duae & decem, pedites verò sexcenti. Scipio admirans priùs, deinde dolens, fuisse suos minus obedientes, dimissâ coenâ, quam vix incoeperat, equum sibi illico deferri mandavit. Dehinc solus cursu continuo per duo millia passuum ad pugnae locum applicuit. Corneum Karolum Comitem Duces, & quosdam militares Praefectos diverse fugientes invênit. Ad quos sic loqui coepit: *En scipio adsum vobis, properant subsidia: quò fugitis ò dilecti Duces, & Commilitones egregii? Si hostem inermis invasero exque . . . . gietis? Si honori vestro consulitis, hàc me sequamini*. His dictis, commoto equo calcaribus agitatis in hostem tetendit. Tunc Duces, qui aderant, pudore affecti sequuntur Imperatorem; milites verò per campos dispersi in unum, Scipione viso, coguntur. Tum Scipio magnanimus; *hàc*, inquit, *hostis invadendus est*, fretusque incredibili celeritate, & ingenti animo milites suos animosiores facit adeò, ut cedant paulisper Sforciani. Hic Tibertus Brandolinus posteaquam Scipionem oculis suis inspexit, desertis cohortibus, quibus praeerat, alam, quae erat in lato campo, petiit, nam inter vineta, & arbores ante dimicaverant. At Scipio cùm Tibertum cedentem, & alam minus auxilium afferentem Sforcianis inspexit: *hodie*, inquit, *ò socii victores erimus*, statimque collectis nonnullis equitibus, stare contra alam mandavit; moxque inde abiens adventu suo peditum multitudinem perterruit. Putabant enim omni cum Exercitu adventasse Scipionem, qui parva manu millia hominum armatorum invadebat; sed tanta erat apud hostes Imperatoris auctoritas, ut dicerent, malle se cum universo Exercitu pugnare, quàm inter praeliandum cernere Scipionem militibus suis subsidium afferentem. Denique vertebant terga Sforciani non sine magna eorum incommoditate, & dedecore. In hac pugna ex Venetis sine numero inicio sauciati sunt, caesi septem. Furlivii Dominus captus est, qui illis diebus stipendio Venetorum conductus venerat ad Scipionem. Bous in nodo gulae sauciatus, carmine liberatur; Orlandinus Marthinenghus magna cum laude magnanimitatis suae captus ad Annibalem deducitur. Sed ob Scipionis adventum exitus fuit Sforcianis infelix; plures enim milites capti ex illis, ac caesi sunt. Multo etiam plures vulneribus confossi. Interea omnes Castrorum acies instructae Scipionem sequebantur. Nec minus Annibal Tiberto, sociisque succenturiabatur. Sed nox pugnam diremit. Scipio in Castra revertitur, nimis impacienter ferens, ejus diei pugnam contra ejus imperium initam.

B Beltraminus Sagittariorum Centurio transfugii suspicione Scipionis imperio captus, & in carcerem apud Lunadum magna cum omnium admiratione detentus est, cùm ex domesticis familiaribus nemo esset Scipioni carior, nec quisquam, cui Scipio majorem fidem praestaret.

C Nonis Octobribus Renatus Dux ex Cremonensi discedens, Hostianum venit. Quod Oppidum ex Mantuano agro juxta Olium amnem situm est. Hic ab Illustrissimo, liberalissimoque Marchione magnificentissimè receptus est. Postero die inter Gameram, & Insulellam hospicio susceptus est. Inde Gaidum versùs venit, cui Annibal cum triginta cohortibus, & peditibus mille obviam profectus est, etsi duceret ille secum tria Gallorum millia, haberetque itineris comitem Culionem veteranum Ducem cum aciebus, quibus in bello Alexandrino imperabat, tribus & viginti, & sagittariis ex Liguria (ut ajebant) mille, priusquam Gulielmus Dux cum Annibale de pacis conditione tractaret. Qui cum Renato Duce arbitro concordavit. Scipio interea copias suas omnes, quas vel in Cremonensi, vel in Brixiensi agro dispersas habebat, ad exercitum redire imperavit. Quas omnes, & hastis, & sagittis, & aliis telorum generibus, muniebat. Quin etiam nonnullas pecunias per milites utriusque ordinis viritim distribuebat.

D Jam praelium nobis minatus est Annibal. Jam Scipio cum hoste praeliari ardenter expectat. Omnes utriusque ordinis milites praelio sese accingunt. Jam pugnae opera datur: Instructae sunt à fronte primae acies, paratae sunt postremae, divisae alae, & cuncti suo ordine distributi, parique modo peditum Centurionibus, & Cyliarcis suus ordo datus est. Parata sunt tormenta, frequentant commeatus, & supplementa Castrorum; nunquam, Serenissime Princeps, Scipionem vidi alacriorem, nunquam jocundiore vultu milites ad praelium cohortantem. Vestes, arma, equos, & quae habebat, omnia inter egregios Socios distribuit. *Quaerant*, inquit ipse, *rem Duces alii, ego verò rebus omnibus honorem, & gloriam antepono*.

E Interea Castra Venetorum corroborantur muris terreis undique circumfossis, scrobisque non profundis modò, verùm etiam aquis Navilii,

Digitized by Google

lii amnis oppletis. Idque fieri arbitror Legatorum prudentissimorum, Ducumque consilio, ne fortè hostis nunc potentissimus Castra invaderet, priusquam dispositi per præsidia Castrorum milites & Oppidanorum copiæ cogerentur; sed & enim animo audentissimo Scipionis omnino collatis signis cum Annibale præliari, virtutemque, & animi præstantiam cum fortuna experiri. Illum ne velit fors in amplitudinem regnorum pervenire, an ab ejus imperio declinare. Parte alia Melono amni navilium conjunxere, ut nullo pacto ad nostra Castra sine discrimine perveniri possit. Alter Exercitus Annibalis, ductoribus Renato Duce Andegaviæ, & Colione natione Bergomensi, ad Venetorum Castra facilè pervenirent. Quare aquis undique diffusis, ruptisque ab utroque latere itineribus, crebritudine fossarum rectâ tantùm viâ, unde feruntur ad Castra commeatus, perveniri potest.

Tertio Kal. Octobrias moturus Castra Annibal, omnes Gaidi aditus, & obices effregit, foveas dejectis muris terreis solo adæquavit, & bastitarum alteram dejecit, quam Mirabellam appellabant, etsi aquis Navilii amnis esset circundata, parique modo Montoroni turrim terreo muro disjecto, quem inexpugnabilem fecerat, prosterni, diruique mandavit, & quicquid potuit igne combussit; Scipio autem cum equitibus ducentis, totidemque peditibus, quid Annibal faceret diligentissimè scrutabatur, circumque ejus Castra cautus Imperator agrum omnem percurrebat. Tandem amotis tabernaculis, exustisque tuguriis, & casulis, quas in usum suum milites struxerant, instructis cohortibus, & peditum copiis, præmissisque impedimentis inter Gameram, Prabuinum, & Pavonum profectus, locari Castra mandavit. Parte alia Renatus Princeps, Andegaviæ Dux, Gamera abiens cum ejus Exercitu pridie nonas Octobrias cum Annibale sese mutuò salutarunt.

Nonis Octobribus Annibal, constructo ponte super Amella amne, Castra trajicere simulavit; Scipio illi diligenter occurrit, inter Manerbiam, & Bassanum. Hìc acris pugna facta est, in qua ex utroque Exercitu plures equi, & milites cæsi, ac vulnerati sunt. Eo die Alfianellum, Sangervasum, & Bassanum Brixiensis agri Oppida ad Annibalis fidem confugêre, & alia quædam Oppida memoriâ litterarum indigna. Tandem apud Bassanum Annibal Castra sua locavit. Scipio autem cum Legatis Manerbia discedentes, Porcianum reversi sunt, dimissis pro loci custodia Karolo Gonzaga cum cohortibus decem, & Brunorio cum peditibus octingentis, & equitibus centum. Qui tota nocte instruendis obicibus, & cavandis foveis indulserunt. Postero die fundatis æneis tormentis, oneratisque pluribus lancearum plaustris per milites viritim distribuendarum, Scipio ante lucem cum omni ejus exercitu Manerbiam reversus est, structisque suis aciebus, & peditum centuriis cum Oppidanorum multitudine; manum cum hoste conferere instituebat. Annibal interea præmisso Renato Duce versùs Pontemvicum duxit exercitum, atque id Oppidum obsidione circunsedit. Parte alia Scipio in Virolam Algisam profectus est, nam erat altera, quam veterem appellabant. Qua pedite stipendiario munitâ, Brunorio comite in tentoria sua revertitur, quem Bona cassidata, & ense nudo sequebatur.

Postridie ænea tormenta ab Annibale ad A muros Pontisvici dejiciendos locata sunt. Pro cujus loci custodia stat Petrus Palmerius cum peditibus stipendiariis ferè tricentis, & Oppidanis, qui ex montibus venerant, centum & quinquaginta.

Rebechum ex Cremonensi agro Oppidum trans Olium amnem, quod distat à Pontevico mille passibus, defecit à Venetis. Bordellanum verò Tibertus, & octo Gallorum cohortes cum magna peditum multitudine oppugnarunt. Sed vulneratis, cæsisque pluribus, expugnare non potuerunt. Postero verò die ad Annibalis fidem confûgit Castellum Butanum, & Castellum Muranum, & alia quædam ex Cremonensi agro oppida, quæ superiori tem- B pore ab Annibale defecerant, nunc in Annibalis potestatem devenere. Bastita juxta Urbem Cremonam ad secundum lapidem à Venetis stipendiariis sponte deserta, atque igni consumpta est.

Brunorius Pavonum Oppidum cum suis tantùm peditibus sese expugnaturum apud Scipionem gloriabatur. Acceptâ igitur veniâ ab Imperatore, acceptisque à Scipione tricentis fortasse equitibus, cùm aquam profundissimam è foveis educere nocte interveniente non posset, oppugnare Oppidum tentavit; qua in re percussi plures ex suis peditibus, ac cæsi sunt. Reliqui verò è vallo turpiter ejecti.

Tertio decimo Kal. Novembrias Scipio C moveri Castra sua, atque in suburbiis Manerbiæ locari mandavit. Sed scrutatus quid Annibal ageret, mutatâ sententiâ, impedimenta dimissa Castra repetere apud Porcianum imperavit.

Interea Annibal Pontemvicum, locum judítio omnium inexpugnabilem, milite, rebusque omnibus munitum, Gallorum (ut fama erat) virtute, & auctoritate sua expugnavit, diripuit, & cùm maxima utriusque partis cæde igne consumpsit. Rumor erat, Gallos propter eorum socios, qui in pugna ceciderant numero quadraginta post victum Oppidum, sævisse in omnes cujusvis ordinis milites, aut sexus, usque ad pueros. Factum sanè inauditum, & crudele in Italicis regionibus. Audivi Scipionem enarrantem, negligentiâ Oppida- D norum, qui superiorem Oppidi partem defendebant, Oppidum à domesticis militibus Annibalis superatum. Petrus Palmerius, qui utriusque ordinis militibus præerat, captus est, Quinque milites Ursi Ducis, qui eorum virtutem in pugna ostenderant, cæsi sunt.

Defecit interea è Venetis Lunevoltum; sed cùm Annibal Castra moveret, Scipio etiam movit, existimans hostem apud Suncinum, & Urceos-novos Castra locaturum. Ergo acies versùs Curticellam direxit, quo impedimenta per rectum iter Balneoli conferrentur, quod tucius fore videbatur; sed cùm Annibal ea nocte apud Virolam Castra sua locasset, reflecti impedimenta Scipio, & militiam impera- E vit. Rursumque apud veterem Porciani stationem resedimus. Eo die Virola, & alia quædam Oppida ab imperio Venetorum defecerunt; Scipio autem hostis visendi cupidus, cùm esset apud Oflagam, quod Oppidum fuerat superiori anno igne consumptum, Roderberto de Sancto Severino obviam factus est, Hìc datis Imperatorum signis non congruentibus, acerrimè dimicaverunt adeò, ut permulti milites, & equi utrinque sauciarentur; sed interventu Annibalis pugna dirempta est. Erant enim cum Scipione cohortes quinque, pedites

ducea-

ducenti. At cum hoste longe plures. Sed virtute Imperatoris, & opportunitate loci superior Scipio ab hoste discessit.

Annibal nono Kal. Novembrias inter Quinzanellum, Curticellam, Burdellum, & Lenghenam Castra sua trajecit. Quæ Oppida ex Brixiensi agro cum quibusdam aliis aditione Venetorum desciverunt.

Profectò, Serenissime Princeps, incomparabilis debet esse gloria Scipionis, qui tot clarissimorum Ducum, Regumque & Imperatoris summa auctoritate potentiam, virtute, diligentia, & mira animi magnitudine, parva manu sistebat. Nunc qua ratione Serenitas tua fecerit, ut à potentissimo Venetorum imperio pecuniis ita parceretur, ut ne parem quidem exercitum Scipio cum Annibale regeret, tuo ac sapientissimo Veneti Senatus consilio differendum relinquo.

Johannes Comite, dux quidem præclarus, & animi magnitudine, & fide, cum Ductoribus, & Præfectis militaribus numero tribus & decem, quos Mantuanus Princeps in Veronensi bello prælio victos cepit, captosque sub fido custode servavit, facta inter Imperatores nova lege, liberantur. Ea est hujusmodi, ut milites, ducesque cujusvis ordinis ab hoste capti ad eorum Imperatorem remittantur, præter Principem Mantuanum, & Venetos Legatos. Qua de re publicæ cautiones utrinque demonstrari possunt.

Nono Kal. Novembrias motis signis, structisque hinc ordine suo cohortibus, indeque impedimentis, Scipio apud Caprianum locaturus Castra sua trajecit. Quod cùm Annibal sentiret, rem omnem, & consilium Scipionis turbavit, propterea quòd priusquam essent stationes distributæ, quædam ejus acies, & peditum copiæ in latis campis prope Amellam amnem apparuerunt. Quare oportuit longo agmine reflectere Exercitum, & versùs Bastiam Poncaralli locare tabernacula, ne acies implicitæ impedimentis aliqua ratione ab hostibus offenderentur. Nam cùm Veneti tuta tenerent per arctas vias turbato ordine, loca Castrorum locandorum aptiora invenire festinabant. Idque, absente Scipione, qui hostibus advenientibus semper erat magno animo oppositus, tametsi vada, & Amellæ amnis pontem, unde hostis adventare poterat, Franciscus Otheanensis, Joannes Athelanus Centuriones egregii, & Brunorius Cyliarca servabant. Hic Annibal nullâ animi præstantiâ usus est, ubi Scipionem ab altera parte armis accinctum vidit, cujus sola auctoritas eo die Exercitum servavit.

Sed nescio quomodo Venetorum Exercitus paulatim minueretur, ut tria peditum millia ab illo ad Annibalem transirent. Arbitror id factum esse pecuniarum caritate; etenim eo tempore (ut licenter Serenissime Princeps tecum loquar) Dominium Venetorum alioquin liberalissimum, pecuniæ nimis pepercit, adeo

A ut virtuti Imperatoris, & auctoritati parcitas vestra aliquantisper derogaret, quamvis parva manu præstantissimo animo hostis potentissimi conatus, & impetum tolleraret; cujus signa omnis ordinis milites etiam sine stipendio perlibenter sequebantur. Idque ratione faciant, hæc est communis omnium sententia, quòd milites honoris, & gloriæ cupidi, Annibalem Imperatorem veluti secundum Martem venerantur, & colunt, ejusque auctoritatem maximi faciunt. Venetis autem aviditate pecuniarum inserviunt, quibus exuberant. Scipionis verò auctoritatem observant, singulari ejus virtute & animi excellentia. Hunc utriusque Exercitus milites, ac duces Martis primi filium

B vocant propter eam præstantissimam patris auctoritatem, qui fuit Imperatorum omnium hujus ævi ornamentum, & decus. Nec aliter de filio sperare possunt, cui maximam hostium gloriam sperant fato, & Diis volentibus reservatam.

Apud Poncarallum omnis militia Scipionis, quæ erat per municipia distributa, colligitur. Sed ut verum loquar, nos eramus hostibus numero inferiores; coactis namque omnibus, quæ sub . . . . tum cohortibus, duæ erant . . . . quinque millibus pauciores, ceteri transfugæ ad Annibalem transierant, cui sunt (ut fertur) centum & triginta equestris ordinis acies.

C Ex pedestri verò ordine sex millia, & tamen à fronte potitur, à Scipione etiam in latissimis campis * tantum militibus suis fidit, ac magnanimitati, & auctoritati suæ.

Sed Brixiensium querimoniam silentio præterire non possum; omnes enim Primates, & cujusvis ordinis Cives etiam . . . . Prætorum aures lamentis publicis replent; dolentque quòd seminibus operam dare non possunt, villarum domos exustis trabibus, diruptis tectis, & parietibus solo adæquatis, dejectas inspiciunt; incisas vites, & arbores crebra securi cadentes. Quin etiam majori dolore afficiuntur, quòd plus incommodi, damnique ab Amicis,

D quàm ab hostibus sentire videantur. Parte alia, fama erat, Venetos ideo pecuniis parcere, nec augere Exercitum, quoniam paci vel induciis fidebant, quas brevi indicendas arbitrio Pontificis Maximi sperabant, ut sine controversia omnis Principum Italicorum potentia contra Barbaros ad arma capienda conveniret. Ego verò aliter à Legatis, & Prætoribus sentiebam; nam cùm aliquando interloqueremur, roganti mihi, sapientissimè respondebant, quàm maximas esse hoc tempore Dominii Venetorum impensas, propter classem, quam maximam parabant pro regnorum suorum defensione, quæ aliter vexanda, diripiendaque & igni consumenda prævidebant. Addebant quin etiam, Annibalem nunquam pacem ipsis volentibus negaturum. Quibus verbis, cùm mihi videretur verisimile, fidem præstabam.

LIBER SEPTIMUS EXPLICIT.

Digitized by Google

OCTAVUS INCIPIT.

ANnibal Exercitum movens, cùm suis, & auxiliatorum viribus fideret, quarto Kal. Novembrias Manerbiam circumsedit. Quod Oppidum superiori anno ab eo discedens, iterum vênit in Venetorum potestatem. Tum Scipio præmissis impedimentis . . . delectos milites legit, & Annibalem ad secundum lapidem, à fronte petens in arma provocavit; sed cùm astutissimi Imperatoris ordinem turbare non posset, reflexis cohortibus sua Castra apud San-Zanum diligentissimus Imperator locavit. Qui vicus ab Urbe Brixia tribus millibus passuum distat. Postridie Manerbienses, & Lenenses deserti turpiter à Venetorum stipendiariis ad Annibalem confugerunt.

Interea fama erat, potentissimum Aragonum Regem in Tusciam cum Exercitu non mediocri quidem, & classe maxima contra Florentinos venturum. Quod ideo facilè creditum est, propter adventum Renati Ducis Regni Siculi competitoris, tametsi longe melior sit ejus conditio, qui Regni possessionem jure maternæ adoptionis, & Pontificalis confirmationis tranquilla in pace conservat.

Sunt qui, à Prætoribus Brixiensibus, & Legatis (ut sæpe aliàs) impræsentiarum familiariter petant, quamobrem eorum regna perire patiantur. Cur hostem quandoquidem maxima sit eorum potentia superiorem tolerent? quid pecuniis per milites viritim distribuendis parcant? paci ne an longioribus induciis fidant? Hæc omnia, cum admiratione hominum uno dumtaxat verbo absolvunt: Deos scilicet hoc tempore iratos sibi, & Annibali propicios, propterea quòd nihil certi, bonique in illum deliberari potest. Addebant quinetiam, sese apertè cognoscere homines cujusvis ordinis, & sidera, & fortunam, & superos aspirare. Sed sperant, Deos sententiam mutaturos, & Venetos plurimum virtuti Scipionis Imperatoris confidere, cujus Exercitum augere nuperrime in Senatu instituerunt. Interea nescio quo fato militet Annibal, ut sine ictu, sine pugna populi in deditionem ad eum confluant. Profectò haud iniqua est prudentissimorum hominum opinio, Annibalem militari scientia clarissimum ab omnipotenti fortuna ad magnum imperium deferendum, eamque caducam esse, & instabilem. At de incredibili Scipionis virtute ita divinant, ut cùm fortuna officium suum fecerit, illi soli sit victoria de Annibale reservata, tantam spem de virtute, animo, diligentia, & fide Scipionis concipiunt.

Legati Castrorum, & Brixiæ Urbis Rectores tantâ prudentiâ, tantâque diligentiâ officium suum faciunt, ut majori non possint, præsertim sapientissimus, eloquentissimusque Vir ille Patricius, ac Urbis Prætor Ludovicus Fuscarenus, qui cùm dies, ac noctes agendis rebus diligenter incumberet, Populum nihilominus Brixiensem, & Primates leni sermone cotidie alliciebat, hortabaturque ad pacientiam, ostendens suavissimo ejus eloquio apertissimos locos futuræ victoriæ Dominii Venetorum. His rebus cùm adessem, interdum vidi Cives Prætoris sapientiam admirantes,

A lætosque ad eorum familias revertentes, quia etiam dispositos omnia, si sit opus, extrema pati pro servanda fide, pro tutando illustrium Venetorum Imperio. Quam quidem ob rem omnes cohortatione illius clarissimi Viri perlibenter operi accingebantur, omnes eorum rem, & operam pollicebantur, tanta erat apud Brixienses præstantissimi Viri, ac Prætoris auctoritas.

Porcianum, amotis Venetorum Castris, ad Annibalem secretò confûgit. Qui cùm Castra ejus trajiceret pridie Kal. Novembrias, Clarum Oppidum, Pontolium, Castrazaum, Castrum Cohatorum, Palazolum, & quædam alia ejus regionis Oppida à Venetis defecerunt. Mox structis cohortibus Roadum Oppidum
B obsedit, in quo spes omnis Venetorum sita erat pro salute ejus regionis, quam Franciamcurtam vocant. Id Oppidum difficultate loci munitur victu, & rebus omnibus, quæ erant Oppido circunsesso necessaria. Quin etiam Conticinus, miles quidem perstrenuus, & quadringentorum equitum ductor, cum sagittariis centum, & scoppetteriis quinquaginta pro loci custodia à Scipione missus est.

Scipio interea Porcianum parva manu expugnavit, ac diripuit, Arcemque sexaginta peditibus munivit. Annibal verò ænea tormenta locaverat ad muros Roadensium dejiciendos. Quod cùm Scipio intellexisset, cujus omnis animus erat cum hoste decertare, sparsos
C per municipia milites in unum collegit. Parte alia, agrestes & Oppidani, qui montes incolunt, sumptis armis Annibalem à tergo, aut à latere aggredi virili animo polliciti sunt. Ergo necesse erat, armis arma concurrere, & Martem auctoritati Imperatorum, virtuti militum, & fortunæ Omnipotenti committere. Annibal verò cum pro ejus singulari prudentia rem omnem haberet ante oculos, cùmque per Amicos, quos habebat quamplurimos, ea res nunciaretur, militiam ejus omnem ad confligendum cum hoste cohortatus est.

Nec minus Scipio non modò milites, sed Oppidanos egregia oratione ad prælium committendum cohortabatur. Dimissis igitur Bri-
D xiæ impedimentis, ipse cum omni ejus exercitu in Franciam-curtam profectus est.

Est locus in ea regione, quem Monticellum vocant. Hunc locum in montium radicibus situm juxta Roadum ad quintum lapidem pars militiæ Annibalis oppugnabat. Quod cùm Scipioni nunciaretur, structis decem cohortibus, sagittariis ducentis, & expeditis centum & quinquaginta viriliter Monticello succurrit, hostem per colles, perque vallem dispergit, occupato aditu, per quem solum hostis tutò egredi existimabat. Erant Sforcianorum duo millia utriusque ordinis militum, quibus duæ Gallorum acies adjunctæ
E erant. Hæ cùm primùm ab hoste invaderentur, feroci animo pugnaverunt. Parte alia pudebat Bracchianos, cæterosque Venetorum Duces non vincere sub Imperatore Scipione, qui omnes ad pugnam incredibili animo ac favore prosequebatur. Quare omnes consequi victoriam innitebantur. Pugnant igitur aliquantisper Marte incerto. Tandem solo ordine Imperatoris servato, Bracchiani superiores exti-

Digitized by Google

extiterunt, cæsis pluribus ex Gallis, ex Sforcianis verò quatuor, captis tamen equitibus ducentis & quinquaginta, peditibus verò centum, ac cæteris per devia montium fugatis; qui postea quàm neminem ulteriùs persequentem inspexerunt, in unum collecti, ad pugnam reversi sunt. At cum hoste ita viriliter certaverunt, ut sex & decem equites ex Venetis cum Angelo Dirutano Præfecto militari, qui Venetis animos inermis addebat, inter pugnandum caperentur, vulneratis nonnullis, & claris quidem viris cum Antonino domestico familiari Scipionis, & Angelo Politbeti, qui eo die perquam fortiter militarunt. Hæc quidem res Annibalem monuit, ne fortunæ priori fideret, & feroces Gallorum animos Italicis virtutibus anteferret, neve sibi ipse persuaderet, omnia in ejus ditionem ventura sine sudore, & sanguine, cùm præsertim infestum sibi hostem habeat Imperatorem Scipionem primi Martis filium; cujus animus omnia audet ad similitudinem patris. Quem Romanis etiam Imperatoribus audeo jure optimo vel anteponere, vel æquare, & Illustrissimi Imperii Venetorum potentiam, quæ nullo unquam bello victa hostibus cessit. Jam Scipio ad sua Castra revertebatur cum Legato Hieronymo Barbadico, Viro quidem cum in cæteris rebus, tum & in primis pro Republica diligentissimo; qui tantâ benivolentiâ Scipioni afficiebatur propter animi ejus præstantiam, facillimos mores, & fidei in Venetos integritatem, ut majori non posset. Hi ambo cum Johanne Comite Rangono Duce, & Brunorio Cyliarcha de pugna in Gallos, de eorum ferocitate in primo congressu, de cæde, de captivis, deque ceteris rebus, quæ utrinque supervenerant, inter eundum loquebantur; maximè quo pacto Polonus prior hostem invaserit. Erat quinetiam sermo frequens de ordine Petri Advocati militis veterani ac Civis Brixiensis, cui locorum difficultates ita cognitæ erant, ut nemini magis. Qui inermis Gallum quendam per cassida deprehensum, accepta ab eo fide in ejus senectute captivavit.

Nonis Novembribus, Scipio Exercitum ejus Gussagum diligenter trajecit, quod Oppidum in radicibus montium Franciæcurtæ situm est, distatque sex millibus passuum Roado. Hìc primùm præconis voce magno cum tubarum clangore declaratum est, ut qui velint ab hostium Exercitu ad Venetos transfugere mercedem transfugii accipiant.

Postridie hostis, sagittis, & tormentis onerata ne pauca quidem plaustra ab urbe ad Castra Scipionis deferuntur. Qui omnino instituerat, aut Roadum ab obsidione liberare, aut cum Annibale incerto Marte præliari, fisus cum militum Ducumque virtuti, tum etiam aggrestibus, qui ex omni parte montium collecti descendebant.

Dum hæc tractantur, Oppida Glareæ amnis Abduæ ferè omnia ab Imperio Venetorum deficiunt, & ad Annibalem, tanquam clarum aliquod facinus fecerint, læta fronte confugiunt. Qui ita Roado infestus erat, ut tormentis in colle positis, domos ferè omnes dejecerit, atque aliis & quidem majoribus in planicie locatis, muros, & Oppidi defensiones concusserit, ratus Oppidum brevî expugnare, cùm post Germani adventum Alexandri Sfortiæ Ducis cum magnanimi, tum etiam scientiâ rei militaris peritissimi essent secum (ut ferebatur) octo & viginti millia militum. Quos omnes Scipio diligentissimus tanto animo invadere instituerat, ut nihil ei gratius, nihilque optandum magis esse posset.

Furlivii Dominus jampridem in Montoroni campis lapsu equi captus ab Annibale hac condictione relaxatur, ut præstituto tempore juvenis perbenignus regnum suum repetens arma intermittat.

Roadenses cum Sforcianis ad pugnam faciendam omni ferè die portas Oppidi egrediuntur. In quo certamine quam plurimi utrinque quovis armorum genere cæduntur, & sauciantur.

Annibal cùm muris tormenta nihil obessent, cavis cavernis operam dabat, ut Oppidum quacunque ratione expugnare posset. Roadenses verò, in quibus spes omnis Venetorum & Scipionis eo tempore posita erat, militibus, & Oppidanis, qui illuc confluxerant pro tutela loci, & re salva octavo nonas Novembrias in Annibalis ditionem sua sponte devenerunt; quod factum, fuit non mediocre vulnus Brixiensibus, qui cùm planiciei Villas, & Oppida ferè omnia perdidissent, nunc sperare vix in montibus possunt, unde erant ipsis hominum subsidia, & rerum ferè omnium copia inundantissima.

Interea Gussagum, & alia Franciæ-curtæ Oppida, & Villæ ad Annibalem tanquam ad Numen aliquod confugiunt. Tum Scipio, cui res Roadi, & aliorum locorum, quæ in montibus erant sita, præter spem evenerant, Exercitum subitò in Burgum Satullum dejecit, ne qua per latos campos ab Annibale, & per montes ab agrestibus aut militum, aut impedimentorum incommoditate impediretur, quandoquidem Castra ejus erant sub montium radicibus distributa.

Isegum in mediis collibus situm, quod Oppidum à lacu nomen accepit, ad Annibalis fidem confûgit, direptis stipendiariis, quos Legati in eorum tutelam miserant.

Pandinum à Scipione defecit, hoste etiam nunquam viso; sed cùm tota Abduæ Glarea, & Caravagium, præter Cremam, à Venetis defecisset, non poterat judicio Oppidanorum sub potestate Scipionis conservari.

Sexto idus Novembris Scipio in Rezatum, ceterasque Villas inter radices montium, & amnem Navilium circunfusas, motis signis Exercitum trajecit. Ad quem cum Prætore Brixiæ Rectores, & Primates Urbis profecti sunt, ut de liberatione tutiore, deque aliis rebus necessariis exercitui consultarent; propterea quòd imminebant jam nives & tempestates, pabula in Campis nequaquam inveniebantur. Quin etiam hostis numero militum superior etiam (ut fama erat) de hyematione cum suis Ducibus sermonem faciebat.

Jam excubiis nocturnis Brixiæ opera datur, adeò dilatatum est Annibalis imperium, ut etiam ad Urbis mœnia ejus milites usque discurrant.

Annibal pene voti compos majorem impedimentorum partem cum equis inutilibus, partim in agrum Cremonensem ad hybernandum remittebat, partim in Brixiensi disponebat. Ipse verò cum suis Ducibus, cumque commodioribus militibus, & peditum copiis per populos, qui in potestatem ejus venerant, liberè discurrebat, quandoquidem Venetorum Exercitus esset inter Villas distributus, non mœnibus circunseptus, sed flumine, & montium radicibus, quas Pedimontem vocant, in

cujus

Digitized by Google

cujus sola via Brixienses sperabant ; erat enim illis inde victus per Benacum , qui lacus inter agrum Veronensem , & Brixiensem situs est : Hoc non Scipionis diligentissimi & magnanimi Imperatoris , sed Venetorum culpâ evênit . Qui hoc tempore pecuniis , & impensæ pepercerunt ; credo , ut antedixi , ob parandam classem in Barbaros , qui cùm omnem ferè Græciam occupaverint, nunc, tanta est eorum insolentia , Italiæ ruinam , & servitutem minitantur .

Capuanus & Petachius Soncinum tertio Idus Novembrias cùm essent pro ejus loci tutela, direptum pro parte (ut ferebatur) deseruere , propterea quod , ut ipsi ajebant , Soncinenses ab imperio Venetorum deficere conspiraverant . At id verum esse , plurimi conjecturis judicabant . Nobis verò per id temporis Brixiæ commorantibus nunquam de direptione patuit . Illud certè scimus , Brixienses ob eam rem incredibili dolore affectos . Exemplo enim Soncinensium Oppidis in agro eorum restantibus , quæ perpauca erant, malè præsagiebant ; quod factum modestè fatis disseminabant , ostendentes futuram Dominii Venetorum infamiam , quandoquidem subditos ejus stipendiariis suis in prædam dari , ac diripi patiatur . Legati Exercitus, & Urbis Rectores, Capuani factum vehementer damnabant, audax facinus ausum invito Principe , & Senatu graviter ferente in medios Cives pervulgabant . Scipio verò rem nuncianti vix credidit, ostendens , non mediocrem esse suo judicio fidem & modestiam Capuani . Erant etiam , qui de Capuano obloquerentur, quòd cum Annibale sensisset ad Renatum Ducem optima conditione transfugiturus . Tandem res ita nobis patuit , ut cùm Soncinum deseruisset , literis Cremani Gubernatoris Andreæ Dandulo , viri quidem ut animo , ita & consilio singulari , Cremam cum Petachia profectus est . Quod cùm Annibal diligentissimus sensit , statim illuc Castra trajiciens , Soncinum in fidem suam recepit, moxque Urceos-novos obsidione circunsedit .

Interea Brixiæ molis ac pistrinis operadatur pro Castrorum , & Urbis alimentis , in qua maxima rerum omnium caritate vivebamus . Quinetiam ad muros terreos, & scrobes ante mœnia construendas omnes ferè accingebantur , tanta amittendæ Urbis suspicione tenebantur .

Bertoldus Tadei Marchionis filius , juvenis fanè perhumanus , & armis perstrenuus , & Sanctus Gavardensis , is , quem nuper captum in Bello Veronensi Annibal liberaverat , in subsidium Urceorum-novorum demissi sunt . In cujus Oppidi tutela erant tres Præfecti militares egregii , Johannes Villanus , Anastasius & Homodarme cum peditibus ferè tricentis .

Robertus Atheniensis , qui Paternum in Cremonensi pro Venetis servabat , collectis sociis , Oppidum in suam potestatem dimisit , & ad Scipionem reversus est . Paternenses verò ad Annibalem subitò confugerunt .

Idibus Novembribus consultatum est ab Imperatore , & Legatis , si qua ratione Annibali obesse possent , cùm ille in Oppidum obsidione cinctum tormenta locavisset , etsi Oppidum qui tuebantur stipendiarii etiam tormentis corresponderent. Quinetiam interdum egrediebantur cum hostibus pugnaturi;qui tam viriliter pugnabant , ut Bartholomæum Quarterium Annibalis Præfectum militarem perstrenuum , & alios equites complures in Oppidum captos traherent . Nuncii continuè ab his, qui Urceos tutantur , cum literis hujus sententiæ dimittuntur . Annibalem aliam Gradaram invenisse, unde ab obsidione suo cum dedecore reversus est . Nihil esse , quod Veneti dubitare possint , sese Urceos-novos annum defensuros , nihil eis deesse , victum esse inundatissimum, & reliqua , quæ sunt ad Oppidi defensionem necessaria .

Dum hæc aguntur , Pontifex Maximus Italiæ Principibus pacem indicit sub indignatione Pontificia, cui rei omnes assensi sunt ; quam quidem ob rem Principum , & Rerumpublicarum Legati Romæ apud Pontificem Maximum non de pace, sed de pacis conditione confabulantur , quandoquidem magno sese Judice , & justâ quisque causâ tueatur . Sed videre videor , nec pacem inter Christianos Principes conciliari , nec Barbaris bellum indici , tanta est hominum negligentia , insolentia Principum , & Religionis inobservantia .

Barbarus interea locupletatur , Græciam omnem redigit in servitutem , & de discordia Christianorum triumphat ; quod nisi Dei nostri bonitas , & Jesu Christi clementia provideat , cum diligentia Pontificis Maximi , Viri quidem sanctissimi , & tranquillæ pacis Christianorum amantissimi , certè scio Barbaros in Italiam venturos in patriæ dedecus, & Christianæ Religionis diminutionem .

Orlandinus Marthinenghus adolescens (ita mihi Dii faveant) , & animo magnus , & armis egregius , invito patre , ad Annibalem cum acie , cui Præfectus erat , transfugit .

Apud Soncinum Annibalis Pabulatores Capuanus , & Petachia derepente invaserunt , ac non priùs Cremam reversi sunt , quàm tricenti & triginta Pabulatorum equi caperentur .

Dum hæc fiunt , Exercitus utriusque Imperatoris pro parte dissolvuntur ; nam & Annibal partem militiæ cum omnibus ferè impedimentis ad hyemandum præmittit, paucis pro Urceorum-novorum obsidione reservatis , qui positis undique tabernaculis magna cum patientia inediæ, frigoris, & tempestatis secum viverent . Et Scipio ad rem bonam , utilemque agendam (ut consultantes Legati , & Duces consuluerant) apud villam Verulam prope Rezate ad mille passus, cum paucis, & domesticis quidem restiterat , Pabulorum , rerumque omnium pæne egenus , ac nimborum , & tempestatis insolentis patientissimus . Ceteros verò domesticos apud Salodium hybernare antemiserat . Cohortes autem per villas Benaci lacus , qui est (ut ita dixerim) Brixiæ Urbis portus , & refugium ; sed ingens aëris tempestas consilium Scipionis interrupit .

Sexto Kal. Decembrias , Ductores , qui Urceos defendebant, cum Annibale conditionem accepere , ut re militum , & Oppidanorum salva , Oppidum in ejus ditionem deveniret , quandoquidem muri forent tormentis ita dejecti, quòd hostes secum pari pugna concertarent , essentque spe subsidiorum privati , nec ullum tormentis remedium adhiberi posset . Quorum ictu Anastasius Præfectus, meâ quidem sententiâ, egregius lethaliter sauciatus erat, & nonnulli milites , & Oppidani decubuerant . Hæc Urceorum perditio attulit magnam Brixiensibus calamitatem , qui soliciti antemuralibus Urbis indulgebant cum tanta rerum penuria, ut quamplurimi pauperes, & rerum inopes ad alia sese loca cum familiis suis transferrent.

Sed

Sed profectò maxima est Rectorum sapientia, humanitas, & diligentia, qui nihil, quod esset in usum tam Castrorum, quam Civium, prætermittebant; præsertim Vir ille sapientissimus, & Urbis Brixiæ Prætor Ludovicus Fuscarenus, de quo propter ejus singularem virtutem, & incredibilem eloquentiam, Serenissime Princeps, juvat aliquantisper locupletare orationem. Is enim plurimum in latebris hominum cognoscendis laborabat, motus varios, & diversa regebat ingenia, propterea quòd alios blandis verbis, & exemplo molliebat, alii pollicitationibus, alii honoribus, alii pecuniis, & munere pro salute Reipublicæ movebantur. Alios minis, terroribus, & ignominiis deterrebat, alios pœnis, & suppliciis sinè degestatione affligebat. Hos freno & vinclis ad rem agendam, illos laudatione compellebat, permultos publica, permultos privata reprehensione corrigebat. Hos ira vincebat, & vultu, illos facilitate, & clementia: Lætitiam interdum simulabat, interdum dolore comprimebat. Ab his subsidia, ab illis operæ petebantur. Cives omnes omnis ordinis humanissimè, æquaque lance complectebatur, amicos retinere, inimicos allicere solebat. Nemo erat, qui ab illo unquam malè conten A tus discederet, & cùm ingenia tam militum, quàm Civium & Oppidanorum cognosceret; rei ac tempori facilè subserviebat; cum Civibus Prætor, cum stipendiariis Dux Exercitus videbatur, omnibus non emolumenti, lucrive gratiâ, sed pro humanitatis ejus officio consulebat. Denique jus suum unicuique tribuebat pro dignitate cujusque. Ecquid, Serenissime Princeps, hoc Prætore amabilius? quid optandum magis? quem in tantis angustiis, calamitatibus, & jacturis meâ sententiâ Brixienses non Prætorem, sed Patriæ eorum parentem jure optimo appellaverint. Nec minus sentio de ceteris tam Exercitus, quàm Urbis Provisoribus, quorum virtutem, diligentiam, & be- B nignitatem omnes mirificè in cœlum efferebant.

Interea Arcem in Pisanis maritimis, quam Vadam dicunt, quamque ab ditione Florentinorum superiori anno Catalani removerunt, nuper ab eorum stipendiariis victam, soloque adæquatam tradebant, nec sine Aragonensium, qui illam tutabantur, jactura: quandoquidem plurimi ex triremibus, qui illuc in subsidium venerant, decubuere. Nunc ad ultimum volumen transeamus.

LIBER OCTAVUS EXPLICIT.

NONUS INCIPIT.

DIvus Alfonsus Aragonum & Siciliæ Rex cum ingenti Exercitu utriusque ordinis militum, cumque classe maxima in Tusciam adventabat, ut ita esset Florentinis infestus: quòd & eos pro viribus regno privaret, & illi stipendiarios, quos miserant . . . . . . revocarent. Quibus rebus Annibal minus Venetorum Imperio obesse posset, qui erant eo tempore militiâ inferiores; sed urgente fatorum necessitate, superi eius institutionem vetuere; nam cùm sex & decem millia militum in Campaniam usque trajiceret, valetudine mala oppressum, milites, & signa reflectere oportuit. Quam quidem ob rem Annibal in Venetorum regnis libere militavit. Neque enim oblocutoribus adhibenda est fides, qui Regem nequaquam absolvisse debitum societatis disseminant. Quòd si cætera defuissent, ea tamen re maximo opere urgebatur, ut servaret fidem, quam etiam cum periculo sui capitis, semper inviolatam esse voluit. Quin etiam negligentiæ accusari non potest, qui solet esse in omni re sua sponte diligentissimus. Nunc autem debet necessariò ob Renati Ducis adventum, qui Annibalis, & Florentinorum favore in Italiam profectus, Siculi regni potestatem vel armis quærere non erubescit; sed Æstate nova Veneti Regem omnino venturum in Florentinos sperant; quandoquidem ipsi pro augendo eorum Exercitu ne pecuniis quidem parcant. Quòd si, Scipione Imperatore, ante fecissent, ut Exercitum, ita & eorum ille regna conservasset.

Jam rumor est Janum . . . . clarissimum in Barbaros Christianorum ductorem . . . . . prælia multa victor confecit ex Pannoniis agris cum viginti millibus militum ad Venetorum stipendia venturum. Hujus virtute sperant amissa sese eorum regna superiori tempore re- C dempturos; sed hoc meum semper judicium fuit, Scipioni nihil unquam, præter militum copias defuisse. Quam si Senatus exercitui Imperatoris adjecerit, non dubito, omnem agrum amissum à Scipione vendicari, & Annibalem armis pulsum in ejus regna cessurum.

Dum hæc aguntur; Scipio . . . . affixisset, propterea quod cum Oppidanis contra stipendiarios apud Urceos-novos sentiebat; Legati verò persuaserunt Imperatori, sanum magis esse consilium, ut ad Principem, & Senatum demitteretur, atque id de eo fieri, quod censuerint. Captus igitur ac vinclis astrictus ad Principis, & Senatus sententiam remittitur; sed qui apud Urceos cum D illo fuerant Præfecti, & commilitones, Villanum minus justè captum commemorabant, quandoquidem Oppidi illius mœnia erant ita dejecta, ut æquali pugna secum ab hostibus dimicaretur. Qua re Oppidani flexi genua, ac supplicibus manibus orabant, ne vellent cum re simul decumbere, neve Oppidum diripi, & consumi incendio patiantur; quibus vocibus commoti simul omnes stipendiarii clamaverunt, veniam ab Annibale petamus, ad Annibalis fidem, re salva, & hominibus cujusvis ordinis, confugiamus. Idque ita factum est; non fuit igitur Johannis Villani (ut ipsi Oppidani, & stipendiarii testimonio firmabant) sed omnium culpa, si culpa ea est, Urceos- E novos ab imperio Venetorum desciisse; sed hoc meâ sententiâ ab omnibus peccatum est, quòd stipendiariis omnibus tam equorum, quàm rerum ceterarum pretium, & laboris præmia Scipio cum Legatis spoponderunt, si modò Oppidum pro viribus tutarentur.

Octavo Idus Decembris, cùm Bernardus Dandulo, natione Venetus, & Centurio quidem egregius, apud Romanengum recipere conditionem cum Annibale denegaret, pararet-

Digitized by Google

raretque ad pugnam Oppidanos, & socios, quos secum habebat pro loci defensione, ferè tricentos, inter oppugnationem Sforcianorum sagittâ percussus est. Quo vulnere pro Imperio patriæ infelix decubuit; Annibal tandem vi Oppidum expugnavit, ac militibus suis in prædam dedit, quo facto pœne incredibili Annibal his vocibus erat in ore omnium: si Annibali mens foret, cœlum expugnare, profectò Jovem à superis regnis extruderet. Atque id non minus fortunæ, quàm virtuti ejus ascribebant; sed erant qui verè dicerent, Oppidanos à stipendiariis post obitum Bernardi dissensisse, cùm illos hosti prodere initerentur; quod cùm pedites stipendiarii intellexissent, accito hoste se ipsos, & Oppidanos capi, atque omnia diripi, excindique ferro passi sunt.

Jam tandem post multam deliberationem, ac consultationem, Scipio Ducibus suis & commilitonibus utriusque ordinis stationes distribuit, ut pars in agrum Veronensem proficiscatur, pars Cremanum tueatur. Alii Urbem Brixiam, alii Lunadum, alii Benaci ripariam. Quem lacum custodiendum triremes duæ, Mioparones verò decem per Oppida, quæ habebat cirumplurima, percurrebant. Ipse autem Imperator cùm in tutto esse omnia inspiceret, nec opus esse hostem formidare, qui victor ob ingentem Exercitum fortunâ uti nescivit, ultimus omnium cum domesticis militibus Salodum hyematurus pervenit, posteaquam Exercitum distribuisse Annibalem intellexit. Cujus consilia multa ante turbaverat, nam quàcunque intendebat, parva manu, delectisque Militibus insequebatur: Annibal verò cùm omnem Bergomensem agrum, omnemque Abduæ Glaream occupasset, redegissetque in ejus ditionem non modò Brixiensem planiciem, verùm etiam valles, ac montes usque ad vallem Tropiam, omnem ejus militiam per hæc loca distribuit, præter Renatum Ducem, quem pro maxima rerum fertilitate hybernare voluit in Placentino, & si permulti etiam in Cremonensi distribuerentur. Ipse verò nunc huc se conferebat, nunc illuc cum delectis ex omni ordine turmis & cohortibus, aut cum diva Blanca Uxore, ut bellissima, ita & modestissima, animi tranquillitate fretus ociosè commorabatur; hunc ubi Scipio militiam distribuisse intellexit, liberos ire ad sese jussit, qui Brixiæ victitabant. Legati verò ubique Scipionem secuti hyemandi gratiâ etiam Salodum se conferunt, ut ab Imperatoris sapientissimi consilio nusquam discedant, neve auctoritatem effugiant. Hos simul cum Scipione Leonardus Calvus vir Patritius, & humanitate ac diligentia præditissimus, qui ex Salodo, & omnibus Benaci Oppidis pro Republica Venetorum imperabat, honore quammaximo ac munere ne parvo quidem complexus est. Nos etiam eundem locum hyematuri cum Scipione petivimus, ubi cùm indulgere armis non possemus, literis & majorum historiis incumbebamus.

Dum hæc fiebant: Antonius Martinenghus vir magna auctoritate, & fide, à Brixiensibus, ad Serenissimum Principem, & ad Amplissimum Senatum legatur, ut Urbi Brixiæ undique ferè circunsessæ aliqua ratione provideant, quandoquidem Imperator Scipio, qui omnia etiam extrema pro imperio Venetorum auderet, Annibali obsistere non posset, cùm oporteret Scipionem contra Annibalem & Exercitum potentissimum iniquo Marte pugnare. At Principes cum Senatu cùm multa va-
A riis inter sese sententiis consultarent, cùmque Legatum, & reliquos Brixiæ Cives, qui secum ierant, peropportunos Urbi existimarent, principio illos verborum magnificentia, & honore quàm maximo complexi sunt, statimque ad Patriam cum non mediocri spe auxiliorum remiserunt. Hinc enim Janum Blancum venturum confirmabant. Inde divum Alfonsum Regem omnium potentissimum, qui terra marique Florentinorum regna ita pressurus est, ut necessariò coacti in deditionem deveniant.

Erat etiam rumor, Delphinum Francorum Regis Filium, Venetorum auxilio cum militum omnium copiis in Italiam venturum; cui famæ nonnulli ex Brixiensibus fidem præsta-
B bant, alii propter consanguinitatem, quæ illi erat cum Renato Andagaviæ Duce, id quasi impossibile arbitrabantur; utcunque tamen res sese habeat, Legatus cum sociis Brixiam remittitur, qui primates, ac plebem ad patientiam & fidem erga Venetos cohortetur; qui nova quadam exactione undecim centena aureorum millia viritim disposuerant pro multiplicandis ex omni ordine stipendiariis, proque augendo Scipionis Imperatoris Exercitu, in cujus virtute, & auctoritate spes Venetorum ita posita est, ut victoriam de Annibale habendam in uno Scipione reservatam putent.

Pecuniarum exactio hoc modo ferebatur, ut patricii viri per annum magistratibus sine
C provisione donarentur. Quintetiam domorum conductiones in usum publicum pro tertia parte converterentur. Postremum est, ut æs publicè sumptum aliunde fœnoris fructum non daret creditoribus; quibus rebus omnes Senatorii ordinis Patres, omnes Patricii viri assensi sunt.

Annibal interea, cujus callidum ingenium sæpenumero hostem fefellit, delectis quinque & triginta cohortibus, ac peditibus tribus forè millibus Marchariam versùs se confert; quod Oppidum in Mantuano agro situm juxta Olium amnem, mille & ducentis millibus passuum distare Asulâ ferunt. Quapropter Asulam cingere obsidione, omnium erat sententia;
D quod cùm esset in Annibalis arbitrio, & ab Exercitu Venetorum prohiberi non posset, data opera est à Scipione, ut ad tutandum Oppidum præsidia demittantur. Quare egregius Scipionis Præfectus Homodarme cum centum equitibus, & Nicolaus Sclavus Sagittariorum Centurio cum Sagittariis, quibus præest, & quadraginta scopetteriis decimo septimo Kal. Januarias nocte intempesta Oppidum ingrediuntur.

Parte alia apud Vallem Camonicam Oppidum quoddam super saxum conditum, juxta quod amnis Olium defluit, cui nomen erat Breno, in fide Venetorum servabatur; sed cùm à Montanis, & Vallensibus ejus regionis
E cingeretur, Brunorius Cyliarcha cum tribus millibus utriusque ordinis militum, ut ei Oppido pro viribus subveniat, ab Imperatore Scipione jussus est. Ex altera autem parte montium Georgius Ludronensis in auxilium Venetorum descendit. Is secum mille Montanos ex suo Oppido, quod habet in montibus, contraxit. Quin etiam Johanni Comite cum cohortibus septem eòdem accedere imperatum est. Tandem qui circa Oppidum erant, invasi, ac bello victi sunt. Breno autem cum ingenti Oppidanorum victoria subventum, sed cum tanta hominum cæde, quantam nusquam hoc bello viderim; tricenti enim & quinquaginta in

Digitized by Google

eo prœlio cæsi sunt, ex Venetis plures, nam cùm prædæ, ac captivis operam darent, solum illi Venetorum sanguinem sitiebant; Annibalis in ea Valle Commissarius captus est, machinæ dirutæ, & ænea tormenta à peditibus Scipionis, Brunorio duce; sublata sunt.

Dum hæc fiunt, alter ex duobus Legatis à Serenissimo Principe, & Senatu amplissimo revocatur. Quam quidem ob rem fortè contigit, integerrimum virum Paschalem Maripetrum à Scipione discedere, ac Lignanum proficisci, ut Oppidi illius viros, & omnem ejus regionis populum ad servandam in Dominium Venetorum fidem cohortaretur; utque rebus, quibus opus esset, & Oppidanis, & stipendiariis, quos illuc demiserat, Scipio provideret. Girardus Dandulo Vir Patriciâ familiâ, & maxima in Senatu auctoritate in comitiis Legatus in exercitu Imperatoris designatus est.

Annibal apud Marcariam cum Diva Blanca uxore ejus modestissima, forma pulcherrima, & ætate florentissima, ocio indulget. Quem mille hinc, atque hinc militum duces cum Principe Mantuano glomerantur; summa tamen cum hominum admiratione, quam tantam aëris serenitatem, quantam nemo unquam his temporibus viderit, & faventes Deos tam negligenter contemnat; sed verbum illud pervetustum per ora omnium decurrebat: *certè aliquid monstri alit*. Alii enim Asulæ castrametatum arbitrabantur, alii Lignago, alii Veronensibus parare insidias, & retia tendere. Tamen exitus rerum curas ejus, & cogitationes demonstrabit. Sed ipse post dies Natalitios omnibus populis adversis ruinam minabatur.

At Scipio nunc Triremem ascendens, nunc Mioparonem, omnes aditus, omnesque montium, & ripæ Benaci secessus quotidie diligenter scrutabatur, ut, cùm occasio exigeret, parva manu cum hoste decertaret. Nam si Senatus tecum, Serenissime Princeps, exercitum ejus militibus (ita ut poterat) auxisset, profectò Scipionem semper Annibali infestum, semperque superiorem dicere non dubitarem. Rectè quidem per Jovem Lapideum dare jusjurandum audeo, ab initio belli hujus in omni pugna vidisse Scipionem animo præstantissimo, atque hostibus nunquam inferiorem, qui nunc plus etiam, quàm satis est, cum honore ejus, & gloria innititur Imperium Venetorum pro virili conservare, quoad exercitus providentiâ vestrâ pares fiant; quod brevì futurum speramus, ut regredi, quàm progredi hostis modò potentissimus festinet. Id, Serenissime Princeps, Senatum scire tecum facere dubitat nemo, quandoquidem bello, & diuturno quidem attriti sitis. At posse, omnium sententiâ apertissimum est, cùm duodecim centena aureorum millia annuo redditu, ex Regnis vestris colligere fateantur; velle autem debetis, ne Reipublicæ imperium corruat, & ipsam rem simul & consilium cum auctoritate amisisse videatur. Quas ob res, ut aliquando Commentariis hujus anni finem faciamus, utque pro Scipione loquar (ita ut debeo) Serenitatem tuam cum Senatu sapientissimo, Illustrissime Princeps, obtestor, & oro, ut Imperio vestro rectiùs consulatis, vobis metipsis fidite, nervos vestros intendite, Annibalem sagacissimum esse Imperatorem vobis persuadete, potentiam vestram quammaximam esse, & regnorum vestrorum egressus, aditus, & locorum opportunitates intelligere, magnam illi à subditis, & amicis vestris fidem in re militari, & auctoritatem præstari. Quibus rebus (ut licenter loquar) pecuniis, & castrorum supplementis nequaquam parcendum, sapientum omnium est judicium: Augendum Scipionis Exercitum, qui cùm sit ad hoc usque tempus animi excellentiâ præstantior, solus tamen certat Annibali auctoritate, & diligentia. Annibalis statum non ignorat, & à Mediolanensibus tam in bello, quàm in pace colitur, & observatur. Huic igitur soli fidite, huic imperium vestrum soli committite, hunc Imperatorem cum Exercitu potentissimo (ita ut soliti estis) in electione comitiorum confirmate. Cui fato de Annibale victoria reservata est, cùm præsertim, etsi bellorum, quæ Veneti gessere, initia esse soleant aliquantisper adversa; exitus tamen in omni Venetorum bello esse solet cum Imperii vestri amplificatione jucundissimus.

Hæc habui, quæ de gestis Scipionis Picinini inclyti Exercitus vestri Imperatoris tuo nomine, Serenissime Princeps, secundo anno perscriberem. Quæ utinam tuâ, & amplissimi Senatus auctoritate probarentur, propterea quòd ea, quæ à tam excellentis animi, tantæque auctoritatis Imperatore fiant, quæque in Exercitu, & cujusvis ordinis Duce, aut milite gerentur, bonis avibus, & felici omine in aliis Commentariis posthac laudentiùs scriberentur. Illud mihi jam satis superque videtur, quòd meum erga Serenitatem tuam debitum absolverim, quòdque fidem meam, & observantiam in Amplissimum Senatum ostenderim, & cum summo laborum, ac periculorum discrimine, & mortis interdum periculo ingenii parvitatem, ut monumentis literarum mearum Venetorum gesta in Mediolanensium Ducem sub Scipione Picinino Imperatore relegantur, memoriâ hominum sempiternâ.

Commentariorum Secundi anni de gestis Scipionis Picinini Exercitus Venetorum Imperatoris in Annibalem Sforciam Mediolanensium Ducem, ad Serenissimum Principem Franciscum Foscari Venetorum Ducem per Clarissimum Historicum, & Poëtam laureatum Porcellium Neapolitanum Liber ultimus explicit.

Digitized by Google

Digitized by Google

GEORGII MERULÆ STATYELLENSIS

HISTORIARUM MEDIOLANI

DECAS SECUNDA;

Nunc primùm prodit

EX MANUSCRIPTO CODICE

CANONICI JOANNIS ANDREÆ IRICI

TRIDINENSIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO CLARISSIMO

LUDOVICO ANTONIO MURATORIO

JOANNES ANDREAS IRICUS TRIDINAS S.

QUo primum tempore eruditionis comparandæ ſtudio ductus e Patria Mediolanum veni, ubi jam ultra decennium dego, hanc vix Urbem ingreſſus ab his omnibus, qui bonis artibus favent, Te, Vir Clariſſime, ſummis elatum laudibus de nomine ſaltem novi, maximaſque Deo Opt. Max. gratias egi quòd talis tantuſque noſtro ſeculo contigiſſes. Cùm autem Libros eos evolvere datum fuit, quibus Italicam Hiſtoriam medii ævi tantopere illuſtraſti, nihil mihi fuit antiquius quàm omnem movere lapidem, ut liceret pro ingenii mei, viriumque modulo quicquam e vetuſtatis ruderibus ad eam faciens rem eruere, ut Italiæ noſtræ, Tibique præſertim non fruſtra me natum comprobarem. Annuit votis meis bonorum Auctor omnipotens, dumque impreſſa aliquot Volumina pervolutarem, oblatus eſt mihi fortè lacer quidem, ſed ipſa vetuſtate decorus manu exaratus Codex multa continens, & imprimis *Georgii Merulæ* Alexandrini *Decadis ſecundæ Libros quatuor*. Perlegi avidiſſimè modico pretio comparatum Volumen, atque ſtatim: en, dixi, aptiſſimum cupiditati meæ Opus Italicarum Rerum Scriptoribus attexendum. Oh! utinam integrum eſſet & abſolutum. At quandoquidem quaſi de naufragio tabulæ pauca hæc ſuperſunt, quî vetat Clariſſimo ipſa Muratorio quantociùs offerre, ut ſi putaverit e republica fore unà cum aliis jam editis proferantur. Hæc ipſe mecum recogitans, animum meum patefeci amiciſſimo *D. Philippo Argelato*, de literis, literatiſque Viris optimè merito, qui re cognita gratiſſimum Tibi futurum aſſeruit. Itaque adnotatiunculas quaſdam Operi addens illud exſcribendum curavi, ut facilius & perlegere valeas, &, ſi libuerit, probare; autographus enim Codex tot ſiglarum tricis horret, ut ægrè legatur, pluribus etiam locis immutata ſunt verba, correcta, deleta adeo, ut ſummo labore opus fuerit ad integras ſæpè periodos percipiendas, quod, ni fallor, evincit, Auctoris ipſius manu fuiſſe conſcriptum, crebriſque curis emendatum. Conjecturam urgent verba illa, *cui morte præventus manum extremam imponere non potuit*, aliena manu adjecta, quæ tamen proximè ad Autographi caracteres accedunt, eandemque redolent ætatem, qua Merula in vivis erat. Unum ſupereſt, ut hoc qualecumque munus benignè ſuſcipias, Iricumque nomini tuo virtutique devotum ſcias nihil unquam prætermiſſurum, quod Tibi gratum fore noverit. Vale, ac literariam Rempub. ut facis, ornare perge. Vale iterum.

Mediolani Kal. Octobris, Anno Partus Virginei MDCCXLIV.

Digitized by Google

Digitized by Google



GEORGII MERULÆ STATYELLENSIS

HISTORIARUM MEDIOLANI *DECAS SECUNDA.*

LIBER I.



Nterea quum jam Galeatius, ut Patris mortem occultaret, medicos in cubiculum is admitteret, ceu remedia ægrotanti allaturos, spesque adhuc aliqua vitæ superesse videretur; ea tamen interim compararet, & faceret, quæ ad firmandas opes necessaria existimabat, Luchinus, & Marcus Cardano (a) haud longe à Pado oppositi, priusquam palam fieret Patrem decessisse, cum hoste confligere statuit: igitur collatis signis, propius inimica castra pergunt. Cardanus quanquam numero peditum longe impar esset, virtute tamen equitum, & armorum peritiæ confisus, moram pugnandi nullam fecit. Pugnam utrique alacres ineunt. Irruentem hostem Cardanus sustinuit, neque prius retro ferre pedem, quàm super ventre peditum equi suffossi sunt. Atrox fuit dimicatio, cædes ingens, major in fuga ad Padum usque A strages edita. Cecidisse ea in pugna ex Raimundi equitibus centum, quingentos captos pedites, atque sagittarios supra ducentos, traditur. Ex Gibellinis iniri certus numerus non potuit. Convenit inter eos, qui aliquid scripti reliquere, plures in exercitu Vicecomitis interfectos fuisse, quamvis is victor evaserit. Namque inclinata suorum acie in Burgum (b) cum majore suorum parte profugit; ita propinquitate vici servati plurimi sunt. Temerarium, & parum prosperum Raimundum Scriptores dicunt: supersedere enim potius pugna debuit, quàm Marti rem committere, quum multitudine peditum hostis potentior foret. Facius Ubertus illis proximus temporibus tot cæ- B sos ad Augustam Baccienorum (c) scribit, ut instar fluminis sanguis lacunas effecerit, hoc, sive pro more poëtico, quòd pugnas, & cædes majores, quàm sint, scripserit, sive tantus fuerit occisorum numerus, ut sanguis instar fluminis effluxerit, parum compertum habeo. Cæterùm de tempore, quo certatum fuit, Scriptores variare video. In Annalibus proditum est: ante Matthaei obitum Marcum, & Girardinum Spinulam cum Raimundo decertasse. Tradunt alii: decem ab illo defuncto dies pugnatum, quorum opinioni ut accedam, facit Gu-

(a) Ita perpetuo legitur in MS. arbitramur tamen legendum *Cardona*, qui Pontificii exercitus Dux erat.

(b) Qui nunc *S. Martini Burgus* dicitur, non longe à Valentia ad Padum positus.

(c) Nunc *Bassignana*.

Digitized by Google

Gulielmus Ventura, qui scribit, Nonis Juliis, post nonam horam certamen initum, & acriter pugnatum. Raimundus paucis post pugnam diebus, noctu, relicto in Burgo præsidio, Valentiam petiit, ubi collectis iis, qui à cæde & captivitate superfuerant, accersitoque novo præsidio, opem ferre obsessis tentabat, neque prius inde discessit, quàm pactione supra mille equites, qui obsidebantur, incolumes dimissi sunt. Cæterùm Johannes Pontifex audita clade suorum, quam Raimundus acceperat, continuò milites novos scribi jussit. Significaverat etiam Beltrandus, quo in discrimine res, atque periculo essent, neque nisi majore addito præsidio in fide, & officio amicos, & deditītios contineri posse. Ita brevì equites supra mille Astam veniunt, deinde confestim ad Cardanum transmissi sunt. Instauratis inimicorum viribus, reparatoque Cardani exercitu, extimuit Marcus ne Alexandrini ab se deficerent. Obtinuerat Marcus ante Matthæi mortem, prodente Bonifacio, ab aliis eam Alexandriæ partem, quæ trans Tanarum accolitur, novaque inire consilia quidam ferebantur, ita Marcus cum præsidio Padum transgressus (a) se recepit. Offendit consternatam urbem. Jam amici, & plerique (b), ceu destituti, studiosi erant Vicecomitis. Jamque post Patris obitum de exitu fortunarum suarum consultans, fugato ad Padum Cardano, quum jam palam esset, Matthæum defecisse, Galeatius, qui ante dissimulatam Patris mortem publica negotia obibat, nixus mercenariorum militum præsidio, atque etiam juvantibus amicis, cives in concionem vocat, regnumque, quod obtinuerat, sibi tradi deposcit. Consensere tam nobiles, quàm plebeji: ita de publico consilio perpetuus Urbis Dominus Galeatius creatur. Adventabant inter hæc Oratores, qui sub mortem Matthæi iterum ad Legatum iverant: hos Galeatius ne Ticinum trajicerent vetuit; fluviales enim naves ad trajectum idoneas tolli jussit. Compertum illi erat, Legatos tœdio exsecrationum, & querimoniis Populi indignantis se Sacris interdictos cum Beltrando Legato pepigisse, ut dominium Urbis penes Pontificem esset; ita propius accedere prohibiti, ne suo sermone Populum ab se averterent. Oratores ubi cognoverunt, rerum Galeatium potitum, mœsti Novariam redeunt. Jam primores Civium, qui redire in gratiam cum Pontifice in primis optabant, paulo liberius, non in circulis tantùm, sed in omni cœtu, atque inter epulas de Galeatio obloqui. Urgebat in primis Lodrisius patruelis: hic palam prædicabat, Galeatio minimè parendum esse. Numquid hic Rex, aut Dominus est, ut ei serviamus contra nutum, & edicta Pontificis? His & talibus querimoniis cœpere quidam adversùs Galeatium instruere, ut illum Regno, & Urbe ejicerent. Per idem ferme tempus Moguntiæ (c) Sutor veteramentarius frequenter in Populo idem repetebat, quod biennium ante, ceu furore percitus prædixerat: jam externam Gentem venturam, non ex Italia solùm, sed ex Germanis, & Gallis, opera, & jussu Roberti, & Joannis Pontificis. Conquerebatur Populus: Nunquid Servi imperant, nosque spoliant? panem de clybano, & vasa escaria non sine lancea, & clypeo sumetis. Cædes jam juvenum, & seniorum, video, ingens erit, & nuptarum, & virginum stupra; impuberes captivi fient. Multi occidentur, nec invenietur qui captivos redimat. Non defuere, qui rogarent, unde hæc novisset? Respondebat: admirabilis homo mihi hæc dixit, cujus effigiem explicare nequeo. Sub idem tempus in äere diversæ facies per nebulas repræsentatæ sunt. Discurrebant velut hominum capita nigra, alba alia, & interim rubea, quorum frontes albâ vittâ illigatæ erant. Astæ præterea, & armatæ cohortes moveri audiebantur; Congressus item & susurri, scuta moveri & galeæ, gladiorum crepitus, & telorum jactus, tum armorum sonitus. Exterriti prodigiis clamare non cessabant: cladem sibi portendi. Signa dat Cœlum; jamque infimæ sortis homo prædixit: ea vera esse credamus. Inter hæc Beltrandus milites, qui cis Alpes venerant, & eos etiam omnes, qui Roberto studebant, Valentiam ad se vocat, rogatque, ut quoscunque possint milites conducant, quando eos debellare necesse sit, qui palam Pontifici, & Roberto Regi adversarentur. Confluxere eò equites, & pedites complures. Inter hæc venit & Vergusius Landus, quem Galeatius Placentiâ submoverat, atque infensissimum habebat, propterea quod Uxori, quæ id temporis speciosissima ferebatur, vim inferre voluisset. Hic à Legato præsidium accepit, protinusque Placentiam versùs clam per Apenninum accedit. Aggregantur in itinere ei exules, & qui Vicecomiti inimici erant. Manfredus item Landus, contra quàm Galeatio promiserat, cum Vergusio conjurat. Namque Placentiâ cedens, in castrum Sancti Joannis concessit, quasi illud adversùs vim & injurias Vergusii defensurus esset. Vergusius nocte concubia propius Urbem accessit; suffoderant mœnia conjurati; ita Urbem ingreditur. Beatrix generosissima & prudentissima Matrona, ubi Urbem ab hoste teneri sensit, continuò Actium filium cum paucis equitibus dimittit, atque ut inquisitorem retardaret, per ædes pecuniam ingentem sparsit, in qua colligenda tardati hostes, spatium Actio fugiendi fecere. Ita adolescens prudentiâ Matris servatus, Fidentiolam incolumis se recepit. Beatrix etsi in servando filio iram multorum contraxisset; honorificè tamen extra Urbem deducitur. Quibus cognitis Legatus haud cunctatus, Placentiam venit. Excepit eum Populus magno cum honore, cui deditionem faciunt; se & sua omnia Romano Pontifici promittentes. Ita Placentia, excluso Vicecomitis imperio, in jus, & potestatem Pontificis Joannis venit. Post traditam Pontifici Placentiam operâ Vergusii, & eorum conjuratione, quibus erat grave Vicecomitis imperium, motus novi in vicinis Urbibus surrexere; namque haud pauci inter populares, discordias, & civilia certamina excitare: Arripiendam occasionem, quæ morte Matthæi præter opinionem, & spem evenisset. Tunc demum licere de inimicis vindictam sumere, neque posthac aliàs unquam datum iri, ut liceat in Popularem statum redire, aut per vim erepta vendicare, simulque illatas injurias ulcisci. Hæc, & talia quædam in vulgus ferentes, rerum novarum alioquin cupidos ad defectionem concitabant. Tunc Galeatius, quos intestinum odium rebellionis suspectos faciebat, monet, & hortatur per literas, ut deposita omni simultate, remissâque irâ, concordes

(a) Deest forte *Mediolanum*.
(b) Supplendum *Pontificiæ Partis*.

(c) *Modoëtiam*, & *Modiciam* alii dicunt; hodie vulgo *Monza*.

Digitized by Google

des in ea fide, quam Patri præstiterant, perseverent, neque extimescant, quòd Placentia defecerit, quando ea non per vim, aut dedentibus civibus, sed prodente Vergusio, atque exulibus, in potestatem Pontificis, aut Regis venerit; quare opibus & studio eorum in primis, qui pacem & concordiam expetunt, non Placentiam modò recuperare se posse confidat, sed majora, debellatis adversariis, facturus sit. Recitatis in concione literis obmurmuravere quidam, & pro vario animorum habitu, ita varii sermones ferebantur. Gibellini, ut beneficiorum, quæ à Matthæo acceperant, gratia aliqua staret in defensione filiorum suorum, omnia facienda & subeunda dicebant, ne ingrati aut perditæ fidei argui possint. Contraria sentiebant, & loquebantur, qui à Turriano aliàs steterant, & quorum cognati patria & fortunis mulctati fuerant. Ita non solum altercatione & contrariis voluntatibus aperte dissentiebant; sed etiam commemorando hi, quæ à Matthæo beneficia accepissent, præterea concordiam & otium, alii contumeliosius referentes, quod detrimenti accepissent, dum pro salute publica Turriano adhærerent, ad certamen domesticum ventum est; insidiasque sibi invicem uterque alteri struere cœpere, armisque decertarunt. Denuo eodem titulo injuriarum & rebellionis, quo Pater, postulantur Galeatius, Marcus, & Fratres. Inter hæc Mediolani adversùs Galeatium Nobiles quidam conjurantes, cum Lodrisio, & duobus germanis barbaris Rogerio, & Agnanti nomine præfecti erant externorum militum. His pacti grandem pecuniam, si ad exturbandum Patria & Regno Galeatium secum senserint. Barbari, ut erant pecuniæ avidi, cum eis conjurant. Conjurationis participes fuere Lodrisius Vicecomes, Franciscus Garbagnates, & Symon Cribellus, & ii omnes, qui in legatione ad Legatum collegæ fuerant. Grave his erat, Galeatium ea non præstare, quæ ipsi in paciscenda cum Pontifice pace promiserant. Ita quamvis Gibellinæ sectæ forent, adversùs Matthæi filios consurgebant. Cæterùm Galeatius, ubi se prodi à mercenario præsidio, atque etiam Populares in se conjurasse cognovit, patria cedens in Laudem Pompejam cum fratribus confugit. Excepere benignè profugos Succius, & Jacobonus Vistarini. Hi inter Laudenses tum opibus, tum studio Gibellinæ factionis præstabant. Invenio in Annalibus, ubi Genuæ nunciatum fuit, pulsos Mediolano Vicecomites, tanto gaudio obsessos affectos, ut confestim per universam Urbem Archiepiscopus cum longo Sacerdotum Ordine procederent, gratias Deo agentes, existimantes Patriam obsidione liberatam, nec posse Gibellinos in suburbanis persistere, deficiente Vicecomite, in cujus tutela positi erant. Interea Mediolani Prætor constituitur Gallicus homo, Joannes nomine, cui cognomen erat de la Turre, alieni gena sanè, & qui cognationem aliquam cum prioribus Dominis jactabat, continuò in præfecturis circumvicinis, atque oppidis ii per omnia conciliabula tumultuarios exercitus congregabant, qui Turrianorum studiosiores erant, atque Duce Thignaca, & Stracia Paravisino, ubi satis virium comparasse visi sunt, vocante Guelfo, Moguntiam ingrediuntur. Jam advenerat cum præsidio Paganus Casates, quem Lodrisius, & cæteri conjurationis Socii illuc eo consilio miserant, ut Moguntiacos in fide, officioque contineret, ne Galeatii ob fugam alium Dominum introducerent, constitutà ad arbitrium Republicà, sub ditione & imperio Mediolanensis Populi cæteri manerent. Exclusus Moguntia Paganus, Lodrisio, & Sociis, quid gestum fuerit, nuntiat. Confestim Lodrisius, & Franciscus amicos ad se vocant, & eos in primis, qui in vicinis Urbibus opibus, & gratia pollebant. Advênit Franchinus Rusca, qui inter Novocomenses primus erat, Caccinus Torniellus Novariæ potens. Accessere etiam cæteri Gibellinæ factionis Principes. Continuò Moguntiam obsident: Nuncios ad Guicinum Cavatiam, cujus consilio, & opibus Moguntiaci defecerant, mittunt, petentes, in fidem, & gratiam Mediolanensium Oppidum tradi, quando communis res ageretur, nihilque esset ab utroque sejunctum. Consilia novarum rerum Mediolani excitata sunt. Id factum ad augendas factionum vires, & ut Patriæ, atque Reipublicæ pax & tranquillitas daretur. Pecunia insuper promissa, ut dissolvere posset quidquid alieni æris per libidinem, atque ignaviam contraxisset. Accessere inter hæc de finibus Bergomensium, & Cremensium complures latrociniis assueti: horum Duces duo erant Gasparinus de Saravalle, & Maximus ab Ecclesia. Conjunguntur his haud pauci, qui ob perpetrata scelera, & homicidia domo ejecti erant, Guelfo adhæserunt studiosi. His Guicinus adversùs voluntatem Mercatorum, & bonorum Virorum multa concedebat, quippe illorum ope fretus, & armis, paulo superbius respondit: Commodis, & tutelæ Guelfi nominis consulendum esse, quando opportunitas daretur, & proinde Oppidum in manu sua tenendum, donec videat quorsum consilia novarum rerum tendant: Quod si Lodrisius, & cæteri, qui cum eo conspirarunt, publico commodo intenti erunt, se cum eis consensurum; sin aliter animatos viderit, prospiciet & ipse commodis, atque saluti sectæ suæ. Hoc temerarii hominis superbo responso exacerbati Lodrisius, & Primores, Germanos in primis, tum cæteros, qui mercede merebant, ad se vocant, ut omnes arma caperent, ut Oppidum expugnari oporteret, atque ut alacriores, & lætiores pugnam ineant, ut quod quisque sua manu ab hoste caperet, domum referret, concedunt, si debellati Moguntiaci fuerint, atque ad illorum arbitrium per triduum puberes juxta & impuberes supponunt, concessit ut liceat capere, Domos diripere, Templa spoliare, servato dumtaxat Joannis Baptistæ Templo cum Thesauris. His pollicitationibus onerati, Ducumque exhortatione concitati, atque licentia, Milites, Oppidum ab omnibus locis, qua parte faciliùs expugnari posset, aggrediuntur. Illa autem turba Latronum, Alleatorum, atque Lenonum, qui inermes ad prædam venerant, ubi videre hostem fossas transgressum, & vallum convellere, stationes continuò deserunt, atque Oppido cedunt. Mediolanenses, & peregrini Milites vallum transgressi, quoscunque obvios interficiunt, nemini parcebant, cædes ingens juvenum, & seniorum facta, mulieres pariter, & virgines constuprari. Ita totum triduum Germanus & Italus in direptione, rapinæ, & spoliis indulsit. Clades aspera fuit. Passim clamor, planctus, & ululatus mulierum audiri. Spectabat pater vinctum filium laqueo trahi; & ut gelidi erant dies, captivi præ timore & frigore frendentes dentibus, & manibus post terga revinctis, horrendos stridores emittebant. In propriis domibus captivi ligati tene-

Digitized by Google

tenebantur, de matrum gremio pueri & puellæ abstrahebantur; domus tam Guelforum, quàm Gibellinorum, & eorum, qui consilio defectionis non consenserant, direptæ. Ita jumentis & plaustris ingens præda asportata fuit. Fossæ præterea complanatæ, & Vallum disjectum. Hanc Moguntinorum calamitatem Galeatius iniquo ferebat animo, quamquam domo exularet; neque auctores calamitatis multum tulere tantum scelus; siquidem haud ita multo post absumpti sunt fere omnes, eorumque bona & fortunæ dissipatæ. In dissensiones & contraria studia paucorum tam Guelfi, quàm Gibellini nominis, causa mali & eversionis Oppidi refertur. Spoliato Oppido Lodrisius Vicecomes Prætor imponitur. Mittuntur inter hæc Astam, inscio Lodrisio, nuncii, qui monerent, & rogarent Beltrandum, ut Mediolanum confestim accederet; verùm sive metu deterritus, sive occulto fatorum consilio, & fortuna nobilissimæ Urbis adversante, venire recusavit. Credidere plerique, si Mediolanum se recepisset, in potestatem & imperium Urbem venturam fuisse. Cæterùm Lodrisius, & qui cum eo in expellendo Galeatio senserant, ubi remparum, ut constituerant, procedere viderunt, rursusque Urbem in manus & potestatem Turrianorum casuram, & ne suo consilio, atque opera hi, quibus invisi erant, rerum denuo potirentur, pœnitentiâ ducti, Galeatium, & Fratres accersunt, atque in Patriam ita recipiunt, ut æquo cum cæteris jure absque appellatione Domini viverent. Ita pulso Joanne à Turri, qui Nuncius Pontificis sub Matthæi obitu conciliandæ pacis causâ cum Pontifice venerat, Galeatius in domum & fortunas restituitur. Vixit quatuor fere menses privato similis nihil magni affectans, & publico abstinens. Cæterùm Gulielmus Pusterlæus, Gulielmus Casatus, Symon Cribellus, Riciardus Pirovanæus, Franciscus Garbagnates, Ambrosius Alciates ad Beltrandum Placentiam, quò interim is se receperat, proficiscuntur. Non hi pati poterant Patriam tantis execrationibus teneri, præterea ægre ferebant Vicecomitem ea non præstare, quæ ipsi Pontifici promiserant, atque identidem proditam fidem suam simul & auctoritatem Pontificis illusam querebantur. Illud item in mentem redibat, Vicecomites, qui aliquot ante annos regnaverant, nescire privatos vivere; neque eos sua fefellit opinio, quippe Galeatius paucis mensibus, æqua cum popularibus conditione vixit; verùm factionis suæ opibus nixus dominium occupat. Interea Beltrandus Placentiæ acerbiores execrationes in Vicecomites renovat. Sed anno Domini MCCCXXVII. postridie Idus Januarias eos perpetuæ devovet pœnæ, qui Vicecomites sectarentur, intercederentque quo minus Matthæi mortui ossa de sepulchro revulsa, atque ambusta, aut per agros, aut in profluente proximo abjicerentur. Fatigabant Inquisitores per Urbes, suo quosque nomine citantes, qui in partes Matthæi & filiorum perseverabant. Neque tantùm in Italia exempla execrationis publicabantur; Templorum valvis affixa fere per universam Europam dimittuntur. Transmissæ sunt literæ execrationum plenæ. Gravis profectò fuit ira & immortale Pontificis odium adversùs Matthæum, & filios, quos Regno, & opibus ita evertere conabatur, ut, procuratione rerum Roberto tradita, Romanos Cæsares possessione Italiæ, fraudaturus etiam jura Imperii, interverteret. Hujus etiam per injuriam summam Pontifex Robertum amplexabatur, quem per summum nefas Regem Romanorum constituere parabat. Præscripserat diem, intra quam sine fraude & noxa discedere à partibus Galeatii liceret, &, quod cum bona magni Pastoris venia dicendum sit, non debuit indomitas iras exercere in gregem sibi commissum, nec miseros Populos in civilia arma obarmare, & in funesta bella impellere. Tunc enim miseræ Urbes Pontificia auctoritate, & metu execrationum agitatæ in perniciabiles dissensiones pervenere; nec licuit summo Sacerdoti in jura Italiæ invadere, quamquam, ut ipse asserebat, nullus summæ rerum legitimè præesset, & justior causa Ludovici existimari posset, quem Mars communis juvisset, & inter Proceres Germaniæ per interregni tempora administratio omnis imperatoriæ jurisdictionis reposita esset; quamvis iniquus fuerit in hoc negotio Pontifex magisque ipse Hæreticus, & Schismaticus (*) appellari deberet, quam aut Matthæus, & Galeatius Vicecomites, Canis Scaliger, Passarinus Bonacossa, Castrucius Antelminellus, Marchio Montisferrati, & cæteri, qui partes Imperii pro vetere jure tuebantur. Haud dixerim, nisi quod nimis perfractè adversùs leges & consuetudines, ducentos & amplius annos inviolabiliter observatas, in externum Hominem, & cujus majores numquam ad suprema fastigia rerum venerant, nec ut venirent aut viribus, aut ambitione & factione primùm aspiraverant. Invehuntur in Pontificem licentiùs & acerbiùs, quàm forsan conveniat universa Minorum Fraternitas, nisi quòd à Pontifice lacessita in quæstione amplissimæ paupertatis. Suscepit illorum causam Ludovicus, atque utrique conjunctim se defendunt. Extant Ludovici literæ, in quibus se non usurpasse Imperium, sed ut plus suffragiorum se accepisse, ita etiam arma jus sibi adjudicarunt. Pluribus verbis rescribunt Bonagratia Bergomensis Theologiæ recentioris eruditus, & Michaël Cesenas docet aberrasse clavem, nec decretis, atque jussis Pontificis stare oportere, summumque nefas esse Romano Sacerdoti de his differere, quæ malam mentem, malumque animum Pontificis arguunt. Duo etiam Homines ea tempestate non ineruditi Marsilius Patavinus, & Joannes Caldinus novas quasdam opiniones suscitaverant, ausi palam de his differere, quæ sensissent, atque etiam libellos edidere, quorum sententiæ à Gallis apud Parrhisios à Viris doctissimis damnatæ fuerunt, concremati que libelli, silentiumque indictum. Profugêre post damnationem ad Bavarum. Amplexus est homines Ludovicus, & illorum opinionibus adhærens proludere videbatur auctoritatem Pontificis, & opes Sacerdotibus adimere. Quid sentiret in Italiam transmisit, facilèque in suam opinionem Vicecomites, & reliquos imperatoriæ ditioni obnoxios perduxit; nam qui Robertum odio repugnabant, Pontificemque spernebant, haud inviti ea audivere, quæ videlicet à metu execrationum æstimabant. Hinc Pontifex prætextum habuit execrandi Vicecomites, utpote pravarum opinionum assertores, & Ludovici defensores. Cæterùm Beltrandus fere sacris omnibus diebus inter sacrificandum pronunciabatur.

(*) Hæc hominis sunt contrariæ Parti addicti, ob eamque rem stomachi fastidientis.

batur. Aicardus, quem Sacerdotio, & Urbe summotum diximus, earum Urbium Episcopos, quæ illius jurisdictioni contributæ erant, omnes urgebat, ab execrationibus non desisterent, mandavitque Religiosis item Viris, ut statim, relictis Sacris, atque Templis, Urbe cederent, finibus præscriptis, extra quos habitare & Sacris operari liceret, ne propius mille ab Urbe passibus accederent. Quo nomine, velut agmine facto, ne commercio polluti cum impiis viderentur, statim Urbe cesserunt. Quin etiam duo Gulielmi Beltrandum urgebant impensè, ab his auxilia, & opes reposceret, qui Pontificiæ partis factioni addicti, fortiter Ludovico, atque Vicecomiti repugnabant; ita exercitum comparant. Adveniebant Florentinorum, & Bononiensium copiæ. Vergusius autem Landus de Placentinis ingentem junctam multitudinem jam adduxit. Placentinorum & fines, in ditionem Legati venerant. Nam Manfredus Landus, qui, pulso Actio, in castrum Sancti Joannis se receperat, accepta mox pecunia, Oppidum Legato tradiderat. In Insula Fulcheria Oppidum est colonis frequens, & opulentum, Caravagium nomine. Illud primo impetu Gulielmus, & cæteri conjurati ceperant; inde Abduam versùs properant. Hoc ubi Galeatio nunciatum fuit, fratres duos Marcum, & Luchinum misit cum sex millibus peditum, equitibus verò mille, atque ait: Ite perfortes, pugnate pro Patria, propitius erit Omnipotens, neque vos deseret, auxilium sperate de alto. Pro ripis Abduæ constiterunt, hostem transitu prohibituri. Fluvius, ut est tortuosus pro natura aquarum, flexu amnis, ita pluribus in locis excubare oportebat, vel quia tribus in locis hostem opponere noverant, trifariam divisis copiis, hosti occurrunt. Juxta Cassanum, Vaprium, & Tritium excubias egere. Tandem Pontificis copiæ tribus millibus passuum haud longè a Tritio, sive ripa incustodita foret, sive invento vado, flumen Abduam transiverunt. Fit illis continuò obviam cum præsidiaria manu Marcus. In ipsa ripa prœlium ineunt, pugnatum atrociter, plures utrinque ceciderunt. Symon Cribellus, & Franciscus Garbagnates capti, in eos Marcus continuò ense instricto invectus (avidus erat vindictæ, propterea quòd hi non solum Principes conjurationis, tamen & Ductores hostilium copiarum ferebantur) utrumque confodit. Cæterùm abundante adversariorum multitudine, Marcus vix terga dat, protinusque Mediolanum se recepit. Garbagnates Moguntiæ, Symon Nerviani sepeliuntur. Fugato Vicecomite, tria Castella præsidio deserta, in potestatem hostium veniunt. Quibus præsidio firmatis, Vicummercatum versùs cum exercitu Vergusius pergit, deinde Moguntiam perveniunt. Mense Februario hæc gesta traduntur, per quod tempus Parmenses in fidem, & imperium Pontificis deveniunt. Galeatius rebellione Populorum, & suorum conspiratione circumventus. Multi de Liguribus præsidiariam manum revocant. Ita Genua obsidione solvitur. In Annalibus Genuensium invenio, discedente Marco postridie Idus Januarias triduo post eruptione facta obsessi, ductoribus Baleano Nigro, & duobus fratribus de Flisco, & nobili quodam Lucensi, cum equitibus peregrinis in Vallem Bisamnis descendunt, atque clam Gibellinis verticem montis Peraldi tenuere; quod ubi rescivere Gibellini, ubi adversarios Montem tenere cognoverunt, ad sonitum æris, cohortes, quæ suburbana custodiebant, occurrunt. Anceps dimicatio aliquandiu fuit. Guelfus fugatus, tandem Gibellini terga dant. Guelfus suburbana, & munitiones transgressus, Turrim etiam Phari cepit, Sextum usque fugientes desecuti, ingentem numerum equitum & peditum, tum etiam nobilium, atque plebejorum captivum fecere. Saucii pauci, occubuit fere nullus. Direpta sunt bona, tum quidquid & fortunarum in suburbanis repertum. Uxoribus & familiaribus exulum, citra vim & injuriam integris, quo libitum fuerit, progrederentur remisêre. Captivi insuper partim gratis, alii modicâ pecuniâ dimissi. Ex iis pauci quidam in Patria mansere. Hac victoria Archiepiscopus cum Sacerdotibus, Præfecto Urbis, & Opificum Populi Magistris, qui in Urbe erant, supplices Deo gratulantes per Urbem processere. Tunc Pontificii, qui cis Apenninum erant, præcedentibus quibusdam, Derthonam capiunt. Inter hæc Pontifex per literas scripsit de reconcilianda inter exules, & qui in Urbe erant pace. Fœdera, & conventiones duraturæ pacis inter utrosque præscripsit. Accessere ad eum in Narbonensem Galliam. Pergratum fuit utrisque talia à Pontifice procurari, fidemque publicam à Roberto exules exegere. Ita Legati decem Avinionem missi; sed, sive urgente vetere odio, atque ira, conditiones propositas uterque, quòd non convenirent, abnuit. Ita discordes, Genuam reversi sunt Oratores. Verùm Pontificiæ factionis Duces, quamquam superiores in pugna evasissent, ob fusos tamen amicos, & Symonis, & Garbagnatis mortem, haud parum deterriti fuere. Non desistebat Beltrandus ab imprecationibus, & detestationibus adversùs eos, qui partes Vicecomitum defendebant: præterea absolutionem cujuscunque noxæ, atque criminis, qui pro Pontifice, & factione Roberti arma sumpsissent. Passim circummittuntur per Civitates Religiosi Viri, qui in concionibus Mediolanensem Populum abominati graviùs execrabantur, hortantes, ut Moguntiam auxilio irent. Quorum sermone & hortatu multi Longobardorum, sine discrimine factionis, in partes Pontificis confluebant. Cæterùm Aicardus Pontificatu pulsus, etsi graves in Vicecomites conciones haberet, acerbissimè infensus in vires, & superbiam Vicecomitum invehebatur; verùm cùm ingens turba Moguntiam afflixisset, propalam dixit, injusta eorum esse arma, qui partes Ecclesiæ tuerentur: deficit justitia in nostris, neque agi quidquam video pro instituto, atque præceptis Catholicæ Fidei; ea propter mihi persuadeo iratum profectò nobis Cœleste Numen, ita minimè victoria speranda est. Jam appropinquabant adversariorum ingentes copiæ, seque Galeatius in certamine imparem agnoscebat; intra mœnia itaque cum præsidio se recipit, Urbemque communit, suburbana vallo & fossa circumdat, portarum aditus obstrui jubet, pontes instaurat, novos fabricat, cataractas pro portis instaurat, custodias vigiliasque in vallo, & turribus disponit. Inter hæc advenere Raimundus Cardanus cum quingentis Gallicis equitibus; hunc miserat Robertus iis auxilio, qui Vicecomitem oppugnabant: accessit etiam Henricus à Flandria, quorum adventu erecti sunt eorum animi, qui factionem Roberti propugnabant. Beltrandus item subsidia ab his exposcebat, qui Gibellino nomini infesti agnoscebantur, eos etiam omnes à se removens, quos vel amicos, vel studiosos Vice-

Vicecomitis novisset. Haud cunctati in tanto motu Turriani. Namque Paganus Aquilejensis Patriarcha, Symon, & Franciscus filii quondam Guidonis, tum Muscinus, comparatis, quantascumque potuere, copiis, cum Raimundo se aggregant. Interea etiam Pontificiæ copiæ Moguntiâ egressæ, Trezellam omnes veniunt: illuc coiverant illi fere omnes, qui pro Pontifice adversus Vicecomites arma sumpserant, atque ut cæteri alacriores pugnam committerent, militaribus ornamentis Bassanus Cribellus, & Ludovicus fratres, tum Vergusius Landus decorantur. In exercitu item Vicecomitis pari honore dignati sunt. Certamen ineunt, funditur Vergusius, & cæteri Factionis ductores. Cæsi equi complures de exercitu Pontificis, in Laudem usque Pompejam profugerunt. Major pars Moguntiam se recepit. Victor Vicecomes evasit. Ab hac jactura Principes copiarum in consultationem rem deferunt: sententiæ diversæ dictæ. Tandem in hoc consensere omnes: sine Turrianorum reliquiis Vicecomitem debellari, & Urbem opulentissimam capi non posse. Appropinquabat Paganus de Turre Patriarcha, ut supra diximus; hic Moguntiam cum Patruelibus ingreditur: plausus & lætitia ingens in Populo facta est. Tunc ex Etruria auxilia missa. Non defuit Florentinus, atque Bononiensis: utraque Civitas pulsis Gibellinis pro nutu & imperio Roberti Regis cuncta faciebat. Præterea Rhegienses, Parmenses, Brixiani, Cremonenses, Genuenses, Derthonenses, & Alexandrini convenere. Extorres exulabant complures Papia, Novaria, Vercellis, Bergomo, qui propediem videbant, victore Turriano, atque favore Pontificis, paratum in Patriam reditum. Extemplo Moguntiam concurrunt etiam Mediolano complures, ut metu execrationum, reconciliarent Turrianum. Hæsere cæterùm haud multo post eorum pars major, ubi cognovere tantam vim gentium convenisse, & potens Regnum Italiæ Roberto comparari, rursusque civilia bella renovari: ad Galeatium continuò redeunt, atque inprimis Cribella Familia, quos omnes Galeatius defectionis oblitus benignè recepit, coluitque. Horum reditu firmati sunt animi complurium, qui à Vicecomite stabant. Oboritur interea in exercitu Pontificis seditio. Merebant Germani sub Lando: sub Cardano Narbonenses equites. Dispar erat sermo, & animorum habitus diversus, nec idem armorum ornatus, & quamvis utrique stipendia sub Pontificiis, & Regiis Ductoribus facerent, in rixam primùm, mox in certamen funestum prorupere. Germani cæsi fuere plures, nec potuit inter eos gratia reconciliari, qui à cæde superfuerunt. Ita Germani ex eo ad partes Imperii respexere. Instabant primores Factionis, ut Urbem exercitus admoveretur. Ita verebantur, ne qui à sociis convenerant, dilaberentur. Cæterùm Raimundus, cui exploratæ erant Populi vires, notique animi, cùm omnium una constansque sententia foret, obsideri quamprimum Urbem oportere: Quid tantopere, inquit, nos in obsidionem festinamus? Satis superque egerimus, si post decem annos, aut fame, aut vi ea subacta fuerit. Sub hæc verba Gulielmus Pusterlæus, & Gulielmus Casates defixi stetere, nihil contra hiscere, cernebant imminere cladem Patriæ. Inter hæc haud longè procul à Moguntia contendunt. Cecidere multi ex utraque parte, plures tamen de exercitu Pontificis cæsi sunt, equites circiter sexcenti vulnerati. Jam frequens turba coiverat, ne per metum, aut ignaviam incassum desidere existimaretur, extra Oppidum patente in campo exercitum recensere statuunt. Inventa sunt peditum triginta millia, equitum verò sex. Tunc centuriato milite Mediolanum versùs ire pergunt; suburbana nec vallo, nec fossa munita ferebantur. Ita Raimundus eam Regionem, qua Comum itur, desertam depopulatur. Alia pars exercitus suburbana Puellaris (*) portæ aggreditur. Inde Ticinensis & Vercellensis diripiuntur. Castonus Legati Nepos Ædem Humiliatorum occupat. Contigua erat fossa Pomœrio exteriori. Tuebatur egregè patriam Galeatius, neque solùm pulsantem manu hostem submovebat, sed interim eruptione facta in stativa irrumpebat. Populum præhortari non desistebat, ut fortis esset; ita firmati sunt multorum animi, qui propinquum excidium existimabant: implorandam opem ab Omnipotenti Deo ajebat. Opem præterea ab amicis Patris, & his omnibus, qui partes Vicecomitis ante sectati fuerant, implorat. Conveniunt illico Comenses, Vercellenses, Papienses, Novarienses, Laudenses, & Bergomenses. Perspiciebant Civitatum Primores fortunas suas in discrimen, atque periculum maximum venire, si Patria, & Regno Vicecomes ejectus fuisset. Interea Mercenarii milites, accepta pecunia, ut illum aut occiderent, aut vinctum Cardano traderent, cogitabant. De qua proditione ut agi Galeatius sensit, in Ædes Archiepiscopi fortè cum peregrino præsidio profugerat, quum Aimat, Germanæ cohortis Præfectus, aggreditur, apprehensumque tenens inquit: Nisi hodie persolveris septem millia aureorum ex conventione nobis debita, in manus Francischini Turriani te tradam. Sub hæc verba Galeatius flens, & gemens, mutuam pecuniam ab amicis petebat. Profugisse ad Ædes Sacras Galeatium quidam scribunt, ut reverentiâ loci tutus insidias caveret, & peregrinum præsidium pecuniam ab adversariis accepisse. Cæterùm Germani, ubi convenisse auxiliares milites perspexere, Johannemque succinctum amicorum catervis per Urbem incedere viderunt, jam capti pœnitentiâ ad illum accedunt, clamantes: peccavimus. Liberaliter suscepit, ad tempusque ignovit, dissimulavitque injuriam ingruente muris hoste. Et per id tempus exteriore muro Civitas tantùm muniebatur. Illum hostes inter duas portas Comensem, & Vercellinam perfodere tentarunt, & velut acto in Urbem cuniculo penetrantes, prædam noctu de vicinis domibus abducebant, quamvis interim à vigilibus non sine magna cæde rejicerentur. Jam obsessis subministrabant commeatus Papienses, & Laudenses, ita inopiâ levabantur. Galeatius interdum, quamvis obsideretur, impetum in hostium stationes, & prælia faciebat. Haud longè à Bollate servabatur hostilis commeatus, & præda de suburbanis facta. Ibi prælium committitur: fugato præsidio, præda recuperata, atque cibaria direpta. Ita graviùs premebantur fame qui obsidebant, quàm obsessi. Interea Galeatius Germanos omnes, qui stipendia merebant, apertæ proditionis reos missos facit; neque enim tutum erat intra mœnia perfidos eos

(*) Vulgò *Porta Tosa*; nam Mediolanensi dialecto puella *Tosa* dicitur, quod aniles fabulas evincit eas esse, quæ de hujus Portæ nomine circumferuntur.

eos tenere, qui tam arroganter, & superbè in eum conjurassent. Tunc ad Ludovicum Cæsarem nuntii mittuntur, qui dicerent, quid adversus se Germani equites infideles molirentur, ac Cæsarum amicos in Italia periclitari, nisi quamprimum opem miserit. Horum sermone motus Ludovicus, Bertoldum quemdam Comitem, virum strenuum, & in bellis ducem exercitatum cum sexcentis electis equitibus præmittit. Illud etiam subjunxit, majora se facturum, ut Vicecomitem, & partium suarum studiosos defendat, & a vi illæsos servet. Quare forti sint animo, quoniam non defuturus ipse sit. Ægrè hoc fuit Johanni Pontifici. Infensissimum habebat is Ludovicum, qui, se invito, quemvis æmulum devicisset, titulumque Imperii usurpasset. Sed ubi auxilia Vicecomiti è Germanis missa sunt, illum denuo gravius execratus, detestatusque fuit. Interea fame laborabat Pontificius exercitus, morbique difficultate victus tentabatur. Ædem Simpliciani valido præsidio pugnari à Comensi porta consilium capiunt, quam Ædem ingenti præsidio firmaverant; Musculum itaque faciunt, quo ad repentinam oppugnationem admoto pontem inverterent, & reliqua disturbantes munimenta comburerent. Galeatius pro porta stabat. Musculo admoto, qui in eo erant, pontem subvertere parant. Galeatius contra hostem propellere, & injectis incendiis parat. Cum ponte Musculus conflagravit. Adveniunt inter hæc è Germania equites. Ita viso præsidio novo fretus Galeatius, infestis itineribus vias obsidere cœpit, & commeatus complures intercludere, qui ad hostilem exercitum comportabantur. Ita fame, & pestilentia multi conflictabantur mortales, & absumebantur, & in his Castonus Legati nepos, qui summam imperii tenebat. Moguntiæ in Templo Minorum Fratrum pro copia Oppidi, & Patrui auctoritate funeratus. Pertinaces erant in obsidione hostes, qui conjuraverant ad internecionem potentissimæ Urbis, ut, eam si expugnassent, præda non contenti, eos, qui arma ferre possent, ad unum interficerent; neque impuberi turbæ parcerent, mulieres raperent, quas pro servis in Germaniam abducerent. Sub eos dies dum hæc geruntur Vir interim probatæ vitæ, atque religione venerandus, dum fortè peregrinaretur, tœdio bellorum, & execrationum, obdormivit: opinione aëra conscendit, vidit ibidem Johannem Pontificem in Solio sedentem Pontificali ornatu: astabat prope Petrus recens Martyr: cessaret aliquando ab ira capitali, & odio inexpiabili in Mediolanum, ajebatque, se pati non posse, eam Urbem, in qua ossa sua quiescerent, nomenque suum tam honorificè, peculiariter, atque piè coleretur, expugnari, & diripi. Pontifex caput jactare, acerbioraque minitari impensius perseverabat; Martyr in commendando Populo, deprecabaturque semel, atque iterum supplex. Perstare in sententia Pontificem, graviora identidem minari. Tunc Martyr ad Galeatium conversus, quem apprehensum tenebat: Ne timeas, inquit, à vobis sto, & hostes insolentes à Populo mihi devoto fugabo. Mira profectò res eventu; nam quæ Pater Religiosus prædixit, sive ingravescente morbo, sive quia videbat Urbem expugnari non posse, atque auxilia subinde à circumstantibus mitti, relictis suburbanis, Moguntiam abiit, neque deinde quidquam, nisi parum prosperè tentavit; namque haud ita multo post Raimundus inopia victus, per noctem, relictis suburbanis, Moguntiam retro cessit. Interea dum à sociis, & partium studiosis auxilia venerunt, tantumque virium, & animi resumpserat Galeatius, ut non acie tantùm decertaret, sed interim hostes obsideret; nam confestim propius Moguntiam castra movet, Oppidumque vallo circumdedit. Duos menses processit obsidio: durare obsessi vix poterant. Tunc Beltrandus, qui Placentiæ, ut supra diximus, commorabatur à Principibus Factionis de Urbibus Flaminiæ opem reposcit: turpe & periculosum esse, Raimundum, & amicos, atque dedititios diutiùs circumobsideri, & Galeatium, quem paulo ante in Patriæ mœnibus concluserant, Pontificiæ Factioni insultare; tum munitionibus, & fossa Cardanum ita circumvallari, ut brevì ad deditionem compelleret. Hac monitione, atque precibus haud cunctati Factionis primores auxilia mittunt. Circiter mille pedites advenere, qui cum his conjuncti, qui ad ripas Abduæ constiterant, accedentibus etiam sociis, Moguntiam versùs ire pergunt. Galeatius tunc veritus, si Oppido assideret, ne ancipiti hoste circumventus debellaretur, obsidionem solvit, protinusque Mediolanum revertitur. Cædes tamen non parva facta fuit; nam invicem utrique excursionibus, atque rapina inimicos Populos deprædabantur, Vicos, & Castella diripiebant; siquidem Marcus Castellum, quod Vicummercatum vocant, de viribus Provincialium, qui loco præerant, recepit. Porro qui in Moguntiam discedente Galeatio se receperant, Vicum & Turrim Tignosi aggredi (eò opulentiores natu nobiles cum his omnibus, quæ pretiosa habebant, confugerant) infestaque itinera invadebant, & spoliabant, qui frumenta, & commeatus Moguntiam comportabant. Arcem itaque evertere parant: nam Vico, & Arce potiti, graviora incommoda vicinis ferrent, atque interdicerent, ne tutò commeatus Moguntiam geri possent. Præerat copiis Passarinus Turrianus, vir sanè non instrenuus, cui tamen parva auctoritas in exercitu erat, illiusque imperio pauci parebant. Hic cum equitibus mille ducentis totidemque peditibus pulchrè instructus Arcem circumsedit. Eam tuebatur Rainorellus Pirovanæus, vir nobilis, qui multitudine hostium perterrefactus, continuò ad Marcum Vicomercatum nuncios mittit, rogans, statim opem mitteret, quando sine novo subsidio ægrè tueri eam possit. Respondit Marcus, auxilium in Montana ferri non posse, quod si in campo congredi oporteret, opem laturum. Ita Passarinus quum nullus opem obsessis ferret, Vicum cum Turri per vim cepit; complures cæsi, & capti, prædaque ingens facta, & cùm onusti spoliis Moguntiam versùs reverteretur Passarinus, Marcus cognita cæde, & direptione Vici, & Arcis capti, cum trecentis equitibus delectis Germanis, flumen Lambrum juxta Albiate transivit. Abest locus à Moguntia quatuor millia passuum. In editioribus locis, & collibus Marcus constitit, descensurus in planum, ubi prælium posceret. Passarinus illico propius adventat; mandat attamen, prædam, & spolia dimitti, ut expeditius dimicare sui possent; Vallem declinat, propterea quòd tutiùs se contineret in collibus. Cæterùm Marcus de Collibus digrediens illi fit obviam. Pugna committitur; ira & indignatio partem utramque stimulabat, Marcum quòd Arcem defendere non valuisset, tantumque prædæ abduceretur; contra verò Passarinus Arce expugnata,

gnata, & cæde adversariorum elatus, suos in arma, & apertum discrimen objiciebat; multi utrimque cadebant, plures de exercitu Pontificio occisi. Passarinus terga obvertit, protinusque Moguntiam contendit. Fugientes constanti impetu pars Vicecomitum cedebat; non multi ad prædam accurrebant. Marcus suos pugnando fessos, tum dulcedine lucri incompositos discurrere conspicatus clamitat: Abjicite prædas, ad ordinem quisque suum revertatur; spolia dimittite; vicinus est hostis, qui facilè reparatis viribus dissipatos opprimet. Protinus in Castellum propinquum, cui Decimo (a) cognomen est, cum equitatu victore se recipit, campestri in loco ingens præda relinquitur; postera die propinqui rustici, & voluntarii Milites de circumvicinis locis, spolia derelicta asportavere. In ea pugna Passarinum animosum, atque strenuum Marcus palàm testatus fuit. Hac clade accepta, qui Moguntiam cum præsidio tenebant, eos fere omnes Oppido ejiciunt, qui Gibellinæ Factionis censebantur; ita complures in exilium aguntur. Interea Galeatius ne Exercitus relanguesceret, neve Socii, qui auxilio venerant, ceu hostis debellatus foret, dilaberentur, Vicum, cui Cayrate nomen est, invadit, atque per vim obtinet; eos fere omnes, qui in præsidio loci erant, partim occîdit, alios captivos abduxit. Mox anno insequente per mensem Februarium Abduam versùs cum exercitu profectus, & Vaprium (b), hoc Vico nomen est, in citeriore ripa positum invadit. Communiverant locum imposito hoste, pontem super fluvium fabricaverant copiarum duces, ut tutò commeare ii possent, si qui frumentum, & commeatus victui necessaria Moguntiam comportarent. Robertus, & Henricus à Flandria cum ingenti multitudine à Moguntia progrediuntur, ut Galeatio se opponerent, & à Vico repellerent. Ita ab utraque parte multi coiverant, plures in exercitum Pontificium. In conspectu utrique cùm venissent, Galeatius, cognito quòd Raimundus Vaprium de toto fere præsidio eo consilio denudaverat, ut si acie dimicandum esset, plus copiarum secum haberet, strenuos aliquos clam submisit, qui Vaprium expugnarent, atque succenderent. Raimundum, & qui cum eo erant, ignes inopinati mirum in modum terrefecere. Ideo consternati, ingentique pavore perculsi, statim tamen prælium ineunt: ductores ipsi primi in hostes invecti, animos, & vires his addebant, quos inopinatus ignis consternaverat. Jam intolerabilis Vicecomitis impetus erat, vix sustineri instantes poterant, terga Pontificii dedere, cædes ingens facta est; sed haud pauciores in ripis Abduæ occubuere; namque diffugientes, Vicecomes insectabatur, &, quum ad fluvium pervenissent, ne ab insequenti hoste trucidarentur, se in profluentem conjiciunt; ita undis obruti plurimi periere. Symon Turrianus dum Abduam equo vectus transit, submergitur. Henricus à Flandria vulneratus. Tradit Bonincontrus (c), qui dum acies confligerent, Moguntiæ tunc erat, cùm in prato ante portam, qui relicti præsidio Oppidi erant, armis instructi in aciem, & velut ad pugnam parati, sive, ut recognitione facta, fortiores, & alacriores in defensione Oppidi starent, sive suis, si in prælio succubuissent, opem aliquo modo afferrent, aves, quæ Monedulæ dicuntur, gregatim advolantes bifariam divisæ, per viam, quæ Mediolanum vergit, hostilem in modum in conspectu omnium conflixere, & diutius rostro, atque alis se invicem verberavere. Obstupebant, qui aderant eo prodigio; namque non prius quievere acies, quàm pars, quæ à meridiana Regione pervolabat, eas omnes, quæ adversùs erant, in totum fudit, atque fugavit. Victæ super Turres, at victrices arbores, & tecta Oppidi consedere, adeoque dissipatæ sunt, ut non gregatim, sed disjectæ consisterent. Cæterùm grex victor prato imminebat, & velut præ lætitia plaudens flexus in aëre peragebat; ita unam fere horam decertarunt. Ex quo prodigio ex his, qui spectaverant, fuere qui in Oppidum reversi affirmarunt: eo signo prostratos esse Ecclesiasticos ductores, vicissèque Vicecomitem. Victor Galeatius Raimundum, & complures captivos Mediolanum misit. Memorabilis est illa victoria, qua, ut Franciscus Petrarcha scribit, Factio Pontificia gravissimâ clade affecta est, neque deinde reparare exercitum, aut reassumere vires adversùs alteram Factionem valuit. Qui hoc eventu Deum Omnipotentem his favisse, qui justius arma tractarent, & Martyrem (d) novum, ut religiosus Pater se vidisse nunciaverat, pro Galeatio, & salute Civitatis stetisse, dicebant id non immeritò; neque enim sine favore Numinum, & ope cœlesti Galeatius viribus, & numero pugnantium longè impar, cùm fere cuncta vicina infesta haberet, non tantum restitit adversariis, sed eos penè occidione debellavit. Pugnabat pro Regno, & salute Patriæ Galeatius. Conjuraverat ad excidium Urbis nobilissimæ, atque opulentissimæ Pontifex, Pontificiæ Factionis Principes, peregrinæ, & feræ gentes exitio imminebant, pergrassante ira, & injuriis, ac damnis lacessiti, non utri imperarent, sed utri essent, odio inexpiabili in armis erant omnia fortiter passuri, modò Urbem evertissent, in quam convenerant, ut victrici gente post hac tuti, & incolumes domi vivere possent. Ab hac victoria Galeatius vicina Oppida, Vicos, & Castella, quæ partis inimicorum fuerant, recipere constituit; Marcumque fratrem parti copiarum præfecit, ut is excursionibus, & crebris populationibus pervastaret. Cuncta vastabat, Vicos improvisus, & inexpectatus expugnat, & diripit, ac succendit. Magnitudine damnorum, & metu gravioris mali conterriti coloni, relictis domibus aufugiunt, quos persequutus Marcus ingentem cædem edebat. Cayrate, Vaprium, & Vicummercatum obtinuit, & fere omnia Abduæ contermina: fluvium deinde transgressus, insulam Fulcheriam, quam nunc Glaram Abduæ dicunt, & circumvicina loca in jus & imperium redegit. Cæterùm ubi nunciatum fuit Moguntiæ, profligatum esse Pontificium exercitum, qui eam custodiebant, de exitu rerum suarum consultantes, populares, & mercenarii peregrini, magna pars noctu profugêre. Patriarcha Aquilejensis in Oppido remansit, de loco tamen cogitans, in quem profugeret, & arma adversariorum evitaret; incesserat enim metus corda eorum, qui cum eo erant: profectò una erat trepidantium vox: fu-

(a) Vulgò *Desio*.
(b) Vulgò *Vavero*.

(c) Bonincontrus Moriggia, qui Modoëtienses scripsit Annales.
(d) Sanctum scilicet Petrum Ord. Prædicatorum.

Digitized by Google

fugiamus : jam Mediolanensis aderit , quis resistet ? Oppidum expugnabit , atque diripiet , & quoscumque diversæ partis invenerint , ad unum interficient . Vix Patriarcha se continere intra mœnia potuit . Hortabantur primores factionis, ne res deploratas existimaret , quando adhuc spes in auxilio reposita foret . Ita hortatu amicorum in Oppido remansit . Appropinquantes Galeatius & Marcus inclinante jam die , duobus millibus passuum ab Oppido consederunt : instabat Marcus, ut protinus Moguntiam invaderent : futurum ut , trepidante præsidio , eâ confestim potiretur , quod certè factum fuisset . Galeatius parêre noluit , quippe dicens : satius esse integro & incolumi Oppido , & servatis popularibus potiri , quàm libidini & iræ furentis turbæ subjicere . Repercussit ita Marcus : An quod licet , semper liciturum speras ? & fratri in sententia pertinaci , quamvis invitus obsequutus est . Sunt qui scribant , defensum Oppidum præsenti numine , & ope Joannis Baptistæ ; quippe postridie quàm ad Abduam male pugnatum fuit à Pontificiis Ducibus , Henricus à Flandria , orto jam sole Moguntiam advênit . Is consternatos & timentes confirmavit dicens : bene aliquando sperarent , quoniam in protectione & tutela Joannis Baptistæ forent , bonoque animo , illo Patrono , essent . Forte cùm à prœlio fugâ me subtraxissem , nescius , inquit , in quam partem tutò fugerem , ingredior sylvam vicinam noctu errabundus ; cùmque metu in errore viæ à Deo & Joanne Baptista opem peterem , senem macie confectum , & prolixâ barbâ mihi astitisse petentem quo pacto me haberem : male , inquam interim ignota loca , nec quà eundum sit haud novi ; at ille : bonum est Moguntiam petamus . Quo pacto ? inquiens ; jam enim hostes Oppidum obsident ; & ille : noli contristari , inquit , nondum enim Castra admoverunt . An putas Divum Johannem Templi curam opulentissimi, ubi magnifice colitur , excussisse , aut tutelam gentis sibi devotæ abjecisse ? Et cùm talia loqueremur , ecce oblati sunt duo, quos videtis . Jam vicinus portæ retro aspiciens dixi : ubi est senex ille ? Dixere : an evanuerit nobis ignorantibus ? Deo interim gratias ago , & Johanni Baptistæ , quem proculdubio affirmo apparuisse mihi in via , & retraxisse ab errore , meque salvum tutum in locum reduxisse . Hoc sermone Henrici paululum recreati animi , & qui , ceu desperata salute , cedere quo casus tulisset, statuerant , non amplius de fuga, sed magis quo pacto obsidionem sustinerent cogitavere . Inter hæc Beltrandus legatus , quum Galeatio multa prospere cederent , Henricum, quem Lucemburgensis Imperator , quum in Longobardis ageret , Laudi præfecerat , & proinde Laudensis Comes appellabatur , Moguntiam haud cunctanter misit . Tumultuarias hic agebat copias ; namque indigenæ , atque peregrini duo millia convenerant , ut in Mediolanenses , & eos omnes, quicumque adversùs Pontificiam factionem sentiebant , arma inferrent , strenuus & indefessus propugnator se præberet , atque in primis Moguntiam à vi hostili , & oppugnatione defenderet . Aucto hostium præsidio Galeatius interritus è Civitatibus, quæ partim studio partium, partim ex fœdere auxilia debebant, milites accersit. Confluxere statim de propinquis Urbibus milites , & quum justus esset exercitus ad Moguntiam Castra movet , coronâque circumdant , quam pluribus locis expugnare instituunt , sæpiusque frustra fossam transgressi vallum ascenderant , dejecti ab aggere fuerunt , complures necati . Ita quum per vim capi non posset , aggerem & munitiones circumducere instituunt , castellaque inædificant . Ita undique circumvallato Oppido , cùm ægre vix quisquam , aut ingredi , aut foris egredi posset , fame , ac penuria obsessi macerabantur . Ea fuit frumenti , vini, & cæterarum rerum inopia , ut pretio vix credibili ad victum necessaria compararent . Insultasse Marcum Galeatio sic ferunt: En quos brevi deditionem facturos ajebas , quàm fortiter se defendunt, & quàm patienter inopiam, & parsimoniam tolerant. Suppetebant obsessis pecuniæ ; nam & Legatus , & Pontificiæ factioni addicti clam argentum subministrabant. Ita octo fere menses in summa annonæ caritate duraverunt obsessi . Inter hæc Henricus Placentiam clam ad Legatum profectus docet ita fame confectos qui obsiderent , ut nisi maturè opem tulerit, fame , quàm armis ad deditionem compelli , atque Vicecomiti ob recentem victoriam , recensque subsidium animos auctos , omnia prosperè cedere. Legatus subitò Raimundum alterum , hominem sane acerbum , & militaris negotii inexpertum præsidio Oppidi præficit : In dies magis cùm deficerent alimenta . . . . panem & vinum non venumdari , sed esculenta , & poculenta penes se conferri jussit , atque viritim distribui , ut nemo vix levare famem , nedum exsaturari valeret . Interea non minus fatigati qui obsidebant , quàm obsessi , ac tœdio diuturnioris obsidionis , complures Castris cedere , ægre in tentoriis durare , militiæ mala diutius sufferre . Ergo diminutis copiis stationes compluribus in locis desertæ fuerunt . Fame in extrema urgente necessitate, eruptione sub ortum Solis facta , Vergusius, Landus cum octingentis equitibus , ac mille & quingentis peditibus castellum aggreditur , quod pro ripa Lambri amnis ædificatum erat , & distabat quingentos passus ab Oppido : præterea vini ac panis copia inerat . Custos castelli Marcus nihil intrepidus extimuit multitudine ingruente , & ad suos conversus inquit : Confidite , justiorem habemus causam pro Patria , Patriam pugnantes defendimus , vim & injuriam propulsamus ; contra injusta arma adversarii sumpserunt, quippe rebelles adversùs Imperii majestatem . Ab hoc sermone in hostes invectus est , increpatus viros , qui ex colluvione constabant . Multitudo visis adversariis conterriti primum impetum vix sustinuere , protinusque terga dant. Fugientes Marcus cedens usque portas persequitur . Occubuere circiter quadringenti . Marcus in castra suos reduxit , reversosque imperat , ne in legendis spoliis retardarentur . Numquid conspicitis, dicens , cohortes armatas stare , & hoc tantùm expectare , ut in præda occupatos eruptione opprimant ? quare adversariis dumtaxat resistamus , in quos , ubi res , & occasio postulabit, occurram . Tunc Pontificii consternati animo, ac spe , & viribus penè destituti sunt . Aversum Deum liquidò agnoscebant à clade ad Abduam accepta , ubi malè pugnatum : Fuga qui superfuerant in Oppidum se receperunt , & sanè justo Dei judicio nihil eorum efficere potuerunt , quæ animo conceperant . Inde ab ira , & indignatione ad crudelia facinora conversi , juvenes , seniores , & infantes promiscuè trucidabant : virgines , & nuptas passim con-

Digitized by Google

A constuprare, prædari, spoliare, furari domos
direptas succendere, in vincula pueros pariter
mares, ac fœminas conjicere, fame, ac siti
excruciare. Immanes erant, & feri, furore
barbari pariter debacchabantur, neque exsatu-
rari immanis rabies poterat, nisi hasta, & cly-
peo, panem, & vinum ...... redimebant,
neque satis hoc illis, nisi Templa spoliarent sa-
cra, gemmas, tum argentea, & aurea vasa
diripiebant, neque Augustissimo Fano peper-
cere; nec defuit improbus Sacerdos, qui pe-
regrinos ad sacraria duceret. Indulgebat latro-
ciniis & sacrilegio, & cædibus Beltrandus,
cui id propositum erat, Mediolanum evertere,
& donaria veterum Longobardorum Regum
B auferre, ut nihil apud homines relinqueretur,
in quo Regia Majestas, & vetus relligio, &
templi amplitudo repræsentaretur, posterique
discerent, quæ fuisset majorum dignitas, atque
potentia. Præceperat biennio ante Vicecomes:
Fano Sacratissimo intacta manserant ornamen-
ta, quippe pro Imperio pugnaverat, & gloria,
ideo magni Fani omnia integra, & salva stare
à vi, & injuria voluit, quæ ad culturam Om-
nipotentis Dei, & majorum memoriam reti-
nendam pertinebant. Contra barbarus Lega-
tus, & Pontificis Sectæ addictus, quamvis
Italus, defensores ob odium inexpugnabile,
& sævam rabiem, perdere etiam ornamenta
propria constituerat in proprium animi dede-
C cus desæviebat, & excidia ad usque veteris
amplitudinis abolitionem cœci, & amentis mo-
re proruebat, & ea profanabat, in quibus rel-
ligionis decus, & magnificentia constituta erat,
nulla erat in eo pietas, nulla relligio, nulla
denique misericordia. Interea nihilo tamen
minus Galeatius pacem cum Pontifice conci-
liare instituit. Interpres idoneus nuncius dee-
rat, qui Pontificem adiret, eumque perdoceret,
quæ, & quam parùm arma succederent. Ur-
bis opes, & in Vicecomitum gente summam
virtutem cum fortuna junctam esse. Ergo
quum multa secum de compositione facienda
revolveret, in hanc cogitationem forte devênit,
nullum potiorem videri, qui exitus belli præ-
D diceret, & Pontifici exponeret, ut illatas cla
des Factio accepisset, quàm Raimundus, qui
ferme triennium Oppida expugnasset, excur-
sionibus, & populando inimicas Urbes fati-
gasset. Tum semel atque iterum acie devictus
foret. Hunc in vinculis habebat; neque erat
unde libertatem redimere posset; sed qua via
dimittendus, ne suspicio non abesset, de com-
pacto res agi videretur, aut occultè proditio-
nis apud Pontificem negotium datur (a), duo
juvenes ex his, qui in ministerio arcano fide-
les, & arcanorum participes erant, cum Ga-
leatio, atque Raimundo ita constituunt, ut
elusis custodibus ceu proditæ fidei rei aufuge-
rent: difficile erat fallere custodes, namque
E noctu, atque interdiu omnes aditus diligentis-
simè observabantur. Tunc ad eos Galeatius:
nunciate, consulite captivum, ut viam excogi-
tet, qua emitti possit. Raimundum itaque
super fallendis custodibus consulunt, qui, ut
erat vafer, in libertatem suam sollers, ait:
hoc unum Galeatius, in cujus potestate teneor
permittat, ut copiam cum muliere fecerit sub
specie concubitus aliqua admisceri valeam.
Hoc unum solatium tœdia captivitatis, & vin-
culorum molestiam levabit. Placuit consilium,

& protinus fœmina in cubiculum deducta; sed à concubitu abstinuit. Quærentibus manè quæ luctatio fuisset cum puella, respondit: inverecundi hominis, & turpe existimavi, nisi remotis arbitris venerem experirer; itaque, quando cupiditati nostræ Galeatius obsequitur, concedat, ubi non in propatulo congrediamur. Illi appositi custodes, ac familiares fraudis conscii propinquo in cubiculo stabant, itaque in locum, ut convenerat, concluditur. De cubiculo noctis silentio egreditur. Sequuti sunt custodes duo, quos supra diximus; Fossam Civitatis injectis scalis funeis transcendunt. Erat tunc in suburbanis Narbonensis miles doli non inscius, solitus commeare ad Raimundum, eos excipit, Moguntiamque perducit. Rumor continuò per Civitatem manat, Raimundum è carcere aufugisse. Iram & dolorem simulat Galeatius, atque eos exilio mulctat, &, ceu proditores essent, proponit præmia ut occidantur, si capi possent. Interim Raimundus Placentiam ad Legatum pergit. Exponit inopiam, & famem, & quam graviter oppressos premi, ut brevì contra dignitatem Pontificiam, & opes Factionis, intra paucos dies & oppidum, & milites peregrini in potestatem Vicecomitis venturi sint, nisi copiæ majores mittantur, quæ valeant Mediolanensibus opponi, aut nisi, quod facilius factu est, viam aliquam excogitet, qua citra dedecus Pontificis, atque Regis, Moguntia Galeatio dedatur. Ad majores copias comparandas, pecuniæ non suppetunt. Hæc, quæ dicit, Pontifici narrari opus est, quo inconsulto, nec jus, nec fas est, deditionem pacisci. Ita Raimundus in Narbonensem Galliam transit, atque Summo Sacerdoti, quæ Galeatius peteret, & quantopere cuperet in fidem & gratiam Pontificis venire, exponit. Postulabat Vicecomes dominium Mediolani, & Cremonæ obtinere, atque cætera procurare sub Pontificis nomine. Præterea equites quingentos suis impensis alere pollicebatur, qui præsto essent quòcumque Pontifex vocasset. Non iniqua proponebat Galeatius. Annuere attamen non prius se velle Pontifex dixit, quàm ad Robertum Regem, cui in primis obsequi studebat, ea referantur. Sanè Raimundus: Patrum Sanctissime, quod cum bona venia dictum sit, arma parum feliciter intulimus, Parti nostræ aversus est Deus. Vires Vicecomitis impares nostris sunt, & tamen sive Urbem obsidemus, diutius perstare non possumus; pestis & rerum inopia non minus corpora, quàm arma pariter debellant. Si in acie decertamus, quamvis numero superiores, vincimur, succumbimus. Ita nulla victoria nostra est. Parum salubres & pestilentes nostris dumtaxat gentibus tractus: &, quod dicendum hìc sit, si quos habes tibi inimicos, & dicto tuo minus audientes, aut qui fraudem Ecclesiasticæ auctoritati moliantur, eos, quæso, adversùs Mediolanum mittas, ut brevì fraudem luant. Unde quia; neque enim aliter superiores in omni certamine Matthæus tum filii fuere, nisi Dei Omnipotentis benignitate, Vicecomites suos Deos (b) magnificè colunt, quibus deprecantibus, Deus propitius illos ab injuria, atque maleficiis tutatur. Sub hæc dimittitur Raimundus, & comitantibus duobus, quos fugæ conscios diximus, ad Robertum pervênit. Pontificis sententiam super conditionibus

(a) Locus ab Amanuensibus oppidò depravatus, ut restitui non possit.

(b) Ita compellat Sanctos Mediolanensium Patronos Vir eloquentiæ potiùs, quàm Religioni intentus.

nibus exponit. Respondit Rex: ita demum postulata Galeatii sibi placere, si is vires & opes regni adversùs Germanorum Cæsarum vim, & tyrannidem armis opposuerit, Robertoque pareat. Recusavit conditiones Galeatius, responditque, se prius millies moriturum, & quodcumque durum atque intollerandum subiturum, quàm jusjurandum violet, quod Imperiali Aquilæ præstitit. Itaque cùm parum æqua peteret Robertus, nulla compositio inter Pontificem & Vicecomites facta est. Dum hæc geruntur, Canonicus, Vercellensis genere, qui vasa, & pretiosas gemmas, margaritas, & cetera fani sacratissimi de Moguntia, peregrinorum, & popularium libidini eripuerat, dum sacraria diriperent, ut ea prædæ subtraherentur in penitissimam ædium partem occultaverat, gravi & periculoso morbo temptatus Aicardo Archiepiscopo, ubi nam thesaurus abditus foret, aperuit. Res statim Beltrando exponitur. Mittuntur itaque nuncii, qui communicata re cum sacrilegis, & patriæ proditoribus; noctu thesauros arreptos Placentiam statim transportaverunt. Pretiosa erant omnia. Ita Avenionem ad Pontificem deportantur. Pontifex, Sacerdotum; qui ad nostram memoriam ea ætate opulentissimus erat, illa intacta voluit. Ita numerus, nomina generatim in tabulas redacta, ne subripi possent, Longobardorum Sacerdotibus, & in primis Moguntiaco, asservata traduntur, quæ postea reconciliato Pontifice, Johannes Archiepiscopus rerum dominus in ædem reportari voluit. Interea Galeatius recogitaverat quantum detrimentosa conjuratio & rebellio Moguntiacorum Genti Vicecomitum detrimenti attulisset, & per eos non stetisset, quin Mediolanensibus, & principibus debellatis, ad occidionem deserta patria perpetuò obnoxia fere servirent, tectaque ipsa solo æquarentur, cum primoribus Populi, & factionis suæ popularibus consilium iniit de evertenda Moguntia, ut abductis in captivitatem colonis, ita subverteretur, ut neque lapis supra lapidem remaneret. Hæc & talia sæpe animo cogitanti, & in excidium Oppidi gravia revolventi, per quietem, ut ferunt, astare visus est Johannes cognomento Baptista, qui diceret: numquam Galeaci Moguntiam expugnabis, & in imperium tuum rediges, nisi sententiam mutaveris. Num quid putas me reliquisse, ac deseruisse populum, & si multa adversùs Deum, & homines commiserint, ut domo pulsi terram incultam relinquant, ubi tantum temporis summe, & religiose color? In mea est tutela: Patronus sum. Quod si, ut dixi, sententiam mutaveris, eam in potestatem tuam ego tradam. Mane cùm expergefactus surrexisset, nihili admonitionem & præcepta Johannis fecit: Iterum per somnum eadem effigies repræsentatur, quæ & graviora multo asperius minitabatur. Tunc recordatus eorum, quæ audire visus fuit, sententiam mutat, constituit divinis admonitionibus parêre, & Oppidum civili dissensione, & externo bello pene desolatum, atque in nihilum redactum, si eo potitus foret, quantum in se esset, accersitis exulibus, in pristinum statum restituere, & sanare statuit. Hinc quarto post die legati ad paciscendam deditionem ad Galeatium veniunt. Per eos dies quidam ex iis, quos legatus miserat, prodente per dolum & insidias infimo homine, Laudem Pompejam interceperunt. Laudensis piscator retibus & lintro victum quæritans, navicula discurrens, atque inter vepres latitans, clam civibus, murum Urbis pluribus diebus perfodit, atque noctu Guelfum exulem, & præfectum quemdam Guasconum nomine cum trecentis delectis militibus accepit, cæsisque ostodibus, partem Urbis tenuit; eo autem consilio, ut si Laude potitus foret, spretis conditionibus, bellum renovaretur. Oppidani oborto tumultu statim arma arripiunt, ad mœnia concurrunt, eosque interficiunt, qui intraverant; at qui extra constiterant, cæde suorum cognita per transversa protinus aufugiunt. Præfectus præsidii, & complures proditionis conscii capiuntur; hi per tormenta & cruciatum, quibus auctoribus fraus perpetrata foret, aperiunt. Tunc Legatus, quum in irritum ferè ea caderent, quæcumque sive clam, & sive palam adversùs Vicecomites moliretur, Moguntiam Galeatio tradi mandavit. Receptâ Moguntiâ peregrinum omne præsidium, ut convenerat, sine fraude Vicecomes abire permisit, & ne quidquam intra fines mali acciperent, eos tutò trans Abduam usque deduxit. Præficitur Oppido cum præsidio Brixianus quidam, moxque palàm edicitur, ut quicumque exules essent, in Urbem redirent, atque ex æquo tam Guelfo, quàm Gibellino jura redderentur, reconciliareturque gratia sub abolitione anteactarum injuriarum; quin omnes sine discrimine, honore, commodis, & dignitatibus, ut ante, quàm per discordiam aliter constituisset, participaturos esse declaravit. Ita complures injuriarum obliti, in signum concordiæ & pacis, se invicem exosculantur, & ferè cultoribus vacua atque deserta frequentari cœpit. Ceterùm Galeatius haud ita multis post diebus, admonuit eos, qui tœdio bellorum civilium, & metu barbarorum paullo longius à patria complures secesserant, multi etiam mercaturæ gratia Venetias demigraverant, alii per Urbes & Oppida Longobardorum vagabantur: eos omnes precibus, alios minis, tum magna promittendo, in patriam reverti coëgit. Conflaverant plerique æs alienum, neque creditoribus, fortè per inopiam, neque usuras dependere valebant: hos per novas tabulas à nexu, & fœnore liberavit, ne posthac fœnebris pecunia repeteretur, aut de usuris quisquam jus diceret: & si quid maleficii inter civilia arma sibi invicem populares intulissent, id omne remitti, & condonari voluit. Ita quum jura æqualiter & humane sub æquo Principe redderentur, res in Oppido quietæ erant. Interim Galeatius arcem in ea regione, quæ Lambrum propius attingit, ædificari instituit, quam fossa, & muro validissimo communivit, turres, & carceres tetros & horrendos in turribus inædificat, quos furnos appellarunt. Magnitudine operis multi Moguntiam accurrêre. Adhuc discordes erant Mediolani, dissidentes nondum bona fide gratia conciliata: externi præterea Reges nobis imminent, obmurmurantes dixere: Profectò, utinam falsa rebus ominaremur, in custodiam & damnum suum arcem & carcerem, sibi & suis Galeacius extruit. Ceterùm eo, quo cœpit in anno opus magnificum & amplum, non sine tam privatorum, quàm publica impensa absolvit. Et hic finis belli, quod Moguntiacum, de nomine Oppidi, ad quod diutius victoria vertebatur, & vires utriusque Factionis decertarunt, appellatum fuit. Per idem tempus Johannes Pontifex ægre ferens totiens exercitus

Pontificios à Vicecomite pene ad occidionem fusos, atque fugatos, Factionisque vires absumptas, atque ex opinione & nutu designati Cæsaris dumtaxat rem agi, quem Romani Imperii titulo prohibebat, diris & execrationibus Longobardos illi obtemperantes infeste prosequebatur. Jam venerat Mediolanum è Germanis cum præsidio Bertoldus Vicecomiti opem ferens: perægrè hoc tulit Pontifex, atque Ludovicum, velut palam rebellem, Ecclesiæ hostem, exortem Catholicæ Fidei pronunciat, nisi intra statutum diem, quidquid juris nomini Imperatorio, quod per electionem Germanorum perierat, si quid juris quæsivit, renunciasset: eos item, qui jurejurando fidem suam Ludovico obstrinxissent, à vinculo sacramentorum absolvit. Quo nomine graves ex eo iras & odium perpetuum in Pontificem Ludovicus concepit. Legatos item Avenionem sub specie placandi Pontificis misit . . . . .

Hic est lacuna

Dum hæc in Galliis gerunt, in Liguribus Vicecomitum ductores Castellum in montibus situm coronâ obsidebant . . . .

Rursus altera lacuna

Receperat per eos dies Philippus Pistoriensis tyrannus præsidia Florentinorum. Cupiebant Florentini Pistorium fœdere, atque beneficio in partes suas trahere. Ceterùm Philippus quum parum fidos socios Florentinos cerneret, confestim fœdus cum Castruccio iniit, receptisque militibus Pistorium illi tradidit. Statim præsidia Florentinorum opprimuntur. Hoc ubi perlatum fuit, tumultuarium exercitum Florentini immittunt, rati in fide adhuc permanere Philippum, & paucorum conjuratione proditum Pistorium Castruccio. Pratum usque in itinere cursim profecti, Philippi fraude Castruccium Pistorio potitum intelligunt, Florentiam revertuntur. Majores deinde copias Florentinus coëgit. Dux præficitur Raimundus Cardanus, qui, ut supra diximus, parum lætis cœptis adversùs Vicecomitem dimicaverat, & captivum Galeatius dimiserat, ut Pontificem placaret; sin minus id efficere posset, annum unum adversùs Vicecomites, aut socios arma non inferret, neque stipendia sub Rege, aut Principibus, mereret: liberavit hominem vinculo jurisjurandi, ne proditor fidei diceretur, Johannes Pontifex. Comparatis ita magnis copiis Pratum protinus intendit, in quem locum, ut jusserat, convenerat exercitus, atque instructa acie hostem versùs processit. Castruccius certamen detrectavit, satis se in præsentia fecisse existimans, si Pistorium tueretur. Raimundus interea cuncta populabatur, atque interim Castra mutabat, ne pars ulla ejus tractatus integra à maleficio & detrimento maneret. Post hæc Ticianum circumsidet; operibus & machinis oppugnat, non ut speret Oppido potiri, sed ut hostem, ad illud defendendum averteret. Bifariam equitatu diviso, & de prima vigilia eos præmittit, vada, qua palus transiri poterat, occupent: altera pars magno tumultu in agrum Lucensem, quatenus conterminum Pistoriensem contingit, prædatum incursat. Montes erant asperi aditusque difficiles per Appennini dorsum; Castellis atque præsidiis hostes omnia defendebant. Temporarium pontem noctu, qua palus arctabatur, Castruccius ædificat & copias transmittit. Quod ubi Raimundo nunciatum fuit, lætus & alacris relicta oppugnatione Ticiani, confestim priusquam id Castruccius sentiret paludem ipse trajecit, paucisque diebus aliquot Oppida cepit, Castellumque & munitiones dejecit & oppugnavit, quæ Castruccius paludi adjecerat. Eæ res Florentinis prosperæ supervenient, & sociis accessere animi, & præcipuè Senensibus. Advenere à Perusinis, Bononiensibus, & Volaterranis auxiliares equites. Tradit Leonardus coivisse ad peditum millia viginti, pariter equites, quorum ingens erat numerus. Brevì expugnatis trans paludem Castellis, atque arcibus, Carpasium obsident, fossâque & propugnaculis validum, tum & præsidio firmissimo communitum. Expugnatio cùm longius extraheretur, cum fœtore & pestifero alitu, tum etiam Cœli gravitate magna pars exercitus contracto morbo languescere cœpit, atque etiam emoriebatur. Missionem plerique valetudinis causa flagitabant. Ita Florentinorum copiæ non mediocriter imminutæ. Raimundus minime obsidionem solvit, constituitque quascunque difficultates evincere; obsessos munimenta & spes, atque etiam potentia Castruccii sustentabat; namque is, ubi discessisse à Ticiano Raimundum, paludesque tranasse cognovit, cura & metu graviore agitatus Lucam redire constituit, relicto Pistorii præsidio, abductisque iis omnibus, quorum fides erat ambigua. Tamen relicto Lucæ præsidio, ipse fauces transgreditur, quas Nebula fluvius interlabitur; ita per compendia faucium hostem antevenit. Collis erat excelsus medius inter Lucam, & Florentinorum Castra, hunc occupat, atque ex eo ad paludem militari opere fossam perducere constituit; amicorum præterea, & partium studiosorum auxilia undique rogat, neque noctu, neque interdiu aut opus intermittebat, aut omnia conari desistebat, hostemque prœliis, & damnis lacessere. In Pratensem, & Florentinum agrum crebro ii incursabant, qui præsidio Pistorii relicti erant, incendiis, atque rapinis omnia miscebant. Opponuntur iis Bononiensis equitatus, adjunguntur & agrestes, intentique in quam partem hostis incurreret observabant; ita cùm licentius Castrucciani agerent, ab hostili æquitatu circumveniuntur, accurrêre illico agrestium turba, & pene ad internecionem occisi sunt. Hoc detrimento accepto, spes, quam in Castruccio obsessi habebant, debilitari cœpit, deletasque copias in agro Florentino cognoverunt, de exitu fortunarum suarum consultantes deditionem ita paciscuntur: ut inde integris abire liceret. Recepto munitissimo Oppido, præsidioque imposito, in quam partem exercitus mitti deberet consultarunt. Florentiæ fuere, qui dicerent, reduci debere exercitum, quem morbi & Cœli inclementia afflixerant, ardoris per Autumnum impatientem, & concedatur pluribus à Duce missio. Attenuata Castra erant, plerique suadebant, parcendum militibus, quietemque fessis dari, oportere. Contra alii victoriâ elati, cùm parum probabilis causa, aut consilium generosæ rei subesset, censebant non priùs solvendum exercitum, quàm Lucæ mœnia pulsaverit. Vicit hæc sententia, quæ temeritatis, & ferociæ plurimum habebat; igitur cùm Lucam adire constituissent, postridie motis signis, juxta Sartianam paludem constitit Raimundus. Biduum eo in loco commoratus, priusquam eminentiora loca peteret, ut liberius quò libuisset, sine metu circuitionis evadere posset, intercidi septa, fossasque complanari jubet, atque præsidio equites centum imposuit. Ceterum Castruccius, ubi turmam equitum adven-

ventare sensit; suos equites superiore de loco in adversarios immittit. Proelium committitur primo congressu leve, verùm quia propinqua erant utraque Castra, ad strepitum & clamorem proeliantium concursus fit magnus. Dimicavere equites supra tres horas, tantusque ardor pugnantium fuit, ut sæpe commixti equites; atque indiscreti se invicem sauciarent. Castruccius cum reliquo equitatu descendit in pugnam, beneficio loci & numerò equitum præstans, premebatque equitatum Florentinorum; jam Raimundus cum eo equite, quem retinuerat, ad septa pervenerat aliquanto infra eum locum, ubi præliabatur. Aditus erant angusti, atque difficiles, agmen explicare vix poterat. Interea qui adversùs Castruccium depugnabant, cùm vires hostium sustinere non possent, terga dant; haud ita multi in fuga occiduntur. Propinquus erat Raimundus cum majore equitatu, eventumque pugnæ expectabat. Cædes ingens de Florentinis facta; tradunt optimum quemque aut interfectum, aut graviter vulneratum; sed neque Castruccio incruenta fuit ea victoria; siquidem ipse Dux vulneratus, & multos suorum amisit. Tandem cùm receptui utrimque caneretur, diremti in propria Castra quicumque rediere. Hoc proelio segniores quàm antea ad renovandum certamen facti sunt: contra verò hostis magna spe sublatus, præsumptâque victoriâ ab amicis, & studiosis partium copias accersere coepit, atque in primis à Mediolanensibus. Galeatius, ut supra demonstratum est, deletis adversæ factionis copiis, captaque Moguntia haud cunctatus, Actium Filium, juvenem corporis, atque animi indole præstantem cum octingentis equitibus misit. Cupiebat is Florentinorum & Bononiensium ulcisci; utraque enim Civitas, ut supra docuimus, partes Pontificis secuta haud parvas copias suis sequacibus adversùs Vicecomites miserat; itaque non immemor injuriæ in auxilium Castrucci Filium transmisit. In itinere Castrum Sancti Domnini Actius obtinuit. Positum est Oppidum in Parmense agro secus viam Æmiliam. Occurrit ei Legatus Pontificis, Actiumque invadit. Restitit fortiter Actius, & obsessum inde fugere coëgit; instabat Castruccius ut quàm primùm Appenninum transcenderet, pacta grandi pecunia. Ita Actius, tum studio partium, tum magnis pollicitationibus oneratus, Appenninum propere transcendit. Castruccius Raimundum quidem circumducere, facta spe inani per proditionem, quæ circumerant, Oppida capiendi: Arcana Colloquia introducerent paulo diutius remoratus est. Increbrescebat interim fama adventantis Actii. Id primùm Florentini vix credere, quippe rati rumorem falso ab hoste dissipari. Ceterùm quum superasse Appenninum constaret, Castra retro moventes Fucacium versùs, noctu remorantur, muniendoque Castello occupati sunt. Ægre tulit Castruccius integros abiisse, & victoriam præsumptam præripi; nam eo die expectabatur Actius; ita è colle, quem tenebat, confestim descendit, abeuntes proelio lacessit, destinetque ne longè abeant; ita in magnam difficultatem conjecit, quippe incerti erant, Castrum ne iter sequerentur, nam id non turpe solum, sed etiam periculosum videbatur, an starent & resisterent. Imminente Castruccio, appropinquantem Actium metuebant, quòd si Castruccio junctus fuisset, actum de se videbant. Ita conversis in hostem Castruccium signis, quæ reliqua salus erat, profectione desistunt. Levia proelia committuntur. Duces ceu mox acie non agmine pugnandum foret, ad pugnam se comparabant. Ceterum Castruccius non in totum de colle descendebat; sed minanti similis, quasi jamjam incursurus, certamen in longius producebat. Inter hæc Actius cum equitibus supervenit, atque Castruccio conjunctus confestim signa in hostem infert. Florentinus quamquam nova Castruccio missa auxilia animos turbaret, ancipitem Martem belli experitur, acies triplici firmata præsidio: qui in fronte erant primo congressu acerrime dimicavere; ubi autem hostis ad secundam irruit aciem, Raimundi præfectus, sive ignavia, sive fraude, nam utrumque traditur, referre illico pedem, ac signa convertere coepit. Ea res non eos tantum, quos ille ducebat; sed etiam qui certi in subsidio stabant, trepidare, ac de fuga cogitare fecit. Tunc à Castruccio impressione facta universus exercitus profligatur. Pugnantes pauci occubuere, propterea quod haud diutius decertatum fuit. In fuga major facta cædes; namque Castruccius dimissis per palantes adversarios equitibus, transitum paludis, qua fugientes evadere sperabant, occupat: qui verò pontis erant custodes, ubi videre suos fugientes, præsidium continuò deserunt. Ibi multi mortales occisi sunt: complures etiam capti: Raimundus & filius in manus victoris veniunt. Proditum in quibusdam annalibus, Raimundum, quum, diffugientibus ceteris, etiam fortiter dimicaret, Actio Vicecomiti se dedidisse. Actius illum Castruccio tradidit. Altus est passus Templo D. Jacobi Sacer, & Monasterio celebratus, apud quem locum conflixere acies, gravemque jacturam Florentinus accepit. Ea Actii victoria quæ, quantaque fuerit, triumpho Castruccii, quem ad Nonas Idus Decembris egit, ostenditur, qua victoria memorabilis apud posteros est locus. Castruccius triduum fere post victoriam ibidem commoratus, amissa Castella recepit, tum spolia, & captivos Lucam misit. Pistorium dehinc cum omnibus copiis rediit: inde apud Signiam Castra locat. Vicus est ad populationes opportunus, ac inferendo Florentiæ bello; itaque ad illum muniendum equites, & pedites convenerant, qui postea quàm Castruccium adventare nunciatum fuit, viso hoste conterriti, munitionibusque diffisi aufugiunt. Signiæ aliquantisper consistit: duobus millibus passuum aberat à Florentia: ad moenia mox profectus, terrore ac tumultu omnia opplevit: & refugiebant in Urbem, relictis vicis & omnibus, agrestes, pecora, parvosque natos secum trahentes. Exercitus deinde ad portam progreditur. Egredi nemo, aut obviam prodire hosti, nemo. Ad devastandum agrum deinde convertitur Castruccius, villas, & ædificia ab ea regione agri diripit, & succendit, ludicrum etiam cursus sub moenibus edidit, principium cursus inde constituens, unde à solito Civitatis carcere Piretolam versùs emitti desultorii equi solent. Primum agitatores equorum decurrêre, deinde cursu certavere pedites; mox meretriculæ certatim actæ sunt. Proposita victoribus præmia singulis holosericæ vestes. Triduo post in alteram regionem conversus, frequentiâ pratorum, & villarum amoenissimam, quidquid agri intra Urbem ad Marniam fluvium positum est, devastavit; & ne pars ulla à male-

lefficiis & damnis intacta maneret, Arnum per proximum Signiæ pontem transgressus, à sinistra fluvii ripa usque ad Urbem ac montes populatus est. Hæc cum egisset, militem spoliis onustum, & inæstimabili præda atque rapina ditatum Lucam reduxit, Actioque quinque & viginti millia nummum, quam pecuniæ summam promiserat, persolvit. Tunc Actius vocatis in concionem sociis: duo, inquit, Commilitones, & paucis quidem diebus præclara edidimus facinora. In itinere Pontificis Legatum obsedimus: Oppidum celebre, atque opulentum cepimus. Arrisit tunc nobis fortuna, virtusque vestra quanta foret, tunc maxime cognita fuit. Transgressi Appenninum homini socio & amico, atque Partium propugnatori; quum fere de summa rerum periclitaretur, potenti & infestissimo pressus exercitu, egregiam operam navavimus, & nostro superventu victoria facilis & opulenta parta; unde gloria profectò nostra æterna semper & memorabilis. Quid enim, per Deum, aliud armis quærimus, nisi socios & amicos defendere, nomen & gratiam quærere, & opes ingentes comparare? Ceterum ad consummatam vere laudem hoc unum deest, ut priusquam per eamdem, qua venimus, viam in patriam regrediamur, nostro ipsi nomine, nostrisque insignibus & armis victricibus Florentiæ mœnia pulsemus. Civitas diversarum est partium, nostræ familiæ gravis & infensissima numquam desistit inimicis nostris auxilia submittere, nosque ira, & odio perpetuo, & inexpiabili prosequitur. Nihil enim magis optat, quàm familiam nostram ad internecionem perdere. Hæc illa est, quæ Guelfum nomen fovet, nostros numquam odio habere intermisit. Hujus consilio potissimum, atque opibus in suburbanis nostris Raimundus, quamvis parum auspicato, Castra posuit. Hujus signa è muris spectavimus. Quare agite, eam, quam experti sumus, virtutem probate, & egregiam operam vestram exhibete, ut gens inimica è muro & tectis spectet Actium Vicecomitem, parentis & suas injurias ulciscentem, & familiæ nostræ superesse id virium, ut posthac, vel Patriæ, vel Generi illudere non audeat, id superesse virium, sive socios & amicos defendere, sive hosti parem gratiam referre voluerit. Sub hæc verba clamor sublatus à militibus, quorum fidem & alacritatem Actius laudans, postridie eos in armis esse jubet. Oriente sole Castra mota, ac Signiam rediit. Castrucciani milites, tum in gratiam Juvenis, tum ab ira, & vindictæ studio incitati eum sequuti sunt. Inde explicata acie propius Florentiam venit, se, & victricem Viperam ostentans. Acerbius eorum ignaviam increpabat, qui prodire, atque prœlia, imminente muris hoste, committere non auderent. Ita aliquot horas in alveo fluvii constitit. Ludicra quoque certamina militari plausu fecit, monetamque præ portis ignaviam exprobrans feriri jussit. Inclinabat jam dies, & quum præ ignavia atque timore nemo unus Urbem egrederetur, Lucam proficiscitur. Mox superato Appennino in Bononienses descendit. Pati non poterat animosus adolescens Bononiensem plebem, pulsa Nobilitate, quæ Gibellinæ factionis erat, patriæ imperare, & impunitum habere, quod triennio ante arma consociasset, atque in suburbanis consistens, primùm agros populatur, vicos & ædificia succendit; mox propius Urbem in loco, qui Mons Vegius dicitur, Castra locat. Obtinebat forte id temporis Mantuam, & Mutinam Passarinus Bonacossa. Adnitebatur hic Bononiensem Guelfum ulcisci, tum partium studio, tum quia ex vicinitate detrimenta metuebat. Conjungitur statim Actio, & communem hostem invadunt. Excursionibus & populatione permotus Bononiensis, natura populariter ferox, & ad arma promptus, portis erumpere parat. Inter hæc Actius, sive de via fessus, sive premente sole lassus, ab equo descendens paululum quievit: ingens vipera in galeam prope appositam, cum ceteri, qui hostes incursuri ferebantur, intenti essent, irrepsit. Ingruente hoste ad arma proclamatur. Adolescens galeam è vestigio capiti reposuit; fera horribilis prodiit, atque innoxia per decoras juvenis genas dilabitur. Satellites lapides & ligna tollunt: parci mandavit, quod ea victoriam portenderet, quando Gentis vipera pro insigni bellico esset. Hæc Franciscus Petrarcha. Manus per infesta utrique signa conferunt. Indignabantur Bononienses adolescentem inexpectatum hostem agros cursasse, & quoquo modo injuriam propulsandam. Urgebat Actius suos, illud idem commemorans, infestissimam gentem occidione delendam esse. Resistere non poterat Bononiensis, ita statim terga dat. Fugientes Actius usque ad mœnia desequutus, ingentem stragem fecit. Fuga & cæde, quæ passim edebatur, tumultus & trepidatio ingens in Urbe facta. Accurrêre ad defendenda mœnia Scholastici cujuscumque ordinis, mulieres, atque religiosi, nec timor aliàs major in Bononia, nec consternatio fuit: Triplici victoria parta tam brevi, idem Franciscus Petrarcha victoriosi juvenis actus reportavit, scilicet, antequam à podagris vinceretur.

Georgii Merulæ Statyellensis, Mediolanensis Historiæ Decadis secundæ Liber primus explicit.

EJUSDEM

EJUSDEM SECUNDUS LIBER

INCIPIT.

Actio victore cum ingenti laude & gratia in Patriam reverso, Marcus, & Lodrisius, hic Galeatii patruus, ille frater, quiescere haud poterant. Urebant homines imperandi cupidos, non tam res egregiè gestæ, quam quod videbant populari quadam gratia, militum favore, & continuato imperio regnum Galeatio partum, & quodammodo stabilitum, se verò ab omni præfectura, & publica administratione exclusos. Quid enim uni tantum Galeatio summa rerum tradita fuit? Numquid peregrini sumus, aut dum pater regnum quærit, velut ignavi arma non tractavimus, aut discrimina & pericula bellorum diffugimus? In omnibus prælis ei operam egregiam navavimus. Illius ne tantùm erit gloria cum Regias & Pontificias Guelforum copias in litore Ligustico, mox exercitu juxta Padum ad internecionem cæso, Regem potentissimum obsedimus? Mortuo parente in tumultu & trepidatione hostiles exercitus urbi appropinquantes fudimus. Quidquid terrarum inter urbem & Abduam jacet, excursionibus & populationibus miscerent, vicos diriperent, cædes passim ederent, ferro & igne cuncta fœdarent, nisi nos focii in tanto labore, & periculo fuissemus. Profectò enim amissum regnum foret, & civitas opulentissima direpta staret. Magna est improbi hominis superbia, major iniquitas, tum maxima nostra ignominia. Nos velut privati vivimus, atque ei paremus, cujus facta, si cum nostris conferantur, honestius, atque æquius fuerit nos rerum potiri. Hæc & talia quum quererentur, arcere contumeliam quacumque via statuunt. Accessit & illud: à Moguntiacis Lodrisius pecuniam cùm peteret, quæ illi debebatur pro præfectura, quam eo anno gesserat, quo Moguntia exilio & spoliis civium penè exhausta fuerat, Galeatius dependi vetuit, illud clamitans: Oppidum primum numine & auspicio Joannis Baptistæ defensum. Ceterùm Marcus & Lodrisius quosdam de primoribus urbis, precibus, & multa pollicendo attraxerant. Consilia novarum rerum ineunt, sed difficile erat sine peregrino auxilio, atque favore Galeatium principatu dejicere, quamquam invisus plebi tœdio execrationum foret. Discordia itaque & contentione fratres ad Ludovicum, quem supra diximus, ad Imperium designatum, nuncios cum literis mittunt, quarum hæc summa erat: Salvus sit maris ac terræ Rex potens. Non amplius differat adventum suum in Italiam, ut coronas Regni, & ornamenta Imperii Cæsaribus constitutas accipiat, simulque jura sua vindicet ac tueatur ab iis, qui magnis pollicitationibus spectant. (*) Quod si maturaveris adventum adversùs rerum novarum molitores, facilè opprimentur, neque de victoria dubites, Marco hostium victore adjuvante, & Galeatio, qui adjutoribus nunc princeps est, opem præbueris. Ad hæc Ludovicus: Galeatio & Marco Fratribus, & Senatui Mediolanensi Salutem. Accepimus Populos & Urbes Italiæ, qui nostro Imperio obnoxii serviunt . . . . . parumque majestatem Cæsarum revereri, neque curam, aut fidem servare, quam majores sui majestati nostræ præstiterunt: quinetiam nonnulli ceu rebelles censentur cum iis, qui adnituntur per fraudes atque vim in externos jura Regni nostri transferre. Ergo quum in animo Nobis sit Italicam gentem quietam facere & liberam ab externorum vi, atque injuriis, simulque quidquid juris & libertatis populorum ab alienigenis vendicare, omnibus sua jura restitui, ut pro legibus nostris, & instituto gentis, ac more majorum agant; quapropter in fide, atque officio, dum publica administratis, permanete. A nobis enim honores & commoda accipietis. Nos bene valemus, & quamprimum cum apparatu Cæsare digno ad vos veniemus, ut quæ nostri juris sunt recipiamus. Pacem, & quietem vobis, Deo suffragante, afferemus. Deinde haud multis diebus post Rex ipse per saltum Tridentinum Italiam intrare nunciatur; quod ubi divulgatum fuit, continuò Marcus Tridentum venit, fratremque apud Ludovicum graviter accusat. Illi in primis crimini dabat, quòd pacem ita cum Legato paciscitur, ut Germanos proceres finibus Italiæ submoveret, eumque ornamentis Imperatoriis fraudaret. Super his nuncios Pontifici missos, ut Pontifex ea confirmet. Festinet igitur Mediolanum, quoniam adventus ejus necessarius, & expectatus à multis, honorificusque Cæsari futurus sit. Hac ratione motus Ludovicus, quàm primum in Italiam se descensurum pollicetur. Ægrè fuit Galeatio, Marcum Tridentum profectum esse, & cum Ludovico colloquia habuisse. Ita dehinc super novandis rebus suspectus illi fuit & invisus; & quum revenisset in patriam, asperius sic increpuit. Marce Marce notum tibi credo verbum illud, quod vulgò usurpatur: eum plerumque qui frontem insignire studet suomet sibi digito oculum eruere. Subjecit Marcus: quidni illud utique tu non ignoras, Galeati, eum, qui solus esse velit, solum & in periculo semper vivere; quibus designavit: Galeatium, qui solus vivere expetebat, aliquando à ceteris desertum, & derelictum, inopem, & regno pulsum iri; quare velit fratres, & propinquos in partem rerum participare. Dum Fratres Mediolani tumultuantur, & de possessione regni quodammodo ambigunt, sibi invicem suspecti, à Tridentinis faucibus digrediens Ludovicus, per vallem Camonicam Bergomum pervenit, inde novum-Comum applicuit. Mensis erat Majus. Confestim Galeatius eò cum apparatu, & comitatu amplissimo proficiscitur, ut Regem salutaret. Marcus item, & Lodrisius cum sequente turba nobilium, & primoribus Populi Comum proficiscitur. Inter Novocomenses erat Franchinus Ruscha opibus & nobilitate præstans. Hujus opera atque studio ad Regem introducti, Galeatium, ut ante fecerant, crimina repetentes accusant. Diluebat is objecta, ea refellens & redarguens, quæ vitio dabant In-

(*) Ita legitur in autographo, sed aliquid conjecturà supplendum.

Instare paullo acrius æmuli. Subinde efflagitare jus à Cæsare sibi reddi super vi & usurpatione Regni, quod Galeatius sine socio obtineret; neque conviciis parcere, paulloque licentius ac contumeliosius identidem litigare. Tunc subiratus Rex: Si quidquam à nobis corrigi vultis & emendari, & Galeatium puniri, si quidquam vel adversùs Nos egit, vel fratres à se ejiciat, à conviciis & opprobriis abstinete. Nunc Mediolanum redite: ibi ex æquo rem disceptabimus & componemus super his, quæ petitis, & unicuique digna meritis rependemus. Ea enim mansuetudo & clementia semper fuit, ut numquam à se misericordiam abjecerit, opemque frustra quisquam in re justa poposcerit. Post hæc equites Germanos ad quatuor millia Mediolanum præmisit. Postridie verò Idus Majas, post meridiem, magnifico cum apparatu, & solemni pompa Moguntiam ingressus est. Unum diem in oppido commoratus, Mediolanum deinde pervênit; exceptus enim fuit à Galeatio & Populo magno cum honore, lætitia, atque plausu. Galeatius namque, etsi Fratres, & alii multa objecissent, voluit ostendere pro more majorum se Cæsari deditum, eaque omnia præstitit, quibus fides & observantia præstatur. Pergratum fuit obsequium Cæsari, quare illum palàm omnibus Principem Populi designavit, ea omnia legitimè confirmans, quæ ante obtinuerat. Deinde quæ ad coronationem faciendam, & Regni titulum pertinerent, multà acta sunt. Confluxerant Mediolani Primores Longobardorum, partim officii causa, partim ut rem viderent, vix semel suâ, & patrum memoriâ spectatam. Venit inter alios cum ingenti comitatu Canis Scaliger Veronensis tyrannus: potens is erat ea tempestate opibus, & numero militum. Sequuti sunt milites mille & quingenti, & totidem pedites. Diversatus est in æde D. Ambrosii. Regnum Longobardorum affectabat Scaliger; itaque ad locum, quem Posticum S. Ambrosii vocant, pontem clam fabricari fecit, ut ei liceret, vel inscio, vel invito Galeatio noctu, atque interdiu fossas & muros transire. Galeatius cognovit insidias sibi parari, ita nocte, quæ insequuta fuit, pontem subverti jussit. Iniquo animo id Canem tulisse ferunt, mandavitque dispensatori protinus, ut aves omnes coëmeret sive vernaculæ & altiles, atque urbanæ, sive agrestes forent, apros præterea, cervos, & cetera id genus, quæ comportari in urbem solemnibus diebus solent: Hoc autem eo consilio fecit, ne Galeatius haberet unde Regem, & Proceres opipare pro amplitudine pascere posset, sed contra quàm speraverat, cessit; ea enim est agri ubertas, & urbis copia, ut quo plus vescendo absumpseris, hoc plus esculenti, atque poculenti per omnes regiones perducatur. Exponente subinde dispensatore opulentiam rerum admiratus Canis dixit: uberior longè est hæc civitas, quàm opinabamur, & nobis expositum fuerat. Tunc Canis spe potiundi regni lapsus Veronam abiit. Ceterùm Galeatius omnes eos convocari jussit, quos sibi amicos, & Cæsarum studiosos noverat, ut coronationi interessent, atque omnia præsentiâ suâ decorarent, & honestiorem coronationem redderent. Festo itaque ac maximè venerando die, quo divinus Spiritus de Cœlo super Discipulos descendit, & Pentecosten Religio nostra vocat, in Templo D. Ambrosii, adversùs sententiam & edicta Pontificis, regia ornamenta à tribus Episcopis, quos Pontifex exortes communionis Christianæ fecerat, Sacerdotioque publicè abominatos summoverat, Ludovicus accepit. Erant Gibellinæ factionis Federicus Madius Brixianus Episcopus, Guido Tarlatus Petramala Aretinus Episcopus, atque Tridentini sacri Antistes. Hi non modo non permittente Johanne, sed etiam palàm resistente, & diris atque execrationibus persequente eos, qui favorem atque obsequium Ludovico præstitissent, in contemptum Pontificiæ auctoritatis regia ornamenta, ritè peractis sacris, tradiderunt. Regina quoque aureâ coronâ donatur. Ita Sacerdotes jure Ecclesiastico submoti abominatum Cæsarem coronavere. Ludovicus autem, ut aliquo beneficio & honore sibi cives conciliaret, pro ritu & instituto superiorum Cæsarum parazonio militari tres accinxit, Actium Vicecomitem, Oldoinum Biragum, Beccarium Beccariam Papiensem genere, qui id temporis ex prætura jus in urbe reddebat. Post regia ornamenta accepta, dignitateque, & honore eos impertitos, qui præesse ceteris videbantur, Marcus & Lodrisius graviora adversùs Galeatium moliti sunt. Excitavere primores urbis quosdam de nobilitate, & complures plebeji generis, qui opibus & factione pollebant, ut sub specie vindicandæ libertatis à Cæsare peterent libertatem, & jura Populi restitui: qui accedentes ad Cæsarem: non divitias, dixere, postulamus, aut ceteris imperare, sed ut Populum liberum facias, ut scilicet æquo jure in patria omnes vivamus. Indignum profectò, quòd non paucorum, sed unius arbitrio publica negotia gerantur: libertate nobis erepta Galeatius regnum in civitate libera nobis constituit. Res non est publica, nihil seniorum consilia valent, submoti sunt ceteri ab administratione. Libertatem cum salute amisimus, libidini unius obnoxii sumus, qui de suo arbitrio omnia gerit. Adventum tuum summis precibus & votis expetivimus, ut sub tutela nominis tui à vi, & injuria tuti Cæsari pareamus, cui servire, non modò honestum sit, sed quodammodo receptam libertatem existimemus. Ad hæc Ludovicus, præterquam quod eo consilio in Italiam potissimùm descenderat, ut principatu Vicecomites dejiceret, & per causam restituendæ libertatis imposito civibus tributo urbem exhauriret, quam illi magis offerre videbatur, ut summam rerum capesseret, quàm quòd libertatem à Galeatio vindicaret, pridie Nonas Julias, dato negotio homini barbaro & fero, Galeatium, Johannem, Luchinum, & Actium capi jubet, & ne Moguntiaci captivitate illorum ad consilia rerum novarum animos inducerent, continuò Johannes quidam barbarus, cum Marco, Pagano Mandello, & Ramengo Casate Moguntiam petunt, atque convocato in concionem Populo, mandata Ludovici exponunt, claves portarum subinde accipiunt, Prætorem renunciare mandatis, & nomini Galeatii cogunt, ut deinceps omnia ageret ex nutu dumtaxat, & arbitrio novi Regis, ac leges, & judicia exerceret. Posthæc petierunt in manus arcem sibi tradi. Pernegat Custos Præsidii; quippe ita jurejurando fidem Galeatio se astrinxisse, ajebat, ut arcem illi uni præsenti redderet, aut cui is præsens mandasset. Dùm paullo longiore sermone inter jurgia & graviora verba in recipienda arce utuntur, Ramengum Casatem ambiguæ fidei suspectum Marcus paullo asperius incusat, graviore sermone usus ad hanc sententiam: Ramenghe, Rameghe, qui machinas struit, is etiam distur-

sturbare & evertere potest. Repercussit Ramengus: o Marce adhuc non is es, quem putas esse. Inter hæc Stephanus fratrum minimus moritur, non sine suspicione veneni; nam quum Regi pocula fortè prægustasset, morbo continuò corripitur, & paucos post dies quum decubuisset, extinctus est; in tumultu tamen honorificè funeratus, & marmoreo sepulchro conditus fuit, quod in ædicula Thomæ agnati dedicaverant in Templo S. Eustorgii. Ceterùm Ludovicus Galeatio & filio mandat confestim, arcem Moguntiæ sibi dedi: tres præstituit dies, quod nisi dedatur Galeatius securi percutiatur. Custos arcis petentibus respondit: mandatum sibi à Galeatio fuisse, neminem, nisi se præsente intra arcem reciperet. Dies instabat, tunc Beatrix uxor, & Ricciarda filia Moguntiam profectæ, primùm precibus, deinde quum parum proficerent, humi stratæ lamentis, & suspiriis, fletuque maximo supplicant, arcem Regi redderet, quoniam id mandabat Galeatius. Perstabat in sententia Præfectus fidem servare, neque ulli arcem consignare, nisi præsentem viderit dominum, ac prius se moriturum, quàm fidei suæ rem creditam prodat. Tristes & gementes quum nihil exorare possent abiere. Præfectus autem re cognita, & quantum periculi Galeatius subiret, se ita demum arcem traditurum paciscitur, si stipendia sibi & custodibus debita persolvantur. Recepta arce Germano homini immiti & perfido cum peregrino præsidio Galeatius cum filio & duobus fratribus Johanne & Luchino custodi traduntur. Tunc creditum vaticinium, quum arx ædificabatur: Galeatium sibi & suis dum arcem extrueret, carcerem & vincula parare. Inops erat pecuniæ Ludovicus, neque alia erat via cogendi auri, nisi sub specie restituendæ libertatis, quam in primis plebs optabat. Ita Præfectum urbi dedit Gulielmum quondam Comitem Montisfortis, contribuit quatuor & viginti Patricios, qui urbica negotia procurarent, & nihil solus de suo arbitrio is Gulielmus statueret, sed cuncta ad primores referret. Postulavit deinde quinquaginta millia nummûm aureorum sibi persolvi; summa pergravare Populum, tamen non ægrè persolvitur; accepta quippe, ut sperabatur, libertate. Constituta in hunc modum civitate in Thusciam primùm è Longobardis proficisci constituit, ut deinde Romam peteret. Castruccius, ut in Etruscos properaret, in primis poscebat; nam post illatas à se, & Actio clades, non desistebant à populatione, & excursionibus, tum etiam castella & vicos diripere, atque in dies majore animo atque impetu adversarios Castruccium infestare; jamque propius extrema pericula venerat. Florentinus à Pontifice, atque à Roberto Rege, à sociis præterea, & iis omnibus auxilia acceperat, quorum fidei Guelfa factio se permiscebat. Tantis insistere viribus Castruccius nisi sub Germani Cæsaris umbra & præsentia non poterat, & quamvis captivitas Galeatii, & fratrum Gibellinos proceres quodammodo à fide & gratia in Ludovicum avertisset, libens tamen & l tus illum cum honore maximo is excepit. Aliquot dies Lucæ commoratus Rex, ut pro liberalitate & obsequio aliquid gratiæ reponeret, illum ex principe Lucensium Ducem creavit. Pisani obnoxii alioquin semper antea Ludovico, ob odium & simultatem in Castruccium portas claudunt, obsequium abnuentes, & fortiter imperata se non facturos dicunt. Sed haud multos tamen post dies, factione Impe-

A ratoria prodente, Pisas ingreditur, & quos rebelles cognovit, partim exilio & bonis, alios capite mulctavit, atque imposito ad custodiam Urbis Præfecto, Romam versùs cum Castruccio proficiscitur. Nullus in via ei restitit, quamvis haud parvæ copiæ diversarum partium coivissent. Ita Nonis Sextilibus in Templo Petri auream coronam accipit. Paruere illi in primis, opem atque operam, impensasque præstitere S. Floræ Comites, & Sarra Columnensis, tum ceteri proceres Gibellini in Urbe. Nominis indignum ratus Johannes majestatem Pontificiam, & auctoritatem in contemptum hoc sacrilego ausu & nefario conatu plurimum violatam iri, iterum Ludo-
B vicum palam execratur, & detestatur: is contra ut jura supremi Sacerdotii Johanni abrogaret, & illum velut Summo Sacerdotio indignum demonstraret, cui parêre nefas esset, Petrum Corbatensem de Religione Minorum Pontificem supponit, quem Nicolaum IV. appellavere, & adulterino Pontifici potestas creandorum Sacerdotum contributa fuit. Ita multos Cardinales instituit, atque in Italiæ, & Germaniæ Urbibus Sacerdotes, & quos voluit Sacrorum Antistites; neque his contentus propudiosus & nefarius homo alterum Pontificem publice detestatus fuit, & hæreticum pronunciavit. Romana tunc Ecclesia magno in discrimine versabatur. Inventi etiam
C fuere religiosi viri, & in primis universa Minorum Fraternitas, qui Johannem falsum Pontificem assererent, & ceu hæreseos argutum semel, atque iterum in universali conventu, quem Religiosi triennio quoque faciunt, adversùs Jacobum Carthusiensem multa constituere, Hoc Johanni, antequam ad Pontificatum assumeretur, nomen erat. Exarsere tunc, laborante Ecclesia, factionum iræ, & civilia odia, atque in præcipiti stetere domesticæ seditiones, & impia arma. Ceterùm Gibellini nominis primores, qui Romam convenerant, summis votis & precibus à Ludovico petivere, ut Galeatium, & fratres, quos in vinculis servabat, relaxaret, & in primis Castruccius.
D Hic constans & perseverans, magnis pollicitationibus deflecti aut abalienari ab amicitia atque societate constanti, quam cum Galeatio iniverat, numquam potuit. Precibus & magnis pollicitationibus inexorabilis Ludovicus persistebat in opinione, ratus videlicet, si Vicecomites regno circumvertisset, facile ceteros ad quæcumque is imperaret venturos. Commovit ea res multorum animos. Inter hæc Florentini per absentiam Castruccii, Pistorium, quæ Civitas sub imperio & ditione ejus erat, intercipiunt; quod ubi illi nunciatum fuit, continuò Româ abiens Lucam versùs pergere cœpit, contractisque, quas undique potuit, copiis, Pistorium obsidet. Deficiebant
E Ludovico pecuniæ, nec habebat unde debita stipendia militibus solveret, aut eos aleret, qui de Germania officii causâ se prosequuti fuerant, exhaustus igitur, & inops pecuniam à Romano Populo sibi contribui imperavit. Non potuere pati vel superbiam, vel avaritiam externi Regis, Romani; itaque tumultuatum in Urbe. Quare veritus Ludovicus ne in se arma converterent, relictâ Româ, cum suo Pontifice, in Ethruriam properavit, & ut gratiam, quæ cum Castruccio nutare videbatur, reconciliaret, Vicecomites solvi, & vinculis liberari jussit, cum hoc tamen, ut ad se in Ethruscos venirent. Octavo Kalendas

Apri-

Aprilis vinculis liberatos constat anno, ex quo natus est Christus MCCCXXVIII. & haud cunctati in Ethruscos festinarunt. Prosequuti sunt abeuntes magnis donis Moguntiaci, memores scilicet beneficii, quod à Galeatio acceperant. In Thusciam verò ante adventum Ludovici perveniunt. Galeatius ad exercitum divertit, Castruccium salutaturus. Excepit illum Castruccius supra modum lætus, atque ut fidem, & amorem ceteris testaretur, se invicem post amplexus exosculati sunt, deinde de fortunis & rerum statu multa loquuti, & inprimis ne à barbaro circumducerentur opibus, quem inopem & infidum videbant, consilia ineunt. Appropinquabat Ludovicus. Tunc Castruccius, relictâ summâ imperii in castris Galeatio, ut obsidionem curaret, ipse Lucam concessit. Ceterùm haud multo post in languorem incidit Galeatius, quod intelligens Castruccius, continuò in castra rediit, languentemque, Pisciam, hoc oppido nomen est, referri jussit, qui triduo post, prægravante morbo, è vita decessit, relictis Actio, & Ricciarda filiis, quos ex Beatrice susceperat, uterque in exilio nati, Actius Ferrariæ, Ricciarda Tarvisii, quod nomen puellæ inditum fuit in gratiam Ricciardi Caminatis, cui Johanna nupserat ex Beatrice & Gallura genita. Post mortem patris Ricciarda Thomæ Saluciensium Principi in matrimonium data fuit. Ceterùm Castruccius Pistorium per vim cepit: desæviit autem in captivos; eos namque fere omnes occidi jussit, qui diversarum partium in toleranda obsidione pertinacius se gesserant. Præsidium omne, sicut convenerat, incolume abiit. Recepto Pistorio, atque præsidio imposito, cùm Lucam venisset, in valetudinem incidit, neque multos post dies supervixit. Morbum contraxisse traditur corpore in longa militia, & animo semper ad magna tractanda, & aggredienda fatigatis. Numquam is postea quàm ex insperato, atque inopinato Lucæ dominatum obtinuit, ab armis ociosus fuit; namque, sive inimicos bello lacesseret, & acie confligeret, sive injurias ulcisceretur, perpetuò arma tractavit. Florentinos magnis cladibus affecit. Eos fere omnes, qui vicinis in locis diversæ factionis opibus præstabant, excursionibus & populationibus primùm vexavit, mox castella diripuit, & ingenti præda ditatus, conatus, & impetus adversariorum, non solum sustinuit, sed semper victor evertit, & quamquam suæ ætatis in gerendo bello duces omnes superaverit, non minor illi laus & gloria ex amicitia & societate cum principibus suarum partium inita pervênit; namque socios & amicos sæpius ex fide, quàm ex commodo servavit. Numquam eos deserens, qui in societatem coivissent, aut in arbitrio & tutela se permisissent. Ceterùm Ludovicus in filios Castruccii se ingratissimum præstitit; namque inops & parandæ pecuniæ avidus pueros paternis opibus & regnó spoliavit. Per eos dies accidit in Laude Pompeja res atrox, & commemorabilis; nam Vistarina familia omnis extincta ob perfidiam & immanem crudelitatem Petri Temacoldi, obscuro & humili loco nati, & sordido quæstu vitam alentis, quæ potentiæ & iræ causa fuit. Erat illorum satelles Petrus Temacoldus, cui Vegio cognomen erat. Pistrinaria jumenta agebat molarum partiarius, alioquin juvenis ferox, & manu promptus; tum ad omne facinus moliendum non ignavus. Hunc turbæ latrocinantium præfecere. Ita fiducia; tum latronum cohorte succinctus, perpetuis injuriis, maleficiis, & gravibus detrimentis peregrinos populares afficiebat, qui diversarum partium habebantur; ita ex humili; & infimo gradu, & inops contraxerat ex præda, & datis muneribus impunitatem: præterea & beneficiis ingentem multitudinem sibi conciliavit. Confluebant spe prædæ complures privati bonis & fortunis mulctati, ut damna resarcirent: alii spe prædæ, & quærendi nominis ergo. Jam magna manus coiverat. Vistarinus studio vindictæ & partium omnia concedebat, tum claves portarum, ut ita quoties commodum fuisset, egredi urbe, & rursus regredi liceret. Forte juvenis opibus clarus & nobilitate, Socino nomen, puellam Petro cognatam constupravit, alterum eidem propinquum, ejectum de Sacerdotio, stupri, & rapinæ expostulavit. Res inulta mansit. Movit injuria & contumelia Petrum, & dum de vindicta cogitat, consilium crudele & nefarium capit. Noctu mille & quingentos pedites, partim clam, alios palàm in urbem intromisit, atque, ut constitutum fuerat, armati pergunt in forum, clamitantes subinde: *Vivat Populus, vivat*. Sub hanc vocem ædes protinus Vistarinorum circumveniunt. Clamore & strepitu excitati Vistarini prodeunt in vias, illud tantum increpant: Quid hoc Petre rei est? Quid moliris? Quorsum ista? quibus respondet ferociter: statim intelligetis. Subinde manus in duos primores gentis injectæ, atque statim sex alii capti: ceteri Vistarini cum raptore periculo erepti evasere. Tunc Vegius se Vicarium Pontificis appellari fecit, ut hac via Sectas diversas populares sibi permulceret; qui verò vincti tenebantur, velut alienæ culpæ rei, post graves cruciatus, in armario quod in carcere positum erat, concluduntur, ubi incontinenti enecantur. Procurabat, ut supra diximus, Ludovici nutu rem Mediolani Gulielmus à Monteforti; ad hunc nuntii celeriter missi: Vegium in fide & potestate imperata Cæsaris partibus perseverare, neque umquam in potestatem & ditionem Pontificis se & Laudem permissurum, & quæ is imperaverit d trectaturum, sed semper quæ ad defendenda Germanorum Regum jura, & ejus factionis commoda, quæ Romano Imperio est addicta; acerrimè adversùs illius hostes propugnaturum: neque putet fœdum & inhumanum scelus in occidione eorum factum, qui per impotentiam id ausi sint; quod procul à societate, & jura fœderum erat: nam præterquam quod vim puellæ insolenter intulerint, redditus Templorum, ejecto Sacerdote, interceperint; de prodenda etiam urbe agitabant, jam nuncios ad Legatum miserant. Hæc ne vera, an falsa: hoc & velut prætextum nefario sceleri excogitaverit, parum liquet. Illud autem in Annalibus proditum est, sub nomine Gibellino Laudem tenuisse, neque umquam commodis & armis Sectæ discessisse. Dei itaque judicio & quidem justo Vistarinam gentem hac clade affectam crudelissima facinora luisse, & horrendos cruciatus, quos in eos ediderant, qui rebus suis obstitere; siquidem in vinculis & custodia habitos perpetua inedia & siti enecarunt: deficientes irridebant. Interea Ludovicus Pisis potitus Tarlatum quemdam Aretinum urbi præfecit. In Castruccii filios non satis æquus videbatur; quamobrem Lucenses primùm adventanti portas claudunt. Id barbarus iniquo tulit animo, estque eis gravissimè, & acerbissimè minatus. Tunc Castruccii uxor, ut iratum leniret,

airet, simulque saluti filiorum, & opibus consuleret, Pisas cum muneribus accessit. Munera barbarus præ avaritia accepit, atque subinde Lucam pergit. Plebem adversùs Castruccios insurgere fecit, administrationemque publicam adolescentibus eripuit, Præfecto imposito. Tunc quemdam è proceribus præfecit; & ne gratis duo Populi tyrannide liberati haberentur, Pisano, atque Lucensi magnam vim pecuniæ imperat. Dum hæc geruntur, Carolus Roberti filius, cui urbem Florentini suam secundò promiserant, morbo correptus Neapoli moritur. Liberatus Carolorum imperio Populus denuo de vindicanda administratione Reipublicę negotium capessunt. Jam invisi erant Apulis, atque Campanis ob nimiam plus habendi cupiditatem: omnia enim in publico negotio pecuniæ gratiâ faciebant, &, ut res Populi penes cives extra nutum, & opinionem extraneorum fieret, urbis magisteria duo instituuntur, Plebis unum, in altero Plebeji, & Nobiles mixtim gerendis rebus præpositi. Per id tempus Ludovicum deseruere circiter octingenti Germani equites, Pisisque egressi Lucam versùs contendunt, ut Lucenses repentè opprimant insidiis. Cæterùm res cognita fuit; itaque, portis occlusis, prohibiti fuere. Ergo spe lapsi, quidquid agri circa erat, populantur, verùm in morem justi exercitus stativa in colle, quem olim Castruccius communiverat, locant. Timuere pariter vicini omnes, tam Ludovico amici, quàm infensi. Tum per nuncios fœdus cum Florentinis quæsivere, fidem, & operam mercede pollicentes. Abnuêre postulata Florentini, quòd parum tuta societas, & fides duratura eorum, qui stipendiis parti infideli atque avaro barbaro meruissent. Cæterùm Ludovicus pecuniis egenus, quum tumultus, & seditiones, quæ quotidie inter Germanos exoriebantur, comprimi haud possent, nisi aliqua in parte persolutis stipendiis, restituere in regnum Vicecomites fratres instituit; atque consilio, & opera communium amicorum reditus in patriam ita transfigitur: sexaginta aureorum millia Marcus, Johannes, Luchinus, & Actius Ludovico penderent: dimidium summæ præsens numeretur equitibus, qui à Ludovico defecerant, cætera summa Ludovico esto. Re in hunc modum confecta, Johannem Vicecomitem à Nicolao Pontifice in numerum Cardinalium cooptari voluit, &

A Actius procurator Mediolani creatur, uterque acceptis literis ad Præfectum, & vigintiquatuor cives, quos Ludovicus Reipublicæ præfecerat, Mediolanum versùs festinant. Postridie de ritu Pontificio consistorium habuit adulterinus Pontifex, atque Johannem ipsum Vicecomitem legatum in Longobardis constituit. Cæterùm Johannes Pontifex, ut factionem sublevaret, resistique item conatibus Ludovici posset, in Longobardos ex Ethruria revertentis, pecunias è Galliis ad Beltrandum mittit, ut novos conscriberet milites. Hoc ubi hi rescivere, qui partium Ludovici erant, confestim per insidias juxta Clastidium pecunias intercipiunt: Ii ferè omnes capti atque spoliati, qui

B pecunias comportabant: vulnerati etiam quamplures, inter quos Johannes Andreas Civilis scientiæ consultissimus, Legumque interpres peracutus, & sollers captus est, & in vinculis aliquantisper est habitus. Per hæc tempora res Gibellina non admodum parva jactura, morte procerum, affecta putabatur; namque paucis diebus Galeatius, & Castruccius mortem obiere, & haud ita multo post Canis Sealiger, quem Grandem dicebant, Sarra Columnensis, Guido Episcopus Aretinus, Passarinus Mantuæ tyrannus, & Succius Vistarinus, ita volentibus fatis, interiere. Adeo Ludovicum coluere, & amplexi erant, eoque studio in factionem tuendam adnitebantur, ut ex anima Ludovici vulgo constarent. Interea Actius Me-

C diolanum appropinquabat. Paucis deinde diebus ingressu urbis prohibitus. Siquidem Gulielmus, & viginti quatuor Decuriones, quibus procuratio rerum permissa erat, priusquam illum, & Johannem patruum admitterent, literas in concione recitari jusserunt. Posthæc referunt: Moguntiacis quæ in Ethruscis gesta forent enarrent. Suscepere veteres Dominos Moguntiaci, memores videlicet quantum Galeatio, & fratribus deberent, qui pro oppidi salute laboraverant. Exclusit eos patriâ Gulielmus, neque prius recipi passus est; quàm stipendia præfecturæ sibi illico soluta fuere. Tredecim dies Moguntiæ commorati, tandem cum ingenti honore, & civium studio, tum & acclamatione populari urbem ingrediuntur. Procuratione rerum suscepta Actius Gulielmum urbe cedere jussit, qui protinus in Germaniam abiit.

Georgii Merulæ Statyellensis finis II. Libri Mediolanensis Historiæ.

Digitized by Google

GEORGII MERULÆ STATYELLENSIS

INCIPIT TERTIUS LIBER MEDIOL. HISTORIÆ.

IN hac rerum mutatione, & casuum varietate, si umquam aliàs, tunc maximè cognitum fuit, regna fato dari. Paternum itaque regnum Actius recuperavit undetrigesimo post mille, & tercentum à partu Virginis, ab electione Ludovici anno decimo octavo, & biennium postea quam Mediolani regni coronam is accepit. Agebat Actius septimum & vigesimum, infensus Romano Pontifici palam Nicolaum adulterinum fovebat, edictis Johannis fortiter repugnans. Venere per ea tempora Mediolanum religiosi quidam de Minorum Fraternitate: hi palam in concionibus, pube præsente, & omni populo Johannem hæreticum, & iniquum Pontificem prædicabant, nec eo sermone contenti, literas passim recitari curaverunt, adductis insuper testimoniis ex sacris edictis, & jure Pontificio Johanni parendum non esse comprobabant, tamquam titulo hæreseos, & perversè immaniter Pontificia potestate abutenti; quippe indigno cui tantum auctoritatis permitteretur. Movit hæc denunciatio multorum animos. Jam Actius reconciliari Pontifici in animum induxerat. Infidum expertus Ludovicum, illos impietatis reos damnare cœpit, qui adulterino Pontifici obsequerentur. Palam autem Ludovico adversari minimè tutum putans ante quam triginta nummûm millia persolvisset, quæ ex conventis, & pactione omni multitudini debebantur, quæ à Ludovico defecerat, & Marcum patruum obsidem, & sponsorem promissi habebant. In conficienda pecunia Actius elaborabat, quam legati, qui cum illo ex Ethruscis venerant, paullò acerbius exigebant. His igitur undecumque potuit coactum argentum nomine militum persolvit. Verùm tam Ludovicus, quam desertores pecunia fraudantur; namque legati, non ad commilitones in Ethruscos, neque ad Ludovicum, sed in Germaniam auro onusti abiere. Cæterùm Germani amissa spe auri, & à sociis proditi, atque elusi, nihilominus tamen in iisdem locis castra tenuere, Ludovico maximè infensi, & de ulciscenda injuria tempus expectantes, in Marcum tamen proni, & obsequentes; quippe qui id, quod res erat, apertè videbant; neque ab Actio quidquam noxæ accepisse, sed fraudem omnem legatorum esse, de quorum fide gravius conquerebantur. Interea Ludovicus in Longobardos transire statuit: Repugnabant cœptis ejus transfugæ, præterea multi principes factionis Aquilinæ ab illo aversi atque abalienati stabant: alii palam defecere. Suspectus omnibus erat super eo, quòd perfidus Vicecomites regno everterat, & Castruccii liberos, quos moriens pater in illius fidem, & tutelam tradiderat, regno & opibus spoliaverat, & quod in contumeliam, & excidium eorum, qui partes suas susceperant, factum existimabant, Guelforum opes fovebat; Gibellinis verò, ut pecunias corraderet infestus, liberaverat à vinculis Raimundum, & alios, qui à Castruccio & Actio vincti Lucæ, & in oppidis, quæ sub Castruccii ditione erant, servabantur. Nulli pepercit, aut fidem servavit contra decus Imperii, & factionis com-

A moda, modò aliquid auferre posset. Discordias præterea, & certamina inter primores Populi serebat. Ita inops, & omnibus odiosus Mediolanum pergere instituit. Moguntiæ adhuc ex jussu & auctoritate Ludovici, & arbitrio suo res gerebat Germanus quidam, nomine Ludovicus alter Dux de Tech; arcem præterea cum oppido tenebat: Bassianus Cribellus ab eodem Ludovico prætor constitutus erat: Existimavit Ludovicus è re sua esse per literas prius animos oppidanorum, alioquin infensos, sibi reconciliare, & in officio continere, quarum sententia hæc erat: Ludovico Duci parerent pro fide & officio, illumque colerent, & benignius tractarent. Literæ vocatis in arcem Decurionibus recitantur; tum pauca subjecit: de re communi agi oportere, si prius jurejurando promisissent, fidem, quam semel, Imperatori servaturos. Vos Imperator præ ceteris Longobardorum unicè amat, & amplectitur, quos etiam magnis commodis, & beneficiis prosequi in primis studet, ita majora, quàm antecessores præbuerunt, expectare debetis. Descensurus nunc in Longobardos illud magnopere cognoscere cupit, quo pacto animatus sit hic Populus, & an obsequium ex fide illi præstaturi sitis, tum an benigni & alacres eum recipietis; quòd si aliter animati estis, id quod vix credit, ad alios, quos sibi fideles & obedientes cognoscit, accedet, neque terram vestram attinget, nisi vobis volentibus, & imperata facturis. Hoc sermone recreati sunt aliquantulum Decuriones, qui extimuerant vehementer ubi vocati in arcem fuere, ne vel ut obsides barbarus in custodia contineret. Tum unus ex primoribus, cui Paullo Liprando nomen, lætus & hilaris, dissimulato metu, sic respondit: Illud in primis, quantum mentem & animum popularium exploravi, verissimum prædico, hujus oppidi cultores, sive mares, sive fœminas, Imperatoriæ partis esse: quin etiam pueri ipsi, etiam ubi primam vocem emittere possunt, se Imperatori deditios fatentur; quare de fide & animo in se nostro minimè dubitet. An putat nos immemores beneficiorum, & honorum, quibus Antecessores sui supra cæteros Longobardorum nos affecere? Privilegiis honorarunt, dotibus præterea templa ditarunt. Numquid non multas ætates durat jus illud regiæ Coronæ, quam Cæsares Germani à nobis in perpetuum ornamentum acceperunt? & quamquam externis Proceribus multa debeamus, plurimum tamen Bavarorum Familiæ debemus. Ex hac progenita fuit Theodolinda mulier Sanctissima, & Regina potentissima. Hæc templum hoc ingens & augustum condidit divina admonitione compulsa: hujus ossa honorificè tumulata supremo honore colimus & veneramur. Hæc fuit causa & principium tantæ dignationis, quantum, quod cum bona venia cæterorum dictum sit, nullus Italiæ Populus umquam assequi potuit. Quare sibi de nobis polliceatur Cæsar, numquam nos à fide & officio discessuros; neque de nobis dubitet; quin potius speret, nos pro dignitate & Cæsarum majestate tuenda pericula omnia subituros. Præ-

Digitized by Google

Præfectus huic responso lætus inquit: Ego hæc, quæ dixisti, omnia noster Imperator novit, & veteris Reginæ respectu magis atque magis vos amat, & complectitur. Sub hæc verba Decuriones misit. Cæterùm Actius ubi sollicitari Moguntiacos ab Ludovico ita intellexit, ut eos à Vicecomite averteret, & in obsequio firmaret, oppidum quacumque via recipere constituit: ita Martinum Liprandum clam Moguntiam mittit. Hic, & fratres, quamvis Mediolani agerent, Moguntia tamen oriundi erant. Hic secretò amicos convocavit, & consilium iniit, quo pacto Moguntia Actio tradi posset. Adventus Martini multorum animos movit. Ignorabant plerique quòd ita Mediolano repentè cessisset. Alii dicebant: Mediolanum in armis esse, & res novas moliri. Tunc prætor urbis etsi tanto muneri impar esset, portas Urbis per apparitorem claudi jussit. Illum Martini frater percussit, & claves eripuit. Tumultus factus est ingens: ita continuò multi acceptis armis, ne porta clauderetur intercedunt: Germani equites, qui arcem tenebant, ubi clamorem audivere, & ad portas oppidanos concurrere, haud cunctati, arce regrediuntur, sed haud multo longe egressi sunt. Supervenit tunc Pinala frater Martini cum quingentis equitibus, quos ab Actio acceperat. Actium auctoritate Imperiali Mediolani procurationem tenere dictitare. Oppidum ingressus ad forum primum contendit clamitans: vivat, vivat Actius Vicecomes, deinde arcem versùs properavit. Germani equites, qui pro arce stabant, retroversi, in via, qua Mediolanum itur, constitere: captivos quatuor tantisper tenuere dum libertatem mille aureis redimerent. Tunc Pinala munitiones, & vallum extra jactum sagittæ extrui jussit. Ita circumclusi stabant Germani. Inter hæc Actius legatum misit Boschinum Mantegatiam: hic militari insigni ornatus erat, & Paganum de gente Mandella, statimque vocatis ad se primoribus oppidi, Boschinus inquit: Actius Princeps noster veritus, ne in novitate rerum ob adventum Imperatoris vos quoque animum ad nova consilia applicaretis: neque tamen adversari Cæsari in animo is habet, sed ab urbe opulenta, & à vobis pariter calamitatem imminentem arcere instituit. Venerat jam biennium in Italiam designatus Cæsar cum multitudine Germanorum, equites ei erant ad quattuor millia. In Ethruscis, relictâ Româ, dum redit, alios amisit, complures per inopiam defecere. Vix duo millia supersunt, inopes & egeni, equis & armis spoliati vociferantur passim: Mediolanum petamus, opulenta est civitas, facilè erit incommoda resarcire, & quæ amisimus recuperare. Egeni sunt, & vi quacumque atque injuria id comparare nituntur, ne inermes atque nudi in Germaniam redeant. Numquid putatis eos detrimenta cogitare, quæ Mediolanensis atque Moguntiacus quinque ab hinc annis passi fuere? Ad hæc gens barbara & rapax non respicit, neque in quæ mala devenerimus, dum nimis Germano Cæsari obsequimur. Spoliis dumtaxat externis rex imminet, nec rationem aliquam habet eorum, quæ Aquilliferæ factionis sunt, imo verò, quod intolerabilius est, & iniquius, diversam factionem suscipit & fovet. In Gibellinos homicidia, & rapinas graves exercet. Ita Actius Princeps, consentiente Populo, neo Cæsarem, nec Germanos, qui illum assectantur, recipi debere. Plura non dico; satis enim superque, vel cum maxima jactura cognovimus, quo animo fiant in nos externi, quos nulla spolia, nullæ rapinæ, nulla tributa explere possunt. Ergo quoniam idem est Populus, neque disjungi Moguntiacus à Mediolanensi potest, ad libertatem, & salutem utriusque communem tuendam, arcendumque commune malum Actius Princeps vos hortatur, ne à fide & societate sua discedatis: communem habemus patronum & defensorem Johannem Baptistam: Quiescunt hic præterea Martyrum & multorum ossa, quos in Cœlum relatos reverenter & honorifice colimus, quorum item ope & auxilio, omnem impetum, vim, atque contumeliam barbarorum facilè propulsabimus. Confidite in Sanctorum hominum cultura, & principis virtute, quem victoriosum conspicitis. Sub hunc sermonem idem Paullus, qui, ut supra diximus, Præfecto barbaro responderat, in hunc modum verba habuit. Quæ nunc dicturus sum nemo est, qui jamdiu non intelligat, atque etiam, Populares nostri, quæ nunc audivistis ex consilio, & mandato Principis nostri, ea salutem & incolumitatem nostram respiciunt. Agnoscimus profectò nostrum Principem impensè sollicitum, ne in manus & potestatem violentium barbarorum deveniamus, & sic esse, cum alia permulta, tum hoc maxime declarat, quod ad reconciliandos animos nostros, non ignobiles, aut humili loco natos homines legaverit, sed eos, qui virtute, & gente pollent. Verùm ut intelligatis, nos idem sentire quæ dicitis, palam & in hoc cœtu hoc affirmamus: indignum esse titulo & auctoritate Imperatoria hunc Germanum Ducem, qui postea quam in Italiam venit, rem Romanam non solum neglexit, sed eos perdere instituit, quorum patres & avi Cæsarum nomen sectati sunt: discordias & seditiones inter eos seruit, ut dissensione civili bona diriperet, adversarios, & Imperii hostes tutatur, ut illorum studio & armis suos perditum eat. Quare is sibi, & factioni suæ consulet, si in Germaniam transiverit; neque in nobis vel minimum spei ponat: ita namque animati sumus omnes, ut nulla umquam vis, nulla discrimina, aut damna nos à nutu & voluntate separet. Eadem est omnibus mens, eam fidem servare, quam semel Actio & Mediolanensi Populo dedimus, quando res nostræ omnes à salute & potentia Mediolani pendeant. Exclamavit universa concio, dicta Paulli approbans. Alter Oratorum, cui Pagano nomen erat, fidem & animum illorum laudavit, & magnis pollicitationibus ut in officio permanerent hortatus est: neque pigeat impensæ & damni, quod dum obsequium Vicecomiti præbent perpessi sunt, expectentque præmia. Reversi Mediolanum legati cùm Actio renunciassent, constantes esse in fide Moguntiacos, per literas statim propositum eorum laudavit, hortatos insuper in defendenda patria perseverarent, quoniam Deo opt. max. rebus annuente, comparato præsidio facilè inimicis resistent & quod cœperint, in eo durent, de impensis, damnis, & jactura parum curent, quoniam propositum sit, ubi facultas aderit, præmia ingentia in satisfactionem damnorum exhibere, & ut alacriores & firmiores eos in sustinendis damnis faceret, Moguntiacos socios, & fratres Mediolanensium appellari voluit. Inter hæc Ludovicus à Thuscia abiit; relicto Piscia Tarlato Aretino Episcopi fratre; jamque Apenninum transgressus ad Padum constitit; Mediolanum enim contendebat. Intumuerat fluvius, tunc sexcenti sagittarii, quos Ludovicus in Italia conduxerat, clam per mediam diem priusquam

Germani fluvium trajicerent, per occulta itinera ad Actium transivere. Ægrè hoc tulit barbarus; liquidò namque cognovit tunc Actium à se aversum, & Mediolanensem Populum abalienatum. Itaque duo flumina transgressus Padum & Abduam, Moguntiam properè proficiscitur. Arx adhuc cum præsidio Germanico custodiebatur, ita facile fuisset oppidum per vim intrare; neque adhuc munitiones & fossæ perfectæ erant, quæ arci objiciebantur, & viæ sine claustris & munimentis patebant. Juvit tunc sive casus, sive ita Deus, Johanne Baptista orante, voluerit. Ea die, qua barbarus Moguntiam applicuit, repentina & ingenti pluvia flumen Lambri adeo excrevit, ut solitum alveum excederet, neque eâ memoriâ violentior, aut major vis aquarum visa fuerit. Tentavere vada quidam Germani, sed cùm unus eorum equò prægrandi vectus vi fluminis obrutus foret, aliquot dies subsedit Imperator. Demum quum aquæ in dies magis excrescerent, monente Ramingo Casato, & quibusdam aliis, quibus opes Vicecomitum invisæ erant, ad pontem accessit, qui supra oppidum decemmillibus distabat. Flumen trajicit, atque juxta oppidum ab ea regione, quæ in occidentem vergit, consedit: Imperat ferocius terram sui juris sibi tradi. Respondent oppidani, in potestate & manu sua oppidum non esse, quoniam furtim & per vim, invitis eis, terram Mediolanenses occupassent, paratosque fore, si modò liceat, imperata facere, & summum nefas putare Cæsari non parere; sed armis Mediolanensium constrictos obsequium abnuere. Cognovit Imperator verba sibi dari. Interim tamen Pinala, & cæteri, qui cum præsidio locum tenebant; nam inducias pacti erant cum Præfecto arcis, & hostem fluvius exundans distinuerat, adeo operibus & munitionibus id loci, quod intra arcem, & tecta oppidi interjacebat, firmaverunt, ut nulla vi perrumpere barbarus potuerit. Servabatur adhuc in arce Amoratus Turrianus Guidonis filius, quem impuberem, Matthæus, ut alio in loco diximus, cùm operâ Gibellinæ factionis Papiam obtinuisset, primùm Mediolani, mox post ejus obitum Moguntiæ servari jussit. Hunc barbarus, defectus pecunia, & rerum inops, acceptis mille aureis paternis amicis tradidit; inde cùm multa frustra tentasset, ad obsidendum Mediolanum accessit. Firmaverat Actius mœnia civitatis fossis, vallo, & propugnaculis, præterea fontium aquas, quibus agros irrigabant, & versatiles molæ circumagebantur, claustris injectis in fossas urbis derivavit; ut pontes Ticinensis regionis transcenderent. Lapsus tunc fuit spe omni Ludovicus, ubi rebellem Actium cognovit, & adversùs se talia parari, ab alia parte suburbana aggressus est. Erant cum eo Spineta Marchio Malaspina, quem Scaligeri cum quadringentis equitibus subsidio Ludovici miserant, & nobiles quidam Mediolanenses Vicecomiti infensi: prælia multa dum in suburbanis Ludovicus assidet commissa sunt, & Mediolaneuses haud pauci, qui pugnando strenuam operam navaverant, parazonio accincti sunt; qui verò pro turribus & mænibus stabant maledicere barbaris non cessabant, & vociferantes acerbis conviciis Ludovicum incessebant, ebrium, bibacem, & sordidum clamitantes. Tunc Ludovicus ut fame vel ad deditionem, vel quas voluisset conditiones Actium compelleret, molis frangendis frumentis necessarias subvertere & confringere instituit, atque suburbana hostiliter invasit. Prælia aliquot commissa sunt, verumtamen cùm fortiter à Populo resisteretur, consilio, & opibus defectus, simul etiam cùm parum prospere multa tentasset, ab oppugnatione abstinuit. Cæterùm Actius prudens & magnificus, illum, quamvis infensus esset, cibariis atque vino mænibus imminentem fere quotidie donabat: mitigare barbarum his rebus studebat. Tandem Ludovicus viribus & rerum inopia fessus, arcem Moguntiæ, acceptâ pecuniâ, Actio reddidit, obsidionemque solvit, & transito Ticinello Papiam petiit, qua die festus dies in commemorationem cædis Prothasii, & Gervasii agitur, & haud ita multo post in Germaniam transiit. Sequuti fuerunt abeuntem complures ex iis præcipuè, quibus Vicecomitum potentia invisa erat, atque ad illorum opes perdendas consilia cum barbaro inierant, & in primis Bassianus Cribellus propter Symonis cædem, quam inultam manere pati non poterat. Rediit autem in Germaniam Ludovicus cum magno dedecore, iis maximè infensus, qui jampridem Cæsareo nomini obsequentissimi fuerant. Placuit mirificè Pontifici Actii viribus Ludovicum à Mediolano exclusum fuisse, obsequiumque illi pernegatum. Mitior itaque in Mediolanenses factus, cognovit tandem id, quod res erat: barbarum nisi rebellante Vicecomite ab Italia ejici non posse, temperat ab ira & odio in Vicecomites. Præterea Johannes Actii patruus ornamenta Sacerdotum, & quidquid dignitatis ab adulterino Pontifice acceperat, ea omnia velut indigna & nefaria abjecit, hoc nomine cæteris exemplum præbens, ut iis omnibus renunciarent, quæ à Ludovico atque Nicolao homine hæretico accepissent. Interea legati in Gallias mittuntur, qui veniam à Pontifice peterent, docerentque Matthæum & filios semper Romano Sacerdoti mente & animo paruisse, & tantisper ab obsequio discessisse, aut cum Germanis Regibus societatem & arma conjunxisse, dum opes tueri possent. Regiam coronam abnegari nequaquam debuisse, quando Civitas ipsa in primis pro vetere jure Germanis proceribus obnoxia foret. Petro Corbariensi vel obtemperasse, vel honorem contribuisse: id ea ratione factum, ne adversum, impium, & perfidum magis irritarent, quem pro obsequio inimicum infestissimum experti erant, ac dehinc Pontificis imperata ceu dedititios obedienter facturos. Pergrata fuit legatio, & nimiopere gavisus Pontifex iram remisit. Approbavere tamen qui in Consistorio aderant, Populo pacem dari, excusationemque justam accepisse: eamque Civitatem in primis reconciliari Pontifici oportere: pro Sacerdotum jure & dignitate tuenda discrimina omnia atque detrimenta subitura sit, & non frustra rediisse in gratiam cum Pontifice cives putarent, interdictorum temporariam veniam concedi. Ita per annum dumtaxat sacris, annuente Johanne, operati sunt. Cives, & Sacerdotes, qui jussu Pontificis Mediolano cesserant, revocante Actio ad sua quisque Sacerdotia rediere. Cæterùm Nicolaus post Ludovici discessum, ab iis desertus, & derelictus, qui Ludovico adhæserant, à Comite Bonifacio Pisano in Thuscia capitur, & in Gallias deducitur, ubi facti pœnitens, supplex, & humi stratus à Pontifice veniam sibi dari petiit de iis omnibus, quæ adversùs majestatem Pontificiam, & in dedecus & opprobrium Romani Sacerdotii peregisset. Pœnitentem non est aspernatus Pontifex, atque in libera custodia aliquamdiu est habitus, deinde relaxatus Avenione vitam finivit. Per hæc tempora

pora Mantuani tyranni Passarinus Bonacossa eum prole sublatus est: potens hic erat in urbe, & tyrannorum Longobardiæ ditissimus, neque popularium quisquam erat, qui illum non admodum timeret, adeo opibus & factione pollebat; verùm ab his proditus, de quibus minimè dubitabat, cum filiis, & propinquis capitur, atque crudelissimè contrucidati; alii in profundo turris Castellatii, quæ Mantuæ exædificata erat, abjecti periere. Consilio atque armis Scaligerorum cædes facta traditur. Nam Canis Ludovico Gonzagæ quingentos equites submisit, qui occisis tyrannis Mantuanis, acclamantibus, & consentientibus civibus, dominium urbis obtinuit. Hujus nepotes per centum & sexaginta amplius annos in hanc usque diem perpetuò regnavere, & perpetuò regnant. Cæterùm Germani equites, qui, ut supra docuimus, à Ludovico per inopiam stipendiorum defecerant, & in colle propinquo Lucæ consederant, haud multo post barbari in Longobardos transitum, quum ab Actio circumducerentur, Marcum, qui obses fidei, & velut pignus debitæ pecuniæ relictus erat, ducem sibi faciunt. Noverant ingenium & animum hominis, & quantum illius operâ sibi polliceri possent: hoc duce freti, consilia cum veteranis, quos custodiæ Ludovicus præfecerat, occupandæ urbis inter se ineunt, & per arcem introducti urbem obtinent; mox per legatos Lucam Florentinis se dedituros promittunt. Duo postulabant: ut à barbaro promissa & debita stipendia sibi solverentur, summa erat paullo amplior octingenta circiter aureorum millia, alterum ut Castrucii filios in fidem & tutelam reciperent. Horum commoda in primis Marcus curabat pro ea amicitia, quam is cum Castruccio habuerat, tum etiam quia urbem Lucam odio eorum, qui tunc imperabant, ingressi forent. Super postulatis erant Florentinis variæ sententiæ. Fuere qui dicerent: nequaquam Lucam capiendam, atque Germanos, ut genus est auri cupidum, & infidum, in fide non permansuros, atque nova adjectione urbis finitimos ad bellum excitari censebant. Alii utcumque capiendam urbem, cujus rei occasio oblata esset. Ita quum sententiæ diversæ essent, repudiatis conditionibus legati dimittuntur. Per idem tempus Pisis novi motus facti sunt. Primores urbis libertatis patriæ cupidi, barbaricum jugum cervicibus excutere tentarunt, cujus rei causa Marcum Vicecomitem cum non admodum magna Germanorum manu ad se avocant, quo in urbem recepto, populariter arma capiunt clamitantes: Vivat Marcus Vicecomes Pisanorum Princeps. Exterritus Tarlatus, quem Ludovicus cum præsidio reliquerat, statim urbe cessit. Liberati Pisani externa & gravi tyrannide, suo auspicio suisque legibus Rempublicam gubernarunt. Marco autem ob operam egregiè navatam, ceu receptæ libertatis auctori, munera ingentia dederant; sed cùm, prout mente conceperat, res non procederent, atque Pisani illum affectatæ tyrannidis suspectum haberent, parumque illi obtemperarent, & jam palam vociferarentur illum urbem proditurum, & super proditione occulta consilia cum Florentinis inire, jamque parata essent illi munera: primores Pisanorum tuendæ libertatis gratiâ omnia facturos, clam Florentiam abiit. Excepit cum gaudio & honore Populus, tum ob gentis nobilitatem, & famam, quam de eo magnitudo rerum gestarum ingesserat, tum quia Pisas se traditurum pollicebatur. Proposuit etiam conditiones satis

A honestas, parum dissentientes ab iis, quas ante tractaverat. Cæterùm Florentini, etsi videbant, receptis Pisis facilè imperio Ethruriæ potiri, & fines ab ea parte muniri, qua à finitimo hoste infestari possent; tamen amplius deliberandum super ea re censuerunt. Variæ & diffidentes sententiæ dicuntur. Jam longius consultatio procedere, parumque Marco ob vetus odium, & invisum factionis nomen fidere. Ita is Mediolanum reverti constituit. Dimisere abeuntem Florentini cum viatico abundanti, sequuti & honesto comitatu. Erat Prætoris filius Bononiensis genere, cum illo Apenninum transivit, in cujus gratiam per Bononiensium fines sumptus Vicecomiti affatim suppeditati sunt.

B Proditum est in annalibus, neque à fide abhorret, Marcum occulta colloquia cum Legato Pontificis, & novandarum rerum consilia inivisse, ubi primùm in patriam venisset, adversùs Actium & fratres. Hoc etsi fratres rescivissent, Marcum tamen & Bononiensem juvenem, dissimulata suspicione, benignè excepere. Cæterùm Marcus, ut supra diximus, fratrem regnare pati non poterat, ut erat regnandi cupidus. Interim adversùs fratres, & Actium, palam, & clam obloqui: se obsidem pactæ pecuniæ penes barbaros relictum, neque per fratres stetisse, quin ab avaris & transfugis trucidaretur. Subtractum periculo, quod conjurationem nobilitatis fecisset. Ita coactum ad Florentinos,

C quibus nomen Vicecomitum invisum erat, transire. Ita à vetere & manifestissimo hoste servatum. Hæc & talia in cœtibus conquerens, quorumdam animos tentare, an secum in Actium conjurarent, quem regno everterent. Objurgabant fratrem, & paullo asperius incusabant Luchinus & Johannes, aliquando ab hujusmodi querelis desisteret, ac remitteret quidquid erat iræ & querelarum, & novis consiliis desisteret. Duo patrui Actio studebant, eumque impensè colebant, neque ægrè erat illum summæ rerum præesse. Tres idem sentiebant: unus consensus, & par amor erat. Ita regnum, quod ante nutans variè jactatum fuerat, & penè subversum, firmari, & consistere cœpit. Nihilo tamen minus

D ferocia, & libidine à novis consiliis, & conjurationibus non cessabat; sed quod grande nefas fuit, & familiæ dedecus, cum Bitia, hoc mulieri nomen erat, Otholini fratris patruelis uxore licentius consuescere, & pro concubina habere. Oppidum est Rosate, in cujus arcem crebriore & liberiore objurgatione ictus fœminam secedere jussit. Illa se gravidam simulavit, & quum tempus pariendi advenisse diceret, infantem à muliercula tunc editum, ceu à Marco progenitum supposuit. Tunc Marcus impatienter ferens mentito partu se à fœmina elusum, illam cum ancilla conscia & ministra fraudis in arcis fossas præcipitari jussit. Immane fœdumque factum! Pœnitens mox facti indoluit, quòd formosam mulierem, quam deperibat, interfecisset.

E Movit inhumana res & atrox ultro Actium & fratres: quare veriti nè in se ferox & audax homo, facta iterum conjuratione, insurgeret, illum de medio tolli curavere. Venerat Mediolanum fortè ea die, quam Nativitas Virginis maximè venerandam facit. In aula ludos & choreas reguli agitabant. Eò convenerant matronæ. Ingens erat turba spectantium, & saltantium. Marcus in fenestra sedebat. Personati circumstetere, repentè is concidit exanimis. Repentinam mortem fuisse inter Scriptores constat. Ea an violenta fuerit parum liquet. Scribit quidam illorum temporum æqualis cubito

Digitized by Google

bito ab eo ; qui juxta aſſidebat , dejectum . A Hunc finem habuit Marcus , ſecundus filiorum Matthæi , qui dum pro patris ſalute , & regni incolumitate pugnavit , ſemper victor adversùs domeſticos & externos hoſtes evaſit . Verùm ubi defuncto patre , ut ferè ſunt eorum animi , qui hæredes regni & participes ſortis paternæ eſſe volunt , dum in fratres conjurat , adverſante conatibus fortuna , cùm nihil eorum , quæ animo conceperat , efficere poſſet , miſerabiliter occubuit . Cæterùm Actius gaudium diſſimulans , ſive ut eam injuriam leniret , ſi quam ex cæde patrui contraxiſſet , illum magnificè funerari voluit . Bononienſem autem juvenem , qui ab Ethruſcis illum comitatus fuerat , magnificè donatum à ſe dimiſit , ea omnia præbens , quæ B ad iter & ſalutem juvenis neceſſaria exiſtimavit . Per idem tempus Canis Scaliger poſt longam obſidionem Tarviſium in deditionem compulit : mox urbem velut triumphans ingreſſus , ſiti urgente , quum è fonte nimiam potaſſet aquam , profluvio ventris , qui nullo modo cohiberi potuit , & ſupervenienre febre acerrima , poſt tertium diem deceſſit . . . . mortem repentinam illi prædixerant ab aqua , dum Tarviſium obſideret , aſtrorum periti , quibus mathematicis , dum ſcientiæ non obtemperat , fatali eventu fidem prædictionis affirmavit . Cadaver Veronam delatum , magnificè atque honorificè pro dignitate regni , & urbis copiâ tumulatum eſt . Veronenſes Albertum & Maſtinum fratres C Dominos conſalutant , & in regno conſtituunt . Per idem ferè tempus Johannes Boëmorum Rex Tridentum venit . Erat Carinthiæ Duci filia unica regni futura hæres ; ſtirps virilis illi nulla erat : puellam Johannes filio adhuc impuberi ut deſponderetur effecit . Fatigabat ea tempeſtate Maſtinus Scaliger Brixianos ; oppida , caſtella , & vicos ad ſeptuaginta in poteſtatem redegerat ; urbem ipſam admotis caſtris oppugnabat . Jam deditionem facturi erant Brixiani . Ad Johannem Regem , qui propinquus erat Italiæ , legatos mittunt , auxilium adversùs imminentem tyrannum orantes ; eaque promiſit ea lege Rex , ſi in fidem & poteſtatem ſuam urbem , & D cætera , quæ in ea erant , dederent . Conditiones accepere Brixiani , atque continuò ſe Regi deditos profitentur , interpoſito ſacramento , ut numquam ipſi Regi , filio , atque nepotibus rebelles fierent ; ſed perpetuò in illorum poteſtate manſuri . Tunc Rex per nuncios Maſtino mandat , ut obſidionem ſolveret , & eam relinqueret urbem , quæ ſui juris eſſet . Maſtinus edicto paruit ; nam imparem ſe videbat Regi appropinquanti . Abeunte Maſtino , Johannes Brixiam intravit , ibique ſedem regiam aliquantiſper habuit ; redintegrandæ urbi in primis intendens , exules in patriam reduxit , diſſentientes atque certantes inter ſe cives concordes effecit : Pacem juſtus omnibus & æquus dedit . Quæ res E non ſolum ei Brixianos , ſed maximum amorem ſociorum conciliavit . Nam vicinæ urbes clementiam & juſtitiam ejus admiratæ , tum etiam quia jam in Italia potens erat , in illius ditionem & fidem ſe permiſere . Ita ſine armis Brixiam , Bergomum , Cremonam , Papiam , Mutinam & Parmam , ac Lucam obtinuit . In ditionem illius Gibellinæ factionis Principes , Henrici patris memores , prompti , & læti devenere . Tunc Actius Vicecomes Brixiam ad Johannem profectus eſt , munera ingentia ſecum

A ferens , eique dominium Civitatis tradidit , commemorans beneficia , quæ Henrico patri gens Vicecomitum deberet , à quo in patriam & regnum domo profugi & errabundi reducti fuiſſent . Aſſentiente Populo , Actio , atque Johanne , Mediolani dominus , conſenſu civium creatus eſt . Cæterùm titulo tenus contentus ipſum Actium procuratorem , ſivè Vicarium conſtituit . Cæteras verò urbes , quas fama , tum factione patris receperat , Ludovico Sabaudiæ Comiti regendas & procurandas regio nomine permiſit , appellatuſque fuit regius Vicarius generalis . Ægrè tuliſſe Johannem Pontificem ferunt quòd Rex externus id gratiæ atque potentiæ tam brevi tempore in Longo- B bardis adeptus foret . Jam Sabaudiæ Comes ex procuratione vires & auctoritatem maximam apud Populos comparaverat . Catharinam itaque filiam virginem regiæ venuſtatis , & inclytæ pudicitiæ , forma atque etiam virtute ac moribus & artibus regiis inter cæteras ſui temporis mulieres præſtare ferebatur , Actio Vicecomiti uxorem tradidit . Nuptiæ magnifico apparatu , & magna impenſa celebratæ ſunt Convivia regio profuſa luxu , & regia magnificentia exhibita , atque , ut traditur , epulis & largitionibus erogata avitæ magnificentiæ non ceſſere , quum Beatrix mater Mediolanum traducta fuit . Venere vicinarum urbium Proceres cum donis , legati item è Venetia , & Genua C acceſſere , munera ſecum ferentes , veſtes precioſas , gemmas , & margaritas , novæ Reginæ ea omnia donantes . Eſtenſis quoque Domini legati cum ingentibus muneribus pervenere . Hi arctiſſima propinquitate Actium contingebant . Nam , ut alio loco docuimus , Beatrix Actium Ferrariæ apud fratrem genuerat . His nuptiis , & opinione atque amicitia Regis jam Vicecomites ſatis opes firmaverant . Ad ſtabiliendum regnum conciliandamque Civitatem , illud unum deerat , ut à Pontifice perpetuò interdicta relaxarentur . Temporaria erat venia , & quæ gratiâ criminum reſcindi de facile poterat . Ergo ut omnis noxæ veniam ſub abolitione anteactorum , ſi quid adversùs Summum Sacerdotem D commiſiſſet , impetraret , legatus ad pacem in Gallias profectus eſt Vercellinus Vicecomes cum honeſto comitatu . Hunc Pontifex benigne , & cum honore magno excepit . Prudens erat Vercellinus & facundus , ita ſua oratione adhuc ſubiratum Pontificem lenivit , quidquid petiit facilè impetravit . Nam Pontifex Actio ignovit quòd dominium Mediolani à Ludovico Bavaro , ceu legitimè imperante accepiſſet , quem Pontifex palam per edicta rebellem à jure , & nomine Imperatorio ſubmoviſſet ; nec ſolùm veniam Principi & Populo obtinuit ; ſed ut omnes impietatis , & rebellionis abſolverentur , quos Pontifex execratus deteſtatuſque fuerat , & ut omnes cognoſcerent plenè redditum E à Pontifice cum Populo in gratiam eſſe , literas patentes , quæ per urbes recitarentur , ſcribi voluit . Illud etiam haud gravatim Pontifex conceſſit , ut Johannes Actii patruus , qui Ordinarii (*) titulum Mediolani in Templo Pontificali habebat , Novariæ Epiſcopus deſignaretur . Abeuntem Vercellinum muneribus & ornamentis egregiis Pontifex proſequutus eſt . Per hæc tempora Johannes Pontifex falſæ quorumdam opinioni adhærens in graves errores incidit , adversùs quos univerſa Prædicatorum Fraterni-

tas

(*) Hoc appellantur nomine Canonici Metropolitani.

tas palam differuit, atque scripsit. Interea Johannes Boëmus Rex Carolum filium primogenitum præfecit iis urbibus, quas in Italia obtinuerat. Adolescens is erat, nec satis noverat quo pacto tantam molem rerum sustinere posset, itaque custodem ei & gubernatorem apposuit Ludovicum Sabaudiæ Comitem Actii Socerum, ipse mox in Gallias ad Philippum Regem transiit. Affinitas inter Reges contracta; namque Johannes filiam Primogenito Philippi Regis in matrimonium dedit, & Carolo suo Philippi filiam despondit, quas nuptias ægrè tulisse Pontificem ferunt: quippe ex eo in Italis mutata studia, & in contrarium versæ voluntates fuere; nam qui ante à Ludovico steterant, in fidem & tutelam Pontificis se permittunt. Contra verò se tuendos Ludovico tradunt, qui antea sub Pontificis & Roberti fide fuerant. Pontifici item haud gratum fuit, quòd Actius intra civitatem Johannem Regem admisisset, ut ex illius nutu atque imperio rem Mediolani procuraret. Inter hæc Actius & Mastinus societatem & amicitiam ineunt; itaque urbes transpadanas inter se partiuntur, ut quidquid terrarum Olius & Padus complectuntur, in jus & potestatem Mastini cederet. Actius id terrarum haberet, quod citra Olium ad Padum pertinet. Defecere à Rege primi Brixiani, quorum inconstantiam atque perfidiam Scriptores hoc nomine acerbiùs taxant, quod fidem in lacinia gestarent, novarum rerum cupidi modò harum modò illarum partium fierent. Hi defectionis à Rege consilia hoc modo inivere. Obtinuerat Beltrandus legatus Assulam opulentum oppidum in Brixianis. Accessere Placentiam Plebis primores, urbemque se prodituros pollicentur; quod ita demum facile factu esset, si præsidium ad se misisset. Legatus libens conditiones accepit, atque subinde milites parat atque instruit. Hæc Mastino ubi nunciata fuere, inito consilio cum nobilioribus urbis; nam plebeji ab Rege defectionem struebant, clam duo millia equitum Brixiam submittit ab ea parte, qua Assulam itur, atque, ut plebem falleret, insignia Pontificalia & Legati ferre jussit. Sub ortum Solis portæ appropinquantes: Vivat Ecclesia, clamitant; quo clamore, & visis insignibus Guelfi, confestim arreptis armis, ad portam accurrunt, identidem clamantes: Vivat Ecclesia; Rex autem moriatur. Peregrinum præsidium, quod Rex civitati imposuerat, viso hoste statim profugiunt. Arces desertas custodibus Mastini Ductores capiunt, atque subinde Scaligerorum insignia proferunt, Claves & Ecclesiastica signa occultantes: Increbrescebant voces Scaligeræ gentis. Ita per fraudem Mastinus Brixiâ potitus est, & haud ita multo post Actius Bergomum obsedit, quo recepto, illud in primis curavit: concordes cives reddere, & Rivolam gentem, & qui exulabant in patriam restituit: Munitiones in defensionem urbis pluribus in locis extruxit, Templis Sacerdotium, jura, & redditus concessit. Pacem & tranquillitatem omnibus dedit. Conciliavit sibi Actius populos, jura omnibus ex æquo reddens. Nullo discrimine, sive Guelfi, sive Gibellini forent, tractabat. Lætabantur Civitates & Populi quòd in unum coivissent à factionum calamitatibus liberi; namque antea pro studio & partium incolumitate suis quisque favebat, & judicia exercebat. Crescebat in dies magis atque magis Actii fama, & virtutis atque bonitatis ejus magna per finitimas gentes opinio, & sub illius ditionem & fidem vicinæ civitates domesticis malis exhaustæ confugiebant; nam Vercellenses, quos gens Ticiona, sive studio vindictæ, sive, ut detrimenta quæ in exilio acceperant emendarent, populares bonis & fortunis spoliaverant, ut finem civilibus odiis, & domesticis rapinis facerent, sponte & ultro in fidem & imperium Actii venere. Evelli non poterant de cordibus Vercellensium intestina odia, perseverabant iræ, & effrænata ultionis cupiditas & impossibile videbatur componi civitatem, ut pax & tranquillitas duraret. Per idem tempus Johannes Vicecomes Matthæi filius, quem Johannes Pontifex, ut supra narravimus, Sacerdotio Novariensi præfecerat, Novariam cum solemni pompa, & amplo comitatu ingreditur. Caccinus Torniellus studio & favore factionis principem locum in urbe tenebat. Hunc Johannes regno & opibus spoliare aggressus est. Languorem simulans, primores Populi, & amicos ad se vocavit, ceu de summa rerum cum eis deliberaturus. Accessere confestim, ut decubantem viserent. Venerat Caccinus. Hunc Johannes, dimissis è cubiculo cæteris, post longum sermonem, apprehensis manibus, Ministris, qui aderant, custodiendum tradidit, protinusque dominium urbis, recepto præsidio obtinuit. Nec solùm sui juris & potestatis id fecit, quod ad Dominos pertinebat, sed jura & opes Sacerdotiorum penes se unum esse voluit. Redditus Templorum, quos plerique usurpaverant, vindicavit. Exulaverat aliquot annos Aycardus, Mediolani Sacerdotio à Matthæo & filiis pridem submotus. Ignominiosum erat & quodammodo impium, urbem amplissimam Antistite diutius caruisse. Aycardum verò Vicecomiti infensissimum intra urbem admitti periculosum videbatur, ne auctoritate Sacerdotii, quæ adhuc extincta non erant odia, & arma nondum ablegata excitaret, civiliaque bella renovarentur; ita via inventa, qua commoda Sacerdotii quadamtenus Aycardus haberet, administratio autem Sacrorum penes Johannem esset, constituta pensio annua mille & quingentorum aureorum Aycardo fuit, Johanni Ecclesiæ Mediolanensis procuratio concessa. Ædes amplas inædificavit, quæ adhuc manent, & Sacrorum Præsides incolunt, porticus extruxit laxas humi, & in sublimi, ad quas scalis ascenditur. Maximè studuit ornandis templis, & magnificentiæ ædium tam in urbe, quam in universa diœcesi. Invenio tunc primum obortam quæstionem inter otiosos & captiunculis incumbentes de conceptu Virginis: utrum in matris utero citra parentum noxam & maculam concepta fuerit, & dum quisque opinionem suam defendere nititur, in perniciosa certamina deventum est, nec cessat uterque frivolis argumentationibus alterius opiniones subvertere; quando satius foret, & simplicitati, atque etiam majestati Religionis consultum, ab hujusmodi concertatione atque rixa abstinuisse, ne perpetuò dissidio, ceu de prospectu & umbra asini conflictarentur, (*) Sacrorum subdola, ne dicam absurda interpretatione recentioris cultores Theologiæ non sine veterum Scriptorum, atque interim recentiorum Fraternitatum calumnia. Interea Boëmorum Rex au-

(*) Impia quidem comparatio, sed non infrequentis exempli seculis illis miseris, quibus scribebat Merula.

Digitized by Google

audita rebellione eorum, qui eum in Italiam accerserant, è Gallis & Germanis comparato numeroso exercitu, in Longobardos descendere constituit, ut sibi rebellantes ad obsequium revocaret; alios verò, qui nutabant, neque adhuc palam defecerant, in officio contineret. Hoc appropinquante novam societatem & amicitiam ineunt, protinusque subsidia ad Actium missa sunt, ut descendenti ab Alpibus barbaro se opponeret, atque finibus arceret. Octingenti equites à Scaligero venerunt. Florentinus quatringentos misit; nam, ut supra diximus, in contrarium versa erant studia, jamque abalienatus à Pontifice & Roberto Florentinus erat. His copiis auctus Vicecomes Ludovicum Vicecomitem cum mille equitibus ad Papienses misit. Urbem continuò factione eorum, quibus Rex invisus erat, obtinuit. Arcem discedens è Longobardis Rex operibus, & valido præsidio communiverat. Eam Actius vallo & fossa ita interiore parte obice circumvallaverat, ut vix foris ingredi, aut egredi quisquam tutò posset. Rex cognita rebellione Papiensium, eò continuò festinat, atque ad urbem consedit. Munitiones perrumpit, jamque introgressi barbari Regis vexilla in arcis muro statuerant. Oppidani & præfectus præsidii machinis illa dejiciunt. Interruptæ viæ propugnaculis, & præsidio firmatæ, ut nullus aditus irrumpere in urbem & domos daretur, atque fortissimè illi resistebatur. Quare quum in oppidum introire non possent barbari, Rex ipse spe potiundi oppidi abjecta, fines Mediolanensium hostiliter invadit. Inopiâ commeatuum is premebatur, vicos & villas diripit, non tam prædæ causa, quàm ut haberet unde milites alere posset. Excursionibus & populando haud parva detrimenta Mediolanensibus intulit; sed populus omnia patienter sustinuit. Cœperat invisus esse Rex, quamvis illum miti ingenio, & minimè prædæ avidum experti essent. Timebant externorum dubiam fidem atque libidinem: ita satius existimabant domesticis Dominis parêre, quàm sub nutu & libidine externa ætatem agere. Bergomenses inde aggressus est, quos cùm ita animatos novisset, ut sub fide & imperio Vicecomitis vivere vellent, Transpadanis relictis, in Parmenses transiit. Hos quoque aversos à se expertus, assumpto Carolo filio, in Germanos recessit; urbes tamen, quæ in fide & officio adhuc manebant, eas præsidio munivit. Festinasse eum in Germaniam ob metum Ludovici sunt qui tradant. Ægrè is ferebat, sollicitari ad defectionem à Boëmo populo, qui jamdiu ditionis imperatoriæ erant, ceu Boëmo nova deditione obnoxii perpetuò victuri essent. Discedente ab Italia Johanne Cremonenses Actio se dedunt. Mastinus, Parmam, Mutinam, & Lucam intercepit; neque postea Rex ipse in Italiam descendit. Per id tempus agebat Bononiæ Beltrandus Cardinalis, quem Johannes Pontifex legatum in Longobardis habebat. Is contractis undique copiis Ferrariam obsidere instituit, ut eam Estensium ditioni, atque imperio subtraheret. Convenere ferè omnes qui procurationem urbium à Pontifice acceperant. Venere in exercitum cum magnis copiis Galeottus Malatesta Ariminensis, Franciscus Ordelaffus Foroliviensis, Riccardus Manfredus Faventinus, Ostasius Polentonus Ravennas. Hi paullo ante quam adversùs Pontificem senserant, sub titulo præfecturæ dominium urbium acceperant. Erat in exercitu Legati cubicularius, & Romandiolæ Comes. Igitur contractis magnis copiis Ferrariam operibus & munitionibus quattuor ferè menses obsessam tenuere. In suburbanis consederant, quæ S. Antonii nomen habent, urbemque ipsam sæpius oppugnavere. Egregiè ea defendebatur. Urgente obsidione quum jam quidam de facienda deditione cogitarent, vicinarum Civitatum domini, in quos Legatus, si potitus Ferrariâ foret, arma illaturus erat, copias auxiliares Ferrariam mittunt. His satis erat urbem in præsentia defendere: certare acie non audebant. Supervenit ad Kal. Ap. Pinala Aliprandus ab Actio Vicecomite in auxilium cognatorum missus cum ingentibus copiis. Eo subsidio aucti qui obsidebantur, postridie eruptione facta hostem invadunt. Pugna fit acris; tandem Pontificis exercitus profligatur. Cædes ingens facta fuit: multi gladio, complures in Pado enecti. Capti Raimundus Comes & cubicularius Pontificis, & alii quidam Ductores. Ea potitus victoria Estensis, Bononiensium fines prædabundus invasit; moxque abductâ hominum & pecorum prædâ Ferrariam reversus est. Hac in parte quid de Blondo dicam haud equidem satis compertum habeo, invidia ne ductus, an indiligentia lapsus, de Vicecomite mentionem nullam facit, quando per Pinalam, & copias Actii, ejusque auspicio & viribus fusus maximè exercitus, & parta victoria, & Estensis defensus fuerit. Parum fidelis historia vitio laborat: si per invidiam sciens siluit, livoris argui potest & debet, & malignitatis reus est. Ego, si dicere licet quod sentio, dicam potius indiligentem, quàm invidum Scriptorem. Annus agebatur tercentesimus trigesimus tertius. Pugnatum pridie Idus Apriles in annalibus proditum, & sub mensis finem matutino frigore ingens vis pruinæ decidit, congelatæ in palmitibus gemmæ, tenellique pampini ita exaruere, ut eo anno vini parum, aut nihil editum fuerit; quin etiam sequentibus annis repullulare palmites ægrè potuerint. Eodem anno per tumultum Bononiæ populus ad arma concurrens adversùs Beltrandum impetum fecit, qui sustinere irruentes eo præsidio, quod secum habebat, quum non valeret, in arcem confugit, quam ipse paullo ante ædificaverat. Existimabat ea arce, non solum Bononienses in fide & officio continere, sed etiam Flaminiæ & complures Longobardiæ urbes, quarum in metu dominatum affectabat. Tumultus & conjurationis auctores invenio Thaddæum Pepulum, & Brandalisium Gozadinum. Irritaverant populum Gallorum injuriæ, quos Legatus acciverat, quorum avaritia inexplebilis erat: Stupra præterea & rapinæ passim edebantur, & quidquid libitum erat, licentius exequebantur. Ita non tantum magnitudine injuriarum, atque detrimentorum Bononiensi, sed finitimis urbibus juxta invisi erant. Deducto præsidio deseruit arcem sex dies postquam obsideri cœpit Beltrandus, ac tandem veritus ne illâ per vim expugnatâ, ab ira & furore populus in se acerbius desæviret, nocte concubia naviculam conscendit, atque per flumen Rhenum elapsus, Florentiam petiit. Remanserant in urbe pauci ex domesticis, & ministris, qui à maleficiis abstinuerant. Populus arcem custodibus vacuam confestim occupat, atque funditus evertit. Verebatur ne aliquando Legatus, reparato exercitu, arcem ipsam invaderet, qua obtenta, denuo jugum in cervices ferocis populi injiceret; ita sublata spe recuperandæ urbis exercitus in eos minimè induceret. Inventi in arce

the-

Digitized by Google

thesauri diripiuntur: Cæterum in Gallias profectus Beltrandus, graviter de Actio conquestus apud Pontificem, primum: quod suppetias eo ferente soluta obsidione Ferraria foret, ductores tot capti, tum magna pars exercitus interiisset, qua jactura ad defectionem Bononienses potissimum impulsi, ipseque Legatus cum ignominia & damno fugatus esset. Exacerbatus clade & contumelia Pontifex, Vicecomites, qui in gratiam redierant, renovatis diris, atque execrationibus, iterum pro nefariis & impiis haberi jussit. Ea re quidam Longobardorum, & ii præcipuè, quibus crescentes Vicecomitum opes invisæ erant, gaudio magno affecti sunt. Thaddæus post Legati fugam, eversamque arcem, rempublicam capessit, & velut princeps in urbe constitutus, haud ita multo post Brandolisium, quem socium in tumultu & novitate rerum asciverat, urbe ejicit. Ferox erat atque intemperans, hos bonis & fortunis spoliabat, illis profusæ multæ largitiones. Ita maleficiis & rapinis modus nullus. Thaddæus rerum potens reconciliari cum Pontifice statuit, seque deditiium urbis procuratione recepta profitetur. Cæterùm populus illata detrimenta haud parvo pretio luit; namque non prius à detestatione Pontifex remisit, quam vigintimillia florenorum persolveret. Hoc anno postridiè Idus Junias arx Papiæ, quam Actius vallo & fossa circumdederat, quum adhuc nomine & titulo Boëmi custodiretur, quum amissa subsidii spes esset, Præfectus regius eam Populo Papiensi tradidit. Eodem anno Lambrus, quem Eupolis (*) emittit & Moguntiam allabitur, per Junium, Julium, & Augustum defecit, adeoque exaruit, ut quingentis & mille passibus supra oppidum, & totidem infra nihil aquæ resideret. Plaustra & jumenta per alveum, atque etiam homines pedibus siccis commearent. Res numquam alias visa, & proinde prodigio similis. Inter hæc Lodrisius consilia nova cum præfectis Germanorum militum iniit; pecuniam ingentem pollicetur, si secum de intercipiendo regno sentirent, quando illorum ope & armis facile Actius à dominatu submoveretur. Enunciatur conjuratio, statimque Lodrisius noctu cum mercenariis è Mediolano Comum profugit. Excepit eum Franchinus Ruscha inter Comenses ea tempestate princeps. Mercenarii & externi milites stipendiis fraudati in Germaniam abiere. Lodrisius Veronam ad Mastinum concessit. Hunc Mastinus magno cum honore excepit, pecunias insuper affatim ad vitam lautè agendam, tum etiam ad comparandos milites, ut aliquando illatam à consanguineis injuriam armis ulcisci posset. Proscripsit Actius Lodrisium, illiusque bona partim publicavit, alia iis adscripsit, quos partis suæ paullo studiosiores cognoscebat. Creditum est à multis, quod etiam in annalibus proditum, cum Franchino Ruscha, & Caccino Torniello Lodrisium priusquam finibus cederet consilia novarum rerum adversus Actium iniisse, id quod à vero non abhorret. Infensi Actio & Patruis Franchinus & Torniellus, & perinde super insidiis, & proditione suspecti; neque item Lodrisius in propinquos arma intulisset, & trans Abduam transgressus tantum agri excurrisset, tot ca-

A stella atque vicos tam brevi cepisset, nisi consensu & favore Ruschoni & Tornielli, qui clam factione sua opem præstiterunt. Annus agebatur millesimus tercentesimus trigesimus quartus ab ortu Domini cum moritur Johannes Pontificum retro ditissimus. Ingentem & vix credibilem vim auri reliquit; undecimo ab ejus obitu die Benedictus XII. sufficitur; Ursus item Justinianus natione Venetus Prætor Mediolani constituitur. Fuit hic in dicendo Jure prudens, justus, atque magnificus, tantumque in reddendis judiciis præstitit, ut fine Præturæ vicibus quattuor annos in perpetuo magistratu permanserit, quod ante nemini obtigerat. Actius domum, vel potius regiam **B** extruxerat, quæ quum parum ampla ad eam multitudinem capiendam, quæ Principem sequebatur, esset, vicinas Pagnanæ gentis emit; ita cœptam regiam ampliavit. Stabant Cremonenses sub ditione Regis Boëmorum. Præfecerat urbi Rex Poncinum de familia Pontiona. Cremonensem agrum cum valido exercitu hostiliter invasit Actius, atque prædabundus ad mœnia usque pervenit. Obsedit diutius. Exterriti Cremonenses quum hostem à se propulsare nequirent, deditionem ad tempus paciscuntur, si à Boëmo intra Idus Julias subsidia non venerint, & finibus Actius propulerit, urbem ipsam Actio se tradituros. Accepta conditione Actius Mediolanum reverti- **C** tur. Luchinus patruus inter hæc, adjunctis copiis Mastini, Padum transgressus Parmensem agrum deprædatur, atque inde Rhegium usque & Mutinam excurrens, populatione cuncta permiscet, occisis multis, abductaque ingenti præda, incensis vicis tres populos continenti populatione vexavit. Jam dies deditioni faciendæ constituta advenerat, & quum à Boëmo nulla spes ferendæ opis esset, Cremonenses urbem & sua Vicecomiti dedunt. Ita Cremona tertiò Vicecomitum facta fuit: eam primùm obtinuerat Matthæus, tum Galeatius, tertiò Actius in potestatem & imperium redegit. Per hæc tempora scribunt quidam frusta ejus statuæ, quæ confracta & discerpta olim **D** fuerat, dum Matthæus occiso Ricciardino Langusco Papiam cepit, à Papiensibus redempta: erant enim Mediolani distracta, & per domos familiasque divisa, sed deinde sic ferruminata in pristinum reformatur, & structili in columna superposita est. Statua Mediolanum versus respiciens, quippè dextra porrecta, indicans Mediolanensi per interpositam fidem se pariturum. Cæterùm, ut alio loco scripsimus, adhuc ambigo, Antonini, an Odoacris Gottorum Regis ea imago fuerit. Pervenusti est operis. Reficere conflatam qui potuerit haud equidem ajunt, sed frusta denuo compacta, at istud difficillimum: ingenium, atque sollertia artificis magna, magnaque vis **E** ferruminationis fuit, quasi disjecta & dissipata membra suo ita loco compacta coëant, & quadrent, ut nulla vestigia fracturæ extent; quamquam sinistrum crus ad cetera membra parum conveniat. (**) Per idem tempus Actius Placentiam, quæ decem & amplius annos sub fide & ditione Pontificis steterat in potestatem suam redigere tentavit. Pons erat super Padum sublicius, per quem tuto licebat Mediolanensium fines invadere, ita crebris ex-

(*) Lacus est, de quo Paulus Jovius in vita Othonis Vicecomitis edit. Parif. pag. 49.

(**) Adhuc equestris hæc Statua Operis certè Romani ante Templi maximi fores Papiæ visitur, eamque vulgus ignarum Regisolem nuncupat.

Digitized by Google

cursionibus vici & castella diripiebantur, detrimenta quoque multa ii sustinebant, qui Actio se permiserant. Occurrere hosti, & comprimere prædatores non licebat. Placentiæ Bardelli rebus Ecclesiæ favebant, & inter populares opibus, & opinione Pontificis præstabant. Hos Actius circumvertere, & opibus & patria evertere constituit. In amicitiam coiverat cum Francischino Scotto Bardelli æmulo. Ad hunc submisit cum præsidio trecentorum equitum Cacciagum de gente Cacciagorum, qui protinus Placentiam ingressus Bardellos omnes, & eos, qui jussu Pontificis magistratum gerebant, urbe fugavit; quippe Ecclesiastica factio, ubi vexilla Vicecomitum erecta vidit, adeo conterriti sunt, ut statim urbe cesserint. Francischinus populari ope, quia externo præsidio potentior erat, dominium intercipit. Ægrè tulit Actius suis armis, suoque auxilio alium Placentiam obtinuisse. Ita anno insequenti Placentiam subigere statuit. Pinalam itaque Aliprandum cum ingenti exercitu transmisit. Hic agrum omnem Placentinum usque ad urbis mœnia excurrendo populatus, urbem ipsam circumsedit. Processit obsidio ad septem menses, incommoda & damna ab hoste illata patienter tulit, & fortiter resistebat. Tandem per inopiam frumenti, urgente jam fame, Francischinus deditionem fecit. Potitus urbe Actius exules in patriam restituit, & cives discordes ac perniciabili odio diffidentes, concordes & quietos reddidit; & ut male animatos, & si qui voluntate pati nollent imperia, metu eos in fide contineret, arcem inædificat, impositoque præsidio, vel invitos pacem & concordiam cum popularibus ut colerent, effecit. Redintegrata Placentia, & ad arbitrium rebus compositis domum rediit. Adeptione Placentinorum magna nominis & opum accessio Actio facta. Duæ propinquæ civitates Novum-comum, & Laus-Pompeja sub tyrannis magis, quam dominis stabant. Comenses infesti, quod nova consilia adversus Actium inire constabat, Fugientem Mediolano Lodrisium, ut supra docuimus, exceperant. Franchinus Ruschonus princeps erat. Graves intercesserant inter Ruschonos & Crassos, qui Canturium tenebant, inimicitiæ, & inexpiabile odium; nam Franchinus circumvertere fratres Crassos Gasparem & Johannem tentaverat. Fortè per id tempus Franchinus, ut amicitiam aliquam firmam, atque perpetuam cum Scaligeris iniret, puellam Veronensem Berardino Longarolo progenitam desponsaverat. Erat Longarolus Scaligeris carissimus, quippe tuendæ illorum factionis & potentiæ studiosus. Cæterùm Franchinus, ut celebriores nuptiæ essent, Veronam cum multitudine amicorum, & illustrium virorum profectus est, inter quos Johannes Crassus cum nobili, & ornatissimo comitatu, officii gratia sequutus est. Scaliger eos honorificè & splendidè excepit; verum præter cæteros Franchinus Johannem efferebat, cui etiam honoratissimum locum inter convivas dari voluit. Frequentes convenerant ad nuptias primores vicinarum urbium, & inter sponsalia tractabatur, ut fieri solet (*) . . . . . vestes, aurum, gemmas, equos, & militaria paludamenta per urbem, ut divitias quisque, & opes ostentaret. Despectabant è fenestra vagantes proceres Scaliger & Franchinus. Visus est Crassus cæteros potentia & opibus anteire. Rogat Scaliger: quisnam ille? quanto cum apparatu, & quam magnificè ambularet. Respondit Franchinus: Johannes Crassus, qui cum fratre Canturium tenet, quod oppidum quinque passuum millia à Como abest. Parum ad hæc, inquit, incolumitati vestræ consulitis. Quo pacto enim tuti ab insidiis estis, Crassis oppidum opulentum, ut audio, tenentibus? Providete & cavete ne quid adversus vos moliantur, & quacumque via submovete tam propinquum, ut ita dixerim, vel æmulum, vel hostem. Oppidum est opportunissimum ad insidias, & vim. Ad hæc Franchinus: difficile hoc esset, periculosum, atque etiam iniquum. An violanda est per dolos & fraudem ea benevolentia, quæ inter nos & Crassos intercedit? Præterea si id molirer, auxilia à Vicecomite præsto sunt, cujus studiosi sunt atque etiam amici. An putas passurum Actium, Crassos Canturio exturbari, ac ut primum arma in eos inferam, subsidia à Mediolano venient, quibus succincti Crassi, quidquid ditionis nostræ est, ferro & igne vastabunt. Ita cuncta infesta & inimica nobis erunt; quod si incolumitati rerum, & genti prospicere volumus, integra sit cum Crasso amicitia, firmaque concordia; neque est è re nostra, armis, aut maleficio fratres lacessere. Ab hoc sermone, sponsalibusque confectis Comum rediit Franchinus; at Scaliger, cui grave erat Franchinum admonitionibus suis non obtemperasse, Raviciam haud ita multo post Franchini fratrem alloquitur, ea commemorans, quæ Franchino dixerat, & quantopere ab homine propinquo timendum esset, qui opibus propriis & Vicecomitum amicitia ab novis consiliis non temperaret. Quid si ad occupandum Comum inhiat? Tetigit hic sermo mentem Raviciæ, & ut erat ampliandi regni avidior, ab Verona discedens, fratri quæ Canis dixerat in salutem & tutelam regni renunciat. Movere Franchinum repetita à fratre verba; ita persuasus statim cum illo consilium iniit de intercipiendo Canturio, tollendisque Crassis. Convivium itaque opiparum parant. Invitati duo fratres recusavere primum: suspectum illis jam erat quònam tenderent tanto apparatu convivia. Vicere tandem preces, & blanda verba, itaque ad epulas eunt. Prius autem quam in atrium Ruschoni ingrederentur, famulis mandant, ne fræna & ephippia equis demerent, ut parati & præsto essent, si fortè usuveniret, ut repente abeundum foret. Jam instructis mensis consessuri erant convivæ; tunc quidam insidiarum conscius, qui Crassos ante diligebat amicus, non passus tam nefandum facinus procedere, secretò enunciat Johanni quam imprudentem eum esse, qui in insidias se præcipitaverit: futurum ut occidatur, vel in vincula conjiciatur. Conversus illicò ad convivas: nullus vestrum, inquit, discedat, jam jam adero, atque limen aulæ egressus equum conscendit, ac protinus Canturium adequitat, fratrique renunciat quid adversùs Crassos Ruschoni molirentur, quos perdere, & evertere opibus tentassent. Ex eo graves inter utramque gentem injuriæ natæ, & adeo ira infensi facti sunt Crassi, ut nisi de vindicta numquam aliud cogitarint. Occultavere iram ali-

(*) Hic nonnulla desunt.

aliquantisper; ut negligentiores redderent ad præcavendum Ruschonos, atque sub finem novembris clam mille & quingentos pedites, & equites circiter ducentum de vicinis locis convocant, qui noctu propiùs Canturium advenere, quorum Præfectos ante solis ortum Gaspar secretò sic alloquitur: estote fideles & constantes, & forti animo quæ dicam facite. Johannes frater Comum invasurus est. Vobis autem mando, quum urbem ingressi fueritis, nemini vim fieri sinatis. Abstineant commilitones vestri ab omni maleficio, atque injuria. Erat Comi Paganus Avogadrus inter populares potens. Is consilium prodendæ urbis cum Crassis inierat, & qua die Johannes cum præsidio venire constituerat, claves portæ, quæ à turre nomen habet, à Ravitia Franchini fratre petiit. Hunc prætextum apposuit: quod primo mane cum uxore & liberis ad villam profecturus esset. Ravitia nihil fraudis subesse existimans & equum & claves concessit. Aperta porta super pontem constitit proditor expectans Crassorum præsidia, quibus signum hoc datum erat, ut quum in urbem irrupissent, ultra vas oblongum non procederent, quod in via juxta templum Divi Fidelis fortè porrectum erat; tantisper autem sustinerent, donec amici & conjurati armis instructi adfuissent. Venere primi equites, urbemque ingressi gladios stringunt, exclamantque: Vivat Actius Comi Dominus. Nondum advenerant pedites. Proferuntur statim vexilla cum signis Crassorum. Ravitia ad clamorem & strepitum sicut inermis erat ab templo prodiit, in domum perfugere tentavit; prius autem quam ingrederetur, ut caput defenderet, manum telis objiciebat, qua amputata caput vulneratur nudum. Quum Boccharii, (familia est Comensis) indignati, ut videre Crassorum insignia, confestim arma arripiunt. Complures sequuntur; Crassis & conjuratis fortiter resistunt, denique Johannem & Paganum urbe expellunt. Quattuor & triginta de adversariis capiuntur. Pedites jam mœnibus appropinquaverant: hi ubi pulsos principes conjurationis, & alios captos audivere, refugiunt. Ravitia quinta die posteaquam vulnus læthale acceperat, moritur. Franchinus captivos omnes suspendi jussit. Erat inter conjuratos Stephanolus quidam Crassus olim factionis & cognationis gratia studiosus, & Franchino in primis propitius. Hic conjurationis auctor fuerat, & Paganum Crassis in proditione facienda conciliaverat. Altius is suspenditur, domus subversa, & ad solum æquata fuit. Cædes haud parum invidiæ & odii suscitavit. Indignabantur plerique, tot cives turpi supplicio affectos, atque haud ita multo post Gaspar, & Paganus assumpto in societatem Cerreto Lambertengo Franchini sororis filio, denuo collecta haud parva manu prope Comum contendunt. Egressi confestim urbe germani eis obviam eunt. Viso hoste conterriti Gaspar & Paganus, quique cum eis adjuncti erant, terga dant. Cerretus equo prolapsus, accepto lethali vulnere capitur, atque in civitatem perductus, haud ita multò post moritur. Cæteri qua brevior ad fugam via ostenditur, urgente adversario abiere. Populares, quibus cum de proditione actum fuerat, nihil auxilii conjuratis dedere. Bis fugatis & victis adversariis Franchinus, ceu jam victor, planè omnia amicis, & iis partium studiosis, qui cum eo fuerant, concedebat. Furta, rapinæ, & stupra impunita. Nulla legum reverentia, nullus judiciorum metus, licentia ferri, atque impunitas. Jam Franchinus ex nimia indulgentia contemptui, atque ludibrio popularibus erat, neque illi cives tantùm, sed etiam in tota Diœcesi pauci parebant. Per ea tempora Frater Benedictus, quem Pontifex Comensibus Episcopum dederat, Sacerdotio, & ingressu urbis prohibebatur. Electus ante fuerat à civibus Franchini frater sacrorum Antistes. Pontifex electionem non subscripserat, & ut, quem dederat, is ad jura sacrorum admitteretur, enixissimè laborabat. Sacris Comenses interdixerat. Episcopus septem ferè annis exulaverat. Tœdio exsecrationum, & diuturnitate interdictorum permoti Comenses, fine factionum discrimine Episcopo adhærent. Continuò vicos, castella, & oppida, tum quidquid terrarum Comensi Diœcesi contributum erat, in ditionem suam habuit. Denique propiùs Comum cum exercitu accedens Franchinum perterruit. Egredi urbe & certare acie non valebat. Adjuncti Crassi præterea Episcopo quidquid virium habebant adversùs Franchinum exponebant; quamobrem resistere adversariis non poterat. Actio deditionem urbis pepigit. Discordes erant Vicecomites; namque Lodrisius quamvis urbe ejectus finibus quoque cessisset, adversùs tamen patrueles arma comparabat. Compertum habebat Actius, Franchinum deditionem simulare, & aliud sentire, quam verbis paciscaretur, conditiones non abnuit. Franchinus deditionem in longum extrahebat. In discordia Vicecomitum, & amicitia Scaligerorum multum spei reponebat; jamque Veronæ parati & instructi milites erant. Hoc ubi Actius rescivit, in ripis Abduæ præsidia disponit, ne trajicere flumen hostes possent. Urgebat Episcopus urbem à terra, & quatenus Larius contingit. Intolerabilis erat obsidio. Auxiliares accedere non valebant. Res deploratæ erant. Tum coactus Franchinus, se & sua, tum fratres, & patriam in ditionem & potestatem Actii permissurum dixit. Nihil moratus Actius, misso illuc exercitu, Comenses in fidem recepit. Rebus & fortunis hac via rectè consuluit Franchinus; quippe cunctis invisus erat civibus: ita satius putavit in ditionem Actii venire, quam à popularibus per vim & contumeliam patria ejici. Conditiones parum gratæ Comensibus; namque inter cætera, quibus pax convenit, illud disertè explicatum fuit, ne auctores conjurationis, & qui prodere Ruschonos conati fuerant, in urbem intromitterentur, sed perpetuò exularent. Excepit autem, quum sua traderet, castrum Belinciona; avorum id fuerat. Ita Novum-Comum in jus & potestatem Actii pervênit. Proditum est in Annalibus abeuntem patria Franchinum cum gemitu & lachrymis identidem clamasse: o Canis, Canis, quam perniciosum consilium dedisti! Namque dum aliis ruinam molimur, ex dominis in servitutem decidimus. Recepto Como Actius Episcopum, & eos, qui Sectam Vitanam juverant, & perinde exulabant, in patriam reduxit, uni rei maximè intentus, ut pacem inter cives conciliaret, quod & fecit; namque cives, depositis odiis, & remissis injuriis, in gratiam coëuntes, concordiam inter se numquam solvêre. Post hæc Actius Leucum, & universum tractum Abduæ contiguum, tum etiam Canturium in ditionem sibi & potestatem subjecit, & victor domum rediit. Per eos dies res mira, & ferè prodigio simi-

Digitized by Google

similis. Puer vix duodecim annorum, cui parentes Leuco oriundi, ab utero matris fine brachiis & manibus prodierat, & pedibus vice manuum utebatur; nam filum quantumvis tenue in foramen acus digitis pedum à terra sublatum injiciebat quamcelerrimè. Pedes, neque digiti humani cæteris majores erant. Accurrentes multi ad spectaculum, stipem subinde præbebant. Illi quoque quoties usus venerat subserviebant. Sedens, vel humi stratus, celerius quam quivis alius sese erigebat. Res nova profectò & memoratu digna, neque infra dignitatem historiæ exposita. Dion scribit, sub Hadriano Romæ puerum, id ætatis mille talia fecisse, Populumque Romanum frequenter ad spectaculum accurrisse. Cæterùm Actius non tam ampliandi regni cupidus, quàm incolumitati rerum prospiciens, Laudem-Pompejam, quam Temacoldus, ut supra docuimus, novo atque atroci scelere per insidias oppressis Vistarinis, obtinuerat, aggreditur. Valido præsidio se, & urbem tuebatur Temacoldus, vixque expugnari poterat; quippe laboriosum erat corona cingere. Abdua præterfluit. Commeatus navibus subvehebantur. Vallum circumduxit & aggerem, & castella extruxit Actius: ita vix & ægrè cuiquam sive à terra, sive ab flumine introire, vel foras egredi licebat. Temacoldus, quamvis dura & gravi obsidione premeretur, sæpius tamen eruptione facta, cum hoste prælia commisit. Actius præliabatur. Munitiones Actiani defendebant: contra Temacoldus suos in pugnam incitabat, pluribus occisis; sed fessus jam & viribus, & commeatu deficiens, fortunis suis Temacoldus consultare cœpit. Sublata erat omnis auxilii spes: à quo opem peteret nullus erat. Non desistebat Actius ab oppugnatione, etsi per vim obtinendæ urbis spes tenuis foret. Tandem per vim Laudem cepit. Petrus Mediolanum vinctus perducitur, & in custodia diutius habetur. Episcopum Civitatis, qui Sacerdotio ejectus patriâ etiam exulaverat, in sedem reduxit, & civitatem per diversa studia, contrariasque voluntates, atque civilia odia laceram, & pene exhaustam, in pristinum statum redire fecit. Recordatus deinde beneficii, quod Petrus Vistarinorum satelles patri exulanti contulisset (confugerat namque ad Vistarinos Galeatius, ut supra docuimus, quum post mortem patris patria ejectus foret) illum vinculis solvit, interposito jurejurando, ne ad eos transiret, quibus opes Vicecomitum erant invisæ. Ita Temacoldo relata fuit ab Actio gratia, & in libera custodia Mediolani habitus fuit. Per eos item dies Actius, dedentibus oppidanis, Cremam recepit, atque utrobique firmissimas arces extruxit, & haud ita multo post Caravacium, & Romanum sine armis in fidem & ditionem Actii se permittunt; quæ oppida præsidio & arcibus communivit, ne sollicitati oppidani à finitimis à fide & officio discederent. Ollium transgressus Urceos cepit, & haud ita multo post castrum S. Domnini in confinio Parmensium, & Placentinorum in potestatem redegit. Tot Populis in imperium, & ditionem redactis, ad ornandam muniendamque urbem studium convertit. Porticum marmoream, quam avus super forum Mercatorum inchoaverat, perfecit. Pomærium extra fossas, & in interiore parte urbis fecit majus, in quas aqua pluvia & sordes defluerent. Templum item sub nomine Divæ Mariæ amplum excitavit, & turrim orbicularem octogonam distinctam columnellis marmoreis intercurrentibus, in cujus fastigio effigies Angeli ærea imposita cum tintinnabulis, quæ pro flatu ventorum obvertuntur, & horologium, non solare, sed quod ictu campani æris spacia horarum significaret; & templum, cum podagra cruciaretur, Divo Gothardo postea dicavit, cui vota plerumque ii susciperent, & pro beneficio exsolverent, qui hujusmodi morbo cruciantur. Ædes regias & spatiosas extruxit, quibus porticus laxas subter adjecit, & protecta, atque mœniana supernè ædificavit. Fontes item in urbem deduxit, qui per occultos cuniculos per impluvia ædium diffusos etiam interiores domus partes præterfluunt. Per idem tempus Johannes Actii patruus Novariæ Episcopus, & cui cura & administratio Mediolanensis Sacri demandata fuerat, supplicationem illam, quam solemnem, & non statam olim sub Urbano Pontifice constitutam, indixerat; sed sive per negligentiam, aut quod dies in Populo celebris parum tot bellis civilibus agitato foret, ut piè atque magnificè coleretur, instituit, & ut anniversariæ fierent per urbes supplicationes: nam recens festum (*) exiguo in honore erat. Ita propagandis finibus, ornandæ patriæ, templis ædificandis, atque amplitudini sacrorum Actius, & Patruus egregiam operam dedere, & ut generosos Principes decuit, perpetuo incubuerunt. Dum hæc Mediolani geruntur Johannes Boëmorum Rex exercitum comparaverat adversùs Albertum, & Othonem Austriæ Duces. Ducatum Carinthiæ Boemi filius dotalem obtinuerat. Pati non poterant duo fratres regnum, ad se perventurum jure cognationis, ab externo Regulo interceptum fuisse, illudque armis vindicare parabant. Itaque auxilia à Vicecomite petunt. Mittitur in Germaniam Brutius, quem Luchinus ex pellice susceperat. Jam utrique aciem eduxerant. Prius autem quam confligerent, Ludovicus, quem supra diximus, titulum Imperii armis & sacrilego conatu obtinuisse; pro auctoritate imperatoria mandavit, ut nullus ex ductoribus vexillum explicaret, præter ipsum Ludovicum; cætera autem signa recondita in involucris continerent. Paruere cæteri Duces: unus Brutius Vicecomes, panso vexillo in certamen prodiit, & quum objurgaretur, quod adversùs edictum contumax foret: Quum Ludovicus, inquit, in Longobardis ageret, gentemque Vicecomitum oppugnaret, & regno dejiceret, in acie vexilla nostra erecta numquam vidit. Numquid ego in Germaniam non hostis, sed potius ut opem illi auxiliator ferrem veni? Signa gentis nostræ recondam? Procul hæc absit contumelia, etiamsi adversùs me gladium strinxerit, signorum jura & dignitatem defendam. Congredi non sunt ausi, ita nulla re egregiè gesta, utrique recessere. Cæterum Albertus Brutium militari parazonio accinxit. Viperæ ad ea usque tempora sine ornamento caput erat: Albertus ut dehinc corona super caput adderetur, concessit, vixque hujusmodi ornamentum filiis, atque nepotibus Matthæi, & Uberti permisit. Conscriptum diploma fuit, atque in testimonium facti duo sigil-

(*) Solemnitas videlicet Corporis Christi.

figilla pendentia annexa fuere: Hinc Brutius Mediolanum reversus Prætor Pompejæ-Laudi nuper receptæ fine provocatione impositus fuit perpetua magistratus prætura; & quia vices domini obibat diversæ factionis Laudenses acerbissimè insectatus, hos domo & patria expulit, bonisque & fortunis spoliavit, alios gravi pecunia mulctavit, Guelfo nomini semper infestus. Jam Actius urbes atque oppida magna ex parte receperat, quæ sub patris & avi imperio fuerant, paceque & concordia inter Populos composita; remissisque civilibus odiis ad propitiandam Dei Genitricem animum convertit. Dies festus agitur sexto Idus Septembris in honorem natalium Virginis. Ea namque die genita Virgo fuit, quem alioquin celebrem ex Pontificum edicto faciunt, Mediolani celeberrimum & maximè venerandum facere instituit. Edixit ut de omnibus Civitatibus, oppidis, atque Populis, qui ditionis Vicecomitum forent, ad ædem Virginis salutandam legati cum muneribus accederent. Convenere statim primores Populorum sericos pannos ferentes, & signa Civitatum, atque Oppidorum munera: Primus Actius obtulit pretiosa, tum cæteri sua quisque dona dederunt. Durat solemne sacrum; nam quotannis anniversaria dona, non urbana tantum collegia, sed Populi omnes offerunt. Agebat præturam adhuc Ursus Justinianus, & Actius, qui renovandę atque instaurandæ memorię sacrorum plurimum operabatur, repræsentari jussit Magorum memoriam, qui ab Oriente duce stella Hierosolymam venerant Christum natum adoraturi. Tres regio ornatu cum magnifico comitatu ab æde Pontificali processere. Pompa fuit magnifica, ad quam visendam universa Civitas confluxerat. In Templum D. Eustorgii ingressi, munera imaginaria Puero, & Matri obtulere. Cædes item infantum repræsentata, quos elusus à Magis Herodes occidi jussit. Mediolanum eo tempore interiore muro nudatum erat: aggere tantùm & vallo communiebatur. Deforme id Actius, & parum tutum existimavit. Itaque aggere complanato vias siliceo lapide prostravit. Oblimata omnia, & si qua longo tempore, & eorum n gligentia, qui curatores viarum fuerant, sordescerent, converri, & repurgari jussit. Quæ res ad ornatum; & salubritatem urbis multum contulit. Scribit quidam, prædictionem Merlini, cujus responsa atque dicta pro vaticinio quidam celebrant, aliqua ex parte adimpletam fuisse. Futurum aliquando hic prædixerat eo anno urbem Mediolani complanari. Per hæc tempora Scaligerorum opes & vires mirum in modum excreverant, finitimis formidabiles. Habebant sub ditionem & imperium Veronam, Brixiam, Parmam, Vicentiam, Paduam, Tarvisium. Luca quoque in Ethruscis illis subdita erat. Duo erant fratres Mastinus, & Albertus. Hic Paduæ, ille in Veronensibus moram agebant. Albertus qua jurisdictio Patavina ad litora Æstuariorum protenditur, turrim in margine litoris ædificavit, ut salem beneficio Æstuariorum quoties reciprocarentur fluctus, conficeret. Ægrè hoc tulere Veneti. Denunciavere primùm ne salem faceret, tum turrim & cætera subverteret, quæ in confinio maris & continentis substruxisset. Negavit Albertus, contenditque, jus esse recipiendi æstus, & ædificia faciendi quatenus Patavinorum fines procedunt, quamvis antea id factum non fuisset. Sua jura defendere, & vindicare quod per negligentiam majorum suorum amissum fuerat. Veneti hac injuria irritati ingentes copias conducunt. Venerunt in societatem Florentini, pactique sunt tertiam partem impensarum belli persolvere. Inimicitias ii graves cum Scaligeris habebant tum studio factionis, tum quod Scaliger Lucam interceperat, cui Florentinus imminebat. Ita inter utrumque Populum societas & fœdera primùm inita fuisse auctor Palmerius in Chronicis. Ad quatuor equitum millia, peditum verò viginti coivisse tradit. Fines Patavinorum ingressi, vicos & castella populantur, ferro & igne cuncta permiscent. Resistebat Scaliger. Deerant Veneto ductores, qui exercitum ductare, oppida expugnare, & cum hoste manus conserere auderent. Vocantur à Corneto Rubei fratres; hos Scaligeri à dominatu patriæ dejecerant. Inimicitiæ graves, & inexpiabile odium inter utrosque. Junior de sex fratribus Petrus ea tempestate robore corporis, cum fortitudine & audacia supra cæteros Longobardorum primores habebatur. Strenuus præterea, & ad subeunda pericula minimè trepidus. Venetias profectus est; cum honore ingenti & gaudio excipitur, atque, ut mos Veneto est, in ædem D. Marci à Principe, comitantibus Patriciis deducitur, ubi sacr s ritè peractis, Dux præfatus: „ Quod bonum, faustumque nomini Veneto, & tibi Petre fit, Exercitus nostri, quem ingentem adversùs tyrannum vicinis omnibus inimicum & infestum, præcipuè autem tibi, & fratribus tuis exitiosum, quos avorum opibus spoliavit, & patria circumvertit, Præfectum constituimus, ut nostro auspicio, tuoque ductu communis hostis aliquando debelletur. Inhiat, ut vides, regno terrarum, quas Apenninus, & Alpes claudunt, & Padus interfecat. Ethruscos quoque fatigat, Bononienses sollicitat, omnia concepit animo sui imperii, & ditionis facere. Accipe igitur bonis avibus, & auspicio atque favore Senatus nostri, tum numine Divi Marci, quem patronum nostra Respublica magnificè & piè veneratur, & experta est, atque victoriam tibi promittas„. Sceptrum tunc è ligno, imperii signum & testimonium traditur. Marcus Antonius Sabellicus scribit, in Curiam deductum Petrum, & subinde imperii summam in Curia illi concessam. Alienum hoc ab instituto Veneto; nam sive classi, & mari dux præficitur, sive terra pugnandum sit, in augustissimo Divi Marci templo signa promoventur, & ductori præfectura traditur. Ergo peregrinus & rudis morum ejus Reipublicæ Marcus Antonius Sabellicus existimari debet. Cæterùm Petrus in proximam continentem continuò trajicit. Jam ingentes copiæ eò, partim ab sociis & amicis, etiam Transalpinis, partim mercenarii confluxerant; namque Florentinus & Bononiensis mercenarios conscripserant, qui jam inde ab Ethruscis discedentem Petrum sequuti erant. Voluntarii complures prædæ cupidi, & spe uberioris stipendii convolabant. Scaliger erat ad obsidionem Pontremuli: Is quum intellexit tantum copiarum adversùs se comparari, strenuum, & rei militaris expertissimum bellico negotio præfectum, in transpadanos exercitu relicto, properè revertitur, & milites undique contrahit, sed & Germanos pacta ingenti mercede, in Italiam accersit. In Patavinorum & Tarvisanorum fines incursatum, quatenus ad æstuaria vergunt, & ubique Petrus populabatur. Mestre stagnis contiguum est oppidum Tarvisanæ jurisdictionis, hoc primum aggreditur.

A ditur. Ibi insidiis atque dolis circumventi Veneti jacturam accipiunt. Petrus nihil cæde & captivitate suorum deterritus, Mestre obsidere parat. Scaliger ne durare in obsidione hostis diutius posset, suburbana ædificia succendit, ac diruit. Petrus ad Meduacum, quem nunc Brentam accolæ vocant, cum exercitu contendit. Progreditur illi obviam Albertus alter Scaligerorum. Cæterum Rubeus noctu, qua nulla hostium insederant præsidia, fluvium trajicit. Exterritus tunc Albertus, sperabat enim occurrere hosti in ripa citeriori, confestim retrocessit, & fuga sibi & exercitui consuluit. Ad Bubulentam cum exercitu intra triginta dies, ex quo signa accepit Petrus,

B consedisse scribit Bonincontrus. Est enim Bubulenta vicus celebris, & ad utrosque Populos Patavinos & Tarvisanos populandos opportunum. Pabuli præterea ingens copia, sylvæ propinquæ, & aquatio expedita; ita castra in eo loco communire statim Rubeus cœpit, crebrisque subinde excursionibus Patavium usque progressus, mœnibus atque portis modo assidens, modo obequitans, Scaligerum increpabat, ceu ignavum, & rebus suis diffidentem, utpote qui nec agmine pugnare, nec acie congredi auderet. Hæc etsi asperiora quum crebro jactasset, neque probris & conviciis provocari ad pugnam hostis posset, Petrus ad vicos & castella diripienda digreditur. Mons est à

C cæteris divisus & separatus, præceps & abruptus, quem palustres alluunt stagnantes aquæ Vigisoni Euganeis à montibus. Corriva adhuc lacus nomen servat, quidam tamen Corrector Plinii Togisonum scribit. Redundantes aquæ stagnum faciunt, atque finitimum omnem tractum usque ad urbis mœnia à vi & incursione hostili tunc defendebant. Radices accoluntur, & oppidum non infrequens. De situs ratione Montemsilicis appellant, & in vertice arx natura, manu, & opere validissima eminet. Ad eam per anfractus difficiles, & semitam angustam ascenditur. Quod in ima parte est, Rubeus hoc oppugnare instituit. Confugerat autem eò haud parva agricolarum multitudo. Ita defendebatur oppidum

D fossa & vallo munitum, non mercenariis, sed virtute eorum, qui præsidio erant. Petrus ut cæteros alacriores ad oppugnationem faceret, primus ipse in vallum descendit, & dum munitionem demolitur, rusticus, qui pro vallo stabat, illum veruto fixit. E vestigio procidit, atque inter manus sustinentium animam efflavit. Gravis fuit hominis strenui, & militaris negotii expertissimi cædes. Plurimi deflevere, atque eo impensius indignati, quod manu rustici occubuisset. Ægrè ferebant plerique sine discrimine factionum, etiam qui à Scaligeris stabant, virum eximiæ virtutis, magnæ auctoritatis, & cujus operam ad omne factum

E egregiam noverant, manu rustici occubuisse. Funeratus est Venetiis magnificè pro Venetorum amplitudine, & viri nobilitate atque virtute. Sufficitur in locum defuncti Marsilius Rolandus illius frater. Cæde ducis intermissa obsidio non fuit, nihil segnior. Cæterum fessi laboribus, & premente rerum & victus penuria, oborto item in exercitu morbo, obsidio solvitur. Rolandus haud ita multo post defecit. Morte duorum fratrum Scaliger paulisper respiravit. Inter hæc Actius Vicecomes, utrisque amicus, alteri etiam socius, legatos de primoribus Mediolani deligit, qui Venetias, & ad Mastinum irent, ut inter utrosque pacem componerent. Jurisconsulti fuere duo, militaribus ornamentis decorati totidem. Hi quum multa frustra, ut in concordiam & pacem Venetus & Scaliger venirent, tentassent, re infecta, Mediolanum reversi sunt. Studebat Actius in primis inimicitias, & grave bellum tollere, quamvis ambiguæ fidei Mastinum agnosceret. Venetos & amabat & colebat. Id, quod ex perpetua in quinquennium prætura, quam Urso Justiniano demandaverat, testabatur. Ita laborabat in pace componenda, quamquam sollicitaretur ut à societate Mastini discederet. Inter hæc Albertinus Scaliger Paduam custodiebat, & in eum aliquod conjuravere. Origo & principium conjurationis ab superbia atque libidine Germanorum profecta traditur, quorum rapinas, & mulierum stupra Patavini ferre non poterant, quamquam Mastinus, vim & maleficia ut cohiberet, eos sæpe admonuisset, contentosque stipendiis esse magnoperè laborasset. Hoc initium & causa conjurationis & novandarum rerum. Auctores alios reperio Nicolaum & Albertinellum Carrarienses, quos Canis dominio circumverterat. Præterea Albertinelli uxorem pudicissimam & pulcherrimam fœminarum dies ad festos accersitam Vicentiam, ut ad se iret Albertus coëgerat, & inter ludos & religiosos dies violaverat; nec eo contentus stupro, nobilissimam & pudicissimam matronam militibus, qui custodiæ corporis erant, præstituit. Dissimulavere injuriam Carrarienses, reconciliataque mox inter ipsos gratia, Albertinus immemor cum Nicolao & fratre magnarum rerum consilia communicare cœpit, ac procedente tempore fratres eos intimos & secretorum participes habere cœpit. Inter hæc Veneti quum parum vires & arma proficerent, nisi dolis & insidiis circumvenirent, grande præmium de publico consilio per præconem iis promittunt, quicumque Scaligeros perdidissent: majus si vel vivum, vel mortuum ex eis quemquam in eorum manus tradidissent. Magnitudine præmii permoti mercenarii milites cum duobus Carrariensibus Nicolao & Albertinello proditionis consilia ineunt, atque constituto tempore, noctu, mille equites Patavium introducunt, Albertum nihil tale metuentem opprimunt. Captivus Venetias deducitur. Persoluta proditoribus pacta merces quinquaginta millia aureorum. Potiti Padua Veneti illam Carrariensi priori domino restituunt. Scribit Bonincontrus, qui rebus interfuit, id primum inter conditiones regni à Carrariensi Senatum Venetum petivisse, ut Patavii Prætor, non alius jura civibus redderet, nisi quem dedissent, hocque perpetuo servaretur. Ita jurisdictionem penes se esse volunt. Miror quemdam de conditione hujusmodi mentionem nullam facerè. Dicet aliquis: plus æquo Bonincontro tribuis. Imo vero, ut quæ is scribit vera affirmem, faciunt Patavinorum Annales, qui in arce Papiensi servantur. Descripta sunt in eis Prætorum nomina, & vices quo tempore quisque magistratum iniere. De gente omnes Patricia. Assensere Patavini. Quid enim negare poterant, aut eum non accipere Prætorem debebant, quem dedissent, qui eos à tyrannide gravi exemissent? Ita pace obnoxium regnum fuit, & administratione reipublicæ parte aliqua Veneto permissa, Nicolaus Patavium recepit. Albertus Venetias deductus est. Ad levanda tœdia captivitatis, solatiumque vinculorum duodecim de gente

Patri-

Digitized by Google

Patricia, permissu Senatus, frequenter in carcerem introducebantur. Ita nobilium virorum visitatione & benigno sermone Albertus adversam fortunam & calamitatem paullo patientius ferebat. Accersitus Ethruscis Rolandus in locum fratris, obsidionem ad Montem-silicem instaurat. Accessere in societatem cum Venetis Estenses Marchiones, & Mantuæ Domini. Utrique per id tempus invisæ erant Scaligerorum opes. Montem circumsidentes, oppidum per vim capiunt: deinde quidquid terræ in finibus Patavinorum Scaligero parebat, parvo labore recipiunt. Transgressi Vicentinos incursant, vicos & castella diripiunt. Tum facta rerum, & pecorum, & hominum ingenti præda, ædificia succendunt. Mox verò adjunctis majoribus copiis, Veronam ire pergunt. Castra propius urbem locant. Supererant adhuc Scaligeris, quamquam rebellione Patavinorum fusis & cæsis copiis, populatoque agro, res afflictæ existimarentur, vires & opes ad impetus, & vim hostium sustinendos: ita difficile erat illos debellare. Optimum igitur factu existimavit Venetus Vicentiam ab societate Scaligerorum ad se avertere. Mediolani, ut supra docuimus, Ursus Justinianus perpetuam per quinquennium præfecturam egerat, & ob res justè, prudenter, atque magnifice gestas, Actii & Populi gratiam comparaverat. Hujus consilio & prudentia factum est, ut Actius fœdus & amicitiam cum Veneto iniret. Jam invisus erat Scaliger Actio, & Patruis. Inhiabat hic Mediolani imperio. Actius Lodrisium ob suspicionem novandarum rerum, & jam insidias molientem patria & finibus submoverat. Hunc Veronæ Scaligeri fovebant, spemque inde fecerant recuperandarum rerum. Ita non invisus Actius cum Veneto in amicitiam conjungitur. Petivere ab Actio Veneti atque Socii, ut non solum suis copiis Luchinus præficeretur, quas pro fœdere & conventione auxilio missurus erat, sed princeps & dux universi exercitus esset. Magna erat Luchini auctoritas inter Longobardos. Res vivente Actio gubernabat. Externarum gentium exercitus, qui ejicere regno patrem & fratres conabantur, semel atque iterum fuderat, & pene occidione ceciderat. Ita omnium consensu illi summa rerum permittitur. Ingens illi pecunia ad conducendos milites data fuit. Hic cum trecentis delectis equitibus, armis & equis splendidè ornatis, quum in exercitum venisset, continuò Veronam obsidere constituit. Jamque propius mœnia castra admoverat. Cæterum insidiis petitus parêre illi Sociorum Ductores nesciebant. Hoc ubi Mastinus rescivit, per dolos & insidias Luchinum ut captivum in potestatem suam traheret, vel si id minus procederet, occideret: Forte merebant Germani quidam sub Italiæ Principibus. Jusserat olim Luchinus ob latrocinium & cædem medio foro perpetratam Prætorianæ cohortis præfectum capite mulctari, & facinoris ministros. Actius haud parvam manum Germanorum sub imperio suo habebat. Gens erat superba, & quia arma tractabat, à furtis & rapinis temperare nesciebat. Quidam ex his inter Prætorianos electi pro salute & defensione Actii excubabant. Noctu in foro mercatorio Præfectum vigilum pulsavere, atque spoliaverunt, nec contenti hac violentia, Præfectum cohortis, quæ personæ Actii assistebat, interficiunt. Luchinus vim & cædem, & tantam licentiam ne impunitam reliquisset, latiusque feritas, & avaritia immanium barbarorum vagaretur, auctores facinoris, tum etiam ministros medio in foro securi percuti jussit. Horum fratres atque cognati, qui stipendia forte sub Venetis merebant, pacta ingenti pecunia, Mastinus, ut Luchinum proderent, perpulit. Constituêre ut quando manus consererent, in ipso cardine pugnæ arma in Luchinum obverterent, quem si vivum capere non possent, confoderent. Suspectos super proditione Luchinus, ut primum in castra venit, habuit. Mobiles expertus fuerat barbarorum animos, spe præmii ad quodcumque facinus adductum iri. Præterea vindictæ avidos occasionem rapturos, quæcumque illis oblata foret. In stativis aliquandiu stetit, ne præ timore atque ignavia castris cessisse diceretur. Cæterum posteaquam Mastinum niti de insidiis comperit, & cædem & captivitatem instare, clam vocatis suis, & se cum hoste conflicturum dicens, acie instructa atque parata è castris abiens, Mantuam primum contendit, inde Mediolanum petiit. Non defuere tamen qui illum meticulosum & parum strenuum ducem dicerent: credo quia discessus causam, & barbarorum consilia ignorabant. Cæterum posteaquam cognitum fuit, conjuratum fuisse in ejus perniciem, & nisi cavisset barbaros, qui qua die constituta pugna erat, ubi agnovere dolos non procedere, præsidium deseruerunt, & Veronam profugerunt, prudentissimus habitus fuit Luchinus, quippe qui incolumi cum exercitu Mantuam se recepisset. Mediolanum mox reversus ædem amplam & spatiosam eo in loco ædificare instituit, ubi pridem Trajanus Nerva palatium extruxisse traditur. Adhuc manent ædes. Visuntur in parietibus insignia veteris familiæ vipera, in cujus vertice Aquila expandit alas. Cæterum Actius ne fidem prodere existimaretur, adversùs Scaligerum arma movet, vicinos Brixianos primum invadit, fines hostiliter populatur, ferro & igne cuncta permiscens, tum propius urbem admovet castra. Brixiani spe subsidii destituti deditionem faciunt. Actius ut majori cum dignitate Brixiam introiret, atque dies celebrior haberetur, nobiles duos Mediolanenses militari ornamento decoravit, Johannem Besutium, hunc Cremonensibus præfecerat, & Bronzinum Caymum, qui Bergomi jussu ipsius præturam gerebat. Cæterum ut erat miti ingenio, & in ipsa victoria mansuetus & clemens, Brixiam reductis exulibus, pacem inter cives composuit, quos inter capitalis ira intercesserat, cædibus, aut exilio & spoliis invicem perpetratis exhaustam redintegravit, sub abolitione injuriarum & maleficiorum; deinde Mediolanum rediit. Blondus, ut ferè in narratione eorum, quæ illis temporibus in nostra Gallia gesta fuerunt, parum diligens fuit, ordinem negotii prævertit, de Luchino & Actio plane rudis, vix distinguere imperia, consilia & causas belli non explicat. Nullum apud hunc & Sabellicum verbum de Societate à Venetis cum Vicecomite inita, neque item de summa negotii Luchino à Sociis permissa; denique nescio quorumdam annotationibus, ne dicam chronicis, cursim & strictim compositis, atque utinam non falsa narrantibus contenti sunt. Desidero in utroque diligentiam; & quod majus nefas habetur, quod veritati non studerent, parum vera litteris mandant. Hoc indiligentiæ, & temeritati magis quam odio, & livori, aut invidiæ tribuo.

Georgii Merulæ Statyellensis Mediolanensis Historiæ Liber tertius explicit.

Digitized by Google

INCIPIT QUARTUS.

A CÆterum Actius post sublatam Brixiam ad Circumpadanos arma convertit. Tractus ille plurimum adhuc à factione Roberti erat. Præfectus Regis, qui subalpinas regebat gentes, oppidum, quod Bremidæ vocant, munitionibus & opere communivit, tum pontem super Padum fabricat. Opportunus erat locus, quia tuto trajici fluvius poterat, ad eas terras evastandas, quæ inter Ticinum & Padum jacent. Actius, ut suos ab incursione & populatione defenderet, castellum circumsidere instituit. Admovet castra munitionibus & operibus, atque ita circumvenit. Qui præsidio loci erant, quum undique circumdati, nec foras exire, nec intro recipere vel milites, vel commeatus possent, castellum & B arcem Actio dedunt. Paucis ante mensibus Viglevanum in jus & potestatem redegerat. Per ea tempora grandis accessio rebus Actii facta fuit morte Johannæ sororis, progenitæ, ut alibi diximus, ex Nino Gallura & Beatrice, quæ secundas nuptias cum primo Galeatio Vicecomite fecerat, primo Ricciardo Caminati in Tarvisanis factione Gibellina potentissimo in matrimonium data fuit. Hæc mortuo viro in Sardiniam trajicit, paternasque opes aliquandiu possedit, ea moriens Judicatum Galluræ, quæ tertia pars Sardiniæ censetur, Actio fratri ab utero legavit. Dividitur ea insula in tres, ut Sardorum mos est, Judicaturas, quas Præfecturas, quas Comitatus alii appellant. Ita testamento potentis Ma- C tronæ pars insulæ in jus & ditionem Vicecomitum cessit; morte Actii hæreditatem opulentam nemo adiit. Hoc anno Ursus Justinianus longa præfectura magnifice obita, Mediolano cessit. Jam Veneti Paduâ ad obsequium & fidem reductâ, Tarvisio etiam potiti erant. Johannes item Boëmorum Rex, cui Ducatus Carinthiæ per dotem uxoris, Feltrum, Belunum, & Covetam de Scaligeris ceperat. Pax haud ita multo post inter Venetos & Scaligeros componitur. Tarvisium, & vicina quædam oppida Veneto cesserunt. Brixia & Bergomum Actio, quas urbes per vim ceperat, condonantur. Corrigii Parmam obtinuere. Luca (*) ..... Albertus Scaliger vinculis liberatur. Ita D amissa haud parva sui regni parte, pacem iniquis conditionibus, atque ære plurimo Veneti confecere, duarum tantum urbium imperia tenentes, Vicentiæ, atque Veronæ. Parum igitur feliciter mota sunt arma, & parum rationibus suis prospexere. Invidiosæ erant opes, neque lacessere vicinos injuriis & bello debuerunt. Pace in hunc modum composita, mercenarii milites dimittuntur. Ea, quæ insequuta est hyems, acris & gelida admodum fuit. Nives ingentes & frigora vehementissima, neque erat qui meminisset asperius cœlum, aut majorem ventorum rabiem. Stella quoque crinita, dirum sidus, sub eos dies per æstatem, quæ antecesserat, apparuit, sub Septemtrione exsurgens versus Mediolanum radios vibrans, terribile sydus, & regnanti infaustum. Variæ ignium faces per aëra transcurrerunt. Neque fuit vana prodigiorum denunciatio, imminentia namque mala significare visa sunt. Ab Verona, & Vicentia ingens vis belli, & procella gravis adversùs Vicecomites emissa est. Lodrisius, ut supra demonstravimus, à Patruelibus, & Actio patria pulsus ad Scaligeros confugerat, & bona amiserat. Insidiarum adversùs cognatos manifestus hic auctor, & princeps Mercenariorum, qui sine stipendio ægrè victitabant. Hos vico Veronensi, clam in ædem suæ propinquam vocat, & magna pollicendo eos sibi conciliat, & ne gratuitam existimarent operam, cognatos pecuniam suppeditare, opimamque prædam objici, dixit; nam ubi vastari ædificia, & succendi, ac bona diripi aspicerent, pecunia pacem ab eis esse redempturos; & quum exiguæ essent Actio, atque Patruis copiæ, ad vim propulsandam, facile, nemine occurrente, Mediolanum usque irrupturos. Se ducem promittit, & quidquid pecuniæ secum habebat exposuit, atque ut læto auspicio arma adversùs cognatos moveret, vexillum rubra Cruce intercursante erexit, seque subinde Principem & ductorem Societatis Divi Georgii profitetur, ut sub titulo, & nomine fortunatissimi equitis qui militans pro Christo cæsus fuerat, cum hoste congrederetur. Hinc natum morem, ut invocato Georgio miles Italicus in expeditionem ingrediatur, & qua die martyrium Georgii repræsentatur, vexilla auspicatò producuntur, & sub dio biduum, aut triduum explicata manent, quamquam Blondus aliquot post annos, regnante Barnaba & Galeatio cœptam hujus nominis appellationem scribat. Dux itaque novæ Societatis constitutus, Brixianorum fines hostiliter invadit. Repentino barbarorum excursu perculsi Brixiani in munitissima loca, quæ pretiosa habebant, recipiunt. Deerant urbani atque peregrini milites, qui hosti obviam irent, ita ad Ollium flumen perveniunt. Pro ripis nullum præsidium erat, sic enim in annalibus proditum est: egò tamen obviam Lodrisio ad Ollium cohortes Actii processisse haud levi testimonio affirmaverim. In porticu Prætoria Alexandriæ conjuratio in Veronensi agro inita, fluvii transitus, & loca, in quibus stativa Lodrisius habuit, & pugna primum ad Parabiagum, & circumvicina loca facta ostenditur. Pictura pro vetustate pluribus in locis concidit, Olii nomen adhuc legitur, & pugna in trajectu fluvii repræsentatur. Cædes utrimque edita, dum hi transmittere, alii transitu prohibere conantur. In citeriorem transgressus ripam Lodrisius, continenti impetu per fines Bergomensium Abduam usque pervênit ad Vicum, quem Ripaltam nominant; qui excubabant fortiter resistunt. Tunc Lodrisius, paucis oppositis, qui adversarios dum trajicere student, frustrarentur, ipse superiora vada perquisivit, opportunoque loco Abduam trajicit. Continuò Actiani, ubi trajecisse Lodrisium videre, terga vertunt. Lodrisius fugientes insectatus ad Sextum; (hoc vico nomen est; sexto enim milliari à Mediolano distat,) constitit; inde Ligna-

(*) Hic est paucorum verborum lacuna.

Lignanum, hic etiam vicus est, castra locat. Postulavit ab accolis Seprii pecunias, quas illi pro annuo vectigali debebant. Denegarunt primo tributum; verum metu imminentis mali atque damni, cladem enim minabatur barbarus, debitas pecunias Lodrisio persolvêre, quas omnes militi statim dedit. Terror non parvus Civitati incussus fuit. A populatione & excursionibus prædabundus barbarus non desistebat, cuncta igne & ferro pervastans. Urbem præterea fames inopinata oppressit; nam tum astrictis frigore rivis, quibus molæ ad frangenda frumenta circumagi solebant; tum quod barbarus ita perterrefaceret populos, ut pauci jumenta pistrinaria agerent, farinæ in Urbem comportatæ non sunt; ita inopia victus quatriduum laboratum est. Movit ea res cives, atque qui arma ferre poterant, tum etiam qui equos privato sumptu alebant, subito arma capiunt; haud parva fuit equitum multitudo. Proditum, subitarios equites circiter mille, præter eos, qui publico sumptu merebant, arreptis armis & signis militaribus ad Actium coivisse pro salute patriæ, quòcumque Actius ivisset profecturos. Ferus, immanis, & egens barbarus de vita, & bonis sollicitum Populum faciebat: vicem suam quisque timebant; ita omnes ultro, & sponte nomen in militiam dabant. Actius in extremo discrimine ab omnibus Civitatibus, quæ ditionis erant, auxilia deposcit. Imperabat tunc, præter Mediolanum, Papiæ, Bergomo, Cremonæ, Laudi, Como, Placentiæ, & Cremæ. Confestim accurrêre populares milites. Civitas quæque domesticam, non alienigenam militiam sustentat. A finitimis item, qui aut affinitate, aut fœdere, aut amicitia conjuncti erant, ut in gravissimo periculo opem ferrent, postulavit. Cognati, & Socii libentissimis animis per intoleranda frigora milites subitarios in auxilium misere, atque in primis Marchiones Estenses, sub quorum ditione, & imperio erat Ferraria, & Mutina. Thomas Saluciarum Dominus, Ludovicus Sabaudiæ Princeps. Hi tres sanguine, & nuptiarum fœdere Actio conjunctissimi erant; namque Beatrix Actii mater Estensis Marchionis soror erat. Saluciensi Ricciarda in exilio patris Tarvisii progenita nupserat; Ludovicus socer Actii. Hi non solum submisere copias, sed jam viam ingressi ad pugnæ diem pervenissent, nisi nivium magnitudo, & brumales dies interclusissent. Marchio Montisferrati triduum usque profectus est, intercessere frigora ne quo die dimicatum fuit, pugnæ interesset; nec Bononienses auxilia suppressere, siquidem Thaddæus Pepulus, sub cujus nutu, & imperio Bononia posita erat, ducentos misit milites. Ludovicus Gonzaga vexillationes tres ex Mantua misit; e Genua sagittarii complures advenere. Papienses misere & mercenarios milites, namque per ea tempora Civitas non solum in armis juventutem habebat, sed etiam mercenarios conduxerat. Ad Actium Mastinus Scaliger, ut suspicionem leniret (palam erat illum tanti facti auctorem fuisse, ejusque nutu, & imperio mercenarias barbarorum catervas Lodrisio adhæsisse) quingentos misit milites; præterea literis, atque nunciis Actium monuit, insidias caveret, neque vim cognati extimesceret, quoniam barbara multitudo frigoris impatiens, victu atque stipendio egens brevi dilaberetur. A Patriarcha item Aquilejensi ducenti milites in vicum ingressi ad opem Actio ferendam. Verum difficultate viarum, & quia asperum erat cœlum, etsi prompti armisque instructi fuerant, complures ex eis ne maturarent effectum est. Ingentes copiæ undique confluebant, quæ si coire potuissent, non temere pluribus ante annis major vis in Insubribus convenisse crederetur. Trepidabant interea cives, tumultuabantur qui vicos, & castella incolebant; hos barbarus pecuniæ, & rerum inops spoliabat, alios in vinculis inedia, & verberibus macerabat, nisi aurum expoliuissent. Actius copias, cum magnæ essent, bifariam partitus est. Præsidio Civitatis septingentos milites designavit, qui Joanni patruo Novariensi Episcopo parêrent. Satis id præsidii existimavit esse, tum ad cives in fide, & officio continendos, tum ad vim propulsandam, si qua extrinsecus a propinquo hoste ingrueret. Universo autem exercitui Luchinus alter præficitur. Sequebantur de gente Vicecomitum delecti juvenes strenui, & ad omne subeundum periculum prompti; res dilationem non capiebat. Itaque primùm Rhaude contendit; inde in vicum pervênit, quem Nervianum vocant. Distabat a stativis hostium quattuor millia passuum. Majores erant copiæ, quàm vicus capere posset; in septem partes divisæ, in loca convicina distribuuntur. Prætorium, & Prætorianæ cohortes Nerviani cum Luchino constitutæ, Parabiaghi equites octingenti, pedites vero ad duo millia collocantur. Medii erant inter duos hostiles exercitus positi. Lodrisius Lignani haud exiguam manum secum habebat, fretus robore, & virtute militum fortunam experiri voluit. Tertio itaque Idus Februarias cœlum asperum erat frigore, atque nives deciderant. Antelucano tempore tribus e locis eos, qui Parabiaghi consederant, aggreditur; stratos, & dormientes, sic enim noctis hora exigebat, oppressit; cæsi multi. Expergefactus militiæ Magister, atque ad arma clamitans adversùs Lodrisium progreditur. Multi aggregantur, & fortissime atque animose resistunt. Prælium committitur a diluculo usque ad sextam diei horam; atrociter dimicatum est. Tunc Luchinus, ne virtus eorum inhonorata esset, qui strenuam operam in pugna edebant, militaribus insignibus decoravit Prothasium Caymum, Succium Vistarinum, & quemdam Alexandrinum de Inviciatorum gente. Cædes facta ingens fuit; nam in area Parabiaghi, quæ pro foro patet, vix trecenti, remissa pugna inventi sunt; ex sagittariis, & peditibus strages major. Captus fuit in eo conflictu Joannes Vicecomes Verceliini filius; hunc Lodrisius quia patruelis filius erat servavit a cæde, diligenter tamen custodiri voluit. Adhuc infensissimis animis, & uter foret acerbior certabatur. Luchinus iterum, ut benemeritis gratiam aliquam referret, simulque ceteros alacriores ad pugnandum redderet, in fervore pugnæ Placentinos duos, Lancillotum Anguissolam, & Dondacium Malvicinum equestri auro donavit. Tertius Joannes Fliscus, cujus soror Luchino nupserat, eodem honore decoratur; neque a jactura deterritus Luchinus, congregatis copiis, cui etiam adjuncti sunt qui a cæde superfuerant, acie instructa, inter Parabiagum, & Canegrate constitit. Minime cunctatus Lodrisius ex adverso ejus loci non procul consedit. Signa propria super viperarum capita aquilæ eminebant; ita indiscrete certamen inibant, & promiscua

ædes edita foret, concidissentque plerique miserandum in modum a suis confossi, quod ne fieret, atque certos ictus miles in adversarium inferret, dissono clamore, & dispari voce in hostem arma intentarentur; nam qui sub Luchino militabant, invocato Ambrosii nomine hostem impetebant. Lodrisii miles fere alienigena Germanicum quoddam vociferando hastas vibrabant, tum gladios stringentes cominus hostem obtruncabant. In ancipiti aliquamdiu dimicatione steterunt; superior tandem fuit Lodrisius; utrimque multi concidere. Clamor occurrentium, cadentium fragor, armorum crepitus ad multa passuum millia exauditus. Joannes Fliscus, quem Luchinus inter arma virtutis ergo militari ornamento decoraverat, casu equo elisus expiravit. In hac pugna quantum fortuna possit, & nunc huic propitia, nunc illi inimica, si umquam alias, cognitum fuit. Luchinus ubi inclinatam suorum aciem vidit, fremens, & intrepidus stricto ense inter confertissimos prorumpit. Restituta pugna. Ceterùm dum fugæ, & cædi adversariorum indulget capitur, atque ad propinquam nucem, appositis custodibus deligatur. Pugna aliquantisper remissa, intellexit Lodrisius segniores adversarios, denuoque instaurato agmine in certamen invadit; acerrima committitur pugna. Miles quem occupaverat locum, quamvis undique tela peterent, cedere nesciebat; ita pulchrum putabat illic concidere, ubi hosti se opposuerat. Actius de summa rerum periclitabatur. Mediolani ingens trepidatio erat. Urbani milites, qui in præsidio relicti erant, ad primum adversæ pugnæ nuncium, arreptis armis, in hostem progressi advenere, dum manus conserebant; horum interventu cives, qui jam terga dabant recreati, in hostes tela obvertunt, & acriùs infrementes sustinent. Superveniunt inter hæc a Sabaudiensi auxiliares milites, atque eodem tempore Estensium conductitiæ catervæ, quarum ductor erat Brandelisius Gozadinus, quem supra a Populo Bononiensi pulsum docuimus. Novis, & ex insperato adjunctis copiis hostis a præsenti victoria jam ad spolia dilapsus, continuo in fugam se dat. Luchinus nuci adhærens inventus vinculis solvitur, equum ascendens pugnam instaurat. Lodrisius ubi desperatis rebus diffugientes suos vidit, in manus Joannis Vicecomitis, quem captivum tenebat, se tradidit. Tunc omnis dissipatus exercitus. Cæsi in pugna permulti, plures in fuga capti. Finem dimicandi sol occidens fecit. Lodrisius captivus Mediolanum perducitur. Luchinus, ut cœperat, nihil morte Flisci perturbatus, militari ornamento Matthæum juniorem Stephano fratre progenitum, Joannem Scacabarotium, Reginandum Alexandrum (hic Mantuanus erat) pari honore dignatur. Hanc pugnam Annales omnes celebrant, tum quia in ea vertebatur Partium victoria, & utrisque exercitus Duces vario eventu capti fuere. Ordinum principes, & qui inter equites dignitate, & imperio pollebant, fere omnes aut saucii, aut occisi, aut capti fuerint. Concidisse ex hostibus, & qui Lodrisio adhæserant, ad tria millia traditur. Septingenti equi occisi, dum præda recognoscitur ad duo millia descripti. Surrepti multi; sed neque incruenta fuit Luchino victoria; namque complures ex iis, qui sequuti fuerant, vulnera accepere; aliis membra abscissa, effossi oculi, nares truncatæ: tanta fuit ferocis,

A & immanis barbari crudelitas, atque sævitia. Viæ publicæ acervis cadaverum horrescebant; vici amissis cultoribus squallebant; omnia prædæ exposita. Non fuit supra eam memoriam major peracta cædes, nec magis infensis animis pugnatum. Exarserant inter cognatos odia, & interim, ut ille dixit, propius periculo is fuit, qui vicit; servavere tunc fata Urbem. Ferunt, transmisso Abduam exercitu barbaros præ inopia stipendii, quum ferocius agerent, parumque imperata Lodrisii facerent, inter se conjurasse, si Actium, & Luchinum debellassent, Urbe capta, cives ad unum interficerent, aut in Germaniam abducerent, relictis dumtaxat rusticis, qui agros
B colerent; tum vero, externis colonis adductis, Urbem populosissimam, & potentissimam in coloniam redigerent. Restitit omnipotens Deus, illorumque sævitiæ, & crudelitati obstitit. Ambrosius dum acres confligerent in aëre albo vestitus amictu barbaros scutica cæcidisse fertur, quos etiam ita perterruit, ut in victoria costernati terga darent; neque hoc fabulosum, aut confictum quisquam dixerit. Inter Germanorum catervas Malherba cognomine, viribus, & animo præstans, quum captivo quidam insultarent, ignaviamque objicierent, ut occidione devicti fuerint, respondit: Minime eos ignavos dixeritis, neque viribus, aut armis vestris nos cessimus;
C nec item virtuti, & animo plaudite, nos is perterrefecit, qui dum tela jacularemur, aut cominus strictis gladiis impeteremus, oculis nostris obversatus, flagello subinde vulnerabat. Ceterùm Actius, & Luchinus, ne pro tanto beneficio ingrati in Ambrosium essent, simulque locus æterna facti memoria celebrior, & venerabilior foret, Templum sub nomine Divi Ambrosii illic excitarunt, ubi commissa pugna, hostisque fusus fuit; atque ut religio in animis hominum perseveraret, appellationem, & titulum Victoriæ Templo indiderunt. Cives vero constituêre munera, quæ quotannis victori solemni supplicatione offerrentur. Durat adhuc nux, cui Luchinus adligatus fuit;
D sic seniores de patribus se accepisse ferunt. Ita nobilitatus clade hostium est locus, & religione victorum venerandus. Fundamenta jacta fuere ab Joanne Vicecomite Novariensi Episcopo; is primum lapidem manibus propriis dejecit. Ceterùm a Matthæi clementia, nec filii, nec nepos degeneraverunt; de summa rerum quum dimicatum fuerat in illum clementes, satis factum putavere, si Lodrisium vinctum compede in arce, quæ a Divo Columbano nomen habet, tenerent. Per hæc tempora res mira accidit, & prope fabulosa, quam nescio commemorem, quippe fidem Scriptori abrogaturam, nisi tale quiddam de honestis cor ore scriberet Herodotus, & Philostratus in Heroicis; sua ætate tradunt in
E Campania, effosso sepulchro, hominis ossa magnitudinem humanam excedentia inventa. In Sepriensi Præfectura Monasterium est barbaræ, & peregrinæ appellationis de Thorbeth. Forte vehementi spirante vento, turbine ingens correpta arbor ab radicibus eruitur. Subter apparuit sepulchrum, in quo adhuc integrum stabat Galdani Longobardorum Regis corpus, caput ex auro corona redimibat; tres gemmæ infixæ stabant, carbunculus, adamas, & achates pretii haud mediocris, & sinistra manu pomum ex auro, lateri ensis hærebat, prope quem appositus insolitæ magnitudinis

deos

Digitized by Google

dens Tristani a Galdano interfecti; in capulo barbarici rythmi legebantur. Fabulam temere confictam magis ego dixerim, sed cur literis eam prodimus? Ne scilicet videamur ea contemnere, quæ vulgus frequenter cantitat, & quidam circulatoribus serviens scribere non erubuit. Jam Actius debellato domestico hoste, tum nova adeptione duarum Civitatum, finitimis omnibus metuendus esse cœperat, & novum regnum, cujus Joanna soror heredem fecerat, adire statuit. Olim Sardinia ditionis Pisanorum erat, in tres Præfecturas divisa, quas popularium opibus principes usurpaverant; ita tamen ut vectigalis patriæ insula foret, significantes, procurationem dumtaxat suam esse, dominium penes cives. Ergo Actius, ut quod testamento obvenerat, id ratum foret, neque rescindi posset, voluit a Pisanis Civitate donari, quorum consensu id jure possideret, quod Matrona hereditario jure obtinuerat. Ninus, ut alio loco enarravimus, de Gallurarum familia, & pater Joannæ in Sardis largiter dominatus erat. Morte patris Joanna quidquid paternæ ditionis fuerat consequuta est. Ita consensu Pisanorum jure tertia pars insulæ Actio Vicecomiti cessit. Ii prompti, alacres, & volentes, summo cum gaudio, & honore Actium in numerum civium ascripsere. Actius adire hereditatem ob mortem, quæ brevì subsequuta fuit, non potuit. Ceterùm Joannes rerum potitus, & Ligure subacto, Sardos, qui ditionis Galluræ fuerant, ad obsequium & fidem redigit, Prætoresque, ceu legitime imperaret, imposuit; ita jus omne obtinuit, ut de facto certari amplius non licuerit. Donavere Pisani insignia Galluræ Comitatus Actio. Quadratum vexillum quadrifariam intersecant intercurrentes lineæ, duæ quarum, altera rubra, glauca altera. In fastigio arx, in cujus summo niger Gallus eminet. Amisit per id tempus Actius matrem, quam pro opibus regni, & pietate in parentem magnifico funere extulit, atque in Templo Naboris & Felicis, quod Minorum Fraternitas incolit, & altera appellatione nominant, sepelitur. Sepulchrum adhuc marmoreum, & amplum extat utroque insigni conspicuum, Gallo atque Vipera, forsan, ut alibi scripsimus, Dantis petulantiam funere, & mausolæo non ignobili taxare voluit. Generosissima fuit domina, singularis prudentiæ, animo infracto, & in adversis patientiæ raro aliàs, vel lectæ, vel auditæ. Ad secundas nuptias hortante fratre transivit. Vix annum Mediolani in imperio exegit, cum socer pulsus est regno, & opibus. Novem, & amplius annos in exilio vixit. Sustentavit inopem, & errabundum Ricciardus gener, qui magistratum perpetuo in solatium fugæ, & amissarum opum in Tarvisanis dederat. Restituto in patriam, & procurationem rerum Socero, cum viro domum reversa, domesticis, & externis bellis perpetuò agitata, virilem animum in tolerandis laboribus, cavendisque insidiis ostendit. Receperat Placentiam jussu Henrici maritus, sequuta illum, quum seditione civium, & externorum impetu omnia agitarentur, foris intoleranda detrimenta iis, qui partes sequebantur illata forent, amicos solabatur, virum tot malis obrutum sublevabat, ne in adversis deficeret, quamvis Joannes Pontifex execrationibus, & detestationibus Matthæum cum filiis, atque cognatis insectaretur, & seu nefarios, & Sacrorum exortes ad captivitatem, & eadem condemnaret. Magnitudine dirarum, & morte Matthæi tumultu omnia concussa fuere. Principes diversæ factionis Pontificis favore, & armis Roberti succincti ad rebellionem populares concitarunt. Placentini primi rebelles a Vicecomite defecerunt. Mediolani Galeatius suorum popularium, qui jam ædes circumvenerant, insidiis, & viribus diversæ factionis conflictabatur Placentiam Matrona cum filio adolescente, & præsidio paucorum peditum custodiebat. Urbem intercipiunt, & Prætorium adversarii circumveniunt. Matrona repentinum, & salutare consilium cepit. Irruperant in ædes hostes, portas, & exitus armati observabant. Effugere non licebat. Sparsit Matrona aurum, ad quod diripiendum accurrente præsidio, Actius manus inimicorum effugit. Exulabat Galeatius, sed neque longius fuit exilium; paucos post dies vario eventu vir jactatus, in patriam recipitur. Majus deinde subsequitur discrimen. In perdendos Matthæi filios, invertendasque opes Guelfum omne nomen conjurat Legatus Pontificis, & Regius Procurator affatim pecunias præbebant. Undique concurrentibus auxiliis ad Urbis mœnia castra admota. Respirare non poterat Galeatius rerum gravitate fessus, verum in amore matris ac suavi sermone plerumque requievit. Ad occidionem debellavit hostes, sed non desistebant Pontifex, & Robertus ab ira & bello; reparabant exercitus, cum externis Regibus societatem, & amicitiam denuo inibant. Tanta mole renascentis belli oppressus Galeatius, quem Pontifex titulo imperii submoverat, & hæresios postulaverat, Ludovicum Bavarum in Italiam Galeatius accersit, pecunias pollicitus, ut imperatoria jura vindicare possit Mediolanum quum venisset, accepto regio Insigni, ut præ inopia, & ingenita avaritia, auro impleretur, quod sitiebat, Galeatium, & filium, tum illius duos fratres Luchinum, & Joannem in vincula conjecit. Præsentem mortem is intentabat, nisi statim arx Moguntiaca tradita sibi fuisset. Custos, nisi viso Galeatio, cedere præsidio recusabat. Generosissima Beatrix in periculo viri, atque filii non cessavit. Pro arce supplex cum Ricciarda filia procubuit, custodem obtestata, & obsecrabatur sibi id redderet, quod suæ fidei commissum erat. Perstabat in proposito Custos, ne simul fidem, & opes regni proderet; denique lachrymis, & gemitu Matronæ, atque filiæ præsidium deducit. Adducuntur deinde in Ethruscos. Morbo correptus, quem tædio carceris contraxerat, Galeatius interit. Actius præter opinionem, & spem, rem paternam invasit, recuperatis magna ex parte opibus, tum prolatis finibus, sæpiusque devictis hostibus, jam metuendus erat. Beatrix, quam extrema mala pene obruerant, filio in imperium reposito, aliquot annos supervixit. Quod si mala, quæ bis nupta atque vidua sustinuit, consideraveris, miserrimam dixeris. Contra vero si viri, & filii virtutem, tum quæ bona adversis intercurrentibus interpolata, & proinde jucundiora obvenerint æstimare voluerimus, felicem dicere non erit inconveniens. Hic ego addam, quod cum bona venia dictum sit, inter recentiores Italiæ Proceres nullas nuptias felicius conciliatas. Ex his regnum Vicecomitum multis malis, atque cladibus pene ad interitum deductum, defensum, receptum, & amplificatum sit, & nisi in domum Matthæi Vicecomitis Bea-

Beatrix deducta foret, nascens regnum corruisset. Quid quod Salutienses Proceres hinc prognatos invenimus. Ricciarda in exilio nata, Thomæ Salutiensi in matrimonium data fuit, unde hinc potentia, & perpetuum nomen patrum memoriâ. Ricciarda altera, Philippo Maria procurante in Estensem domum per legitimas nuptias reversa, ex Nicolao mares duos peperit, Herculem, qui nunc regnat, & Sigismundum. Per hæc tempora Genuenses civilibus malis fatigati, & rerum fessi, ut sub alienigena Principe irarum, & malorum civilium finis daretur, neque per simultatem, & invidiam civilibus armis perpetuò agitarentur, Actio Vicecomiti publico consensu Genuam regendam tradiderunt, & nisi mors intercessisset, in dominium, & potestatem Vicecomitis Ligur venisset. Mortuo Actio urbs discors, & intestinis armis pene exhausta, novum magistratum sine provocatione constituit. Proditum est in Annalibus, quum Populus in concionem vocatus esset, & tœdio civilium dissensionum de tranquillitate, & ocio Urbis consultaret, in tumultu jactatam vocem Ducem, exemplo Venetorum, constitui oportere. Excepta vox fuit, consensu omnium Symon Buccanigra Dux creatur. Hujus pater & avus Præfecturam Populi sub ridicula appellatione tenuerant. Invasit deinde consuetudo, ut ex plebe dumtaxat Gibellina Reipublicæ princeps crearetur. Ita dimissis veterum

A factionum studiis in novam sectam Populus abiit, neque deinceps de principatu primores Populi decertarunt. Ceterùm Actius, ut Ludovici Bavarorum Ducis ferociam retunderet, simulque, ut opinione Pontificis Populus reverentior, & magis fidelis redderetur, Benedicto XII. se dedititium professus est. Ea res gratiam cum Pontifice reconciliavit, urbes, & populos sui studiosiores fecit. Moritur hoc eodem anno Aycardus titulo tenus Archiepiscopus, ut supra docuimus; nam repugnante Matthæo & filiis, nisi sub conditione Sacerdotio potiri non potuit. Joannes, cui cura Sacrorum delegata erat, illi sufficitur; erat enim Novariensis sacri Præfectus. Aycardus B honorifico funere elatus in æde Minorum sepultus est. Rebus in hunc modum compositis Actius postridie Idus Augusti, ut quidam tradunt, functus naturæ satisfecit. Sepultus in æde, quam intra parietes regiæ construxerat. Ea deinde Gothardi appellationem habuit, ad quam usque nostra in tempora tertio Nonas Maji, viri atque matronæ frequentes concurrunt, votaque persolvunt, quia Gothardo favente a morbo liberantur, quem nulla medicina tollere potest. Prior appellatio ædis sub Virgine Maria, & Joanne Baptista. Vota repetens Actius Gothardi nomen indidit, ab his credo persuasus, qui conclamato morbo nullam opem, nisi a Deo exposcendam dixere.

Explicit Liber Quartus.

Digitized by Google

EUGENII IV.

ET

NICOLAI V.

PONTIFICUM ROMANORUM

VITÆ

A VESPASIANO AUCTORE SYNCHRONO

SCRIPTÆ

Nunc primum prodeunt

EX MANUSCRIPTO CODICE

ABBATIS LAURENTII MEHUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN EUGENII IV. ET NICOLAI V.
ROMANORUM PONTIFICUM
VITAS
MONITUM
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

HAsce duorum Pontificum Romanorum Vitas, numquam antea editas, debemus erudito Viro *Laurentio Mehus*, qui easdem e chartaceo Codice descriptas, diligentiae *Philippi Argelati*, cui tot titulis Respublica literaria obstricta est, suppeditavit. Earum Auctor *Vespasianus*, de solo nomine nobis notus, qui ipsas dicavit nobili Viro *Lucae* filio *Antonii de Albiziis* Patritio Florentino. Omnia haec multa cum simplicitate scripta, sed quae magnificam aliorum eloquentiam pretio superet. Erat enim Auctor non tantum synchronus, sed & eorum, quae narrat, satis conscius, ita ut colorem veritatis ubique ejus verba prae se ferant. Equidem haec legens (& certe non sine voluptate) unum tamdem dolui, nempe breviorem esse narrationem, quam vellem, & excidisse Vitam Alphonsi I. Siciliae ac Neapolis Regis, cujus itidem a se compositae Auctor ipse meminit. Perquam nota, non abnuo, sunt eximii hujus Regis gesta; sed quod pleraque a Scriptoribus manarunt aut ad adulationem aut ad odium pronis, praestitisset ea accipere ab homine, qui justum pretium rebus statuere videtur. Quum vero hic scribat: *Ho composto più Vite per via d'un breve Commentario d'Uomini singolari, che sono stati in questi tempi*, par est credere, plura etiam praeter haec fuisse ab eo literis commendata. Sed quando jacturam ejusmodi reparare non licet, hisce paucis saltem Lector fruatur.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROEMIO DI VESPASIANO A LUCA D'ANTONIO DE GL' ALBIZI

IN PIÙ VITE DA LUI COMPOSTE.

AVendo pensato più volte meco medesimo, quanti Uomini singulari sono stati ne tempi passati, e ne presenti, i quali per non essere stati mandati a memoria delle lettere, sono stati quasi dimenticati, e di loro non è memoria niuna, essendo stati nella vita loro in tanta reputazione, che sono stati ornamento alle Patrie loro, donde anno origine, el simile alle Case, e alle Famiglie loro, dando loro perpetua fama, e reputazione, mediante loro singulari virtù. Vedesi che nella Romana Repubblica tutte le Famiglie nobili vi sono state, anno preso il nome da singulari Uomini anno avuto in casa loro; avendo avuto quella Repubblica copia di Scrittori, sono le cose loro in grandissima fama, e reputazione. Avendo dunque conosciuto quanta fatica sia quella del comporre, e da più è stata lasciata per la sua difficultà, e massime veduto non essere stimata, ne premiata come si converrebbe a tanta fatica; sonci ancora di quelli, che stanno, per non volere capitare al giudicio di quelli, che son più tosto volti al biasimare, che al fare. Io adunque conosciuto, che lo scrivere è alieno dalla mia professione, e sappiendo, che per questa cagione non posso essere biasimato, ma più tosto lodato da quelli giudicheranno sanz' alcuna passione; e per questo ho composto più Vite, per via d'un brieve Commentario d'Uomini singulari sono stati ne presenti tempi, ed è stata questa composizione assai difficile, avendo a fare ogni cosa per forza di memoria, sanza avere chi immitare. Le Vite ho composto nel modo detto, pigliando solo le cose principali di quello anno fatto. La prima Vita sarà quella di Papa Eugenio, nel quale furono tante singulari virtù, e per questo si vede come vogliono esser fatti i Pontefici; sarà l'altra Vita quella di Papa Niccola, che immitò assai Papa Eugenio, sendo stato fatto Cardinale da lui mosso da tante sue inaudite virtù. Alle Vite di questi due Pontefici m'è paruto aggiugnere un degnissimo Re fu ne tempi loro. Questo fu il Re Alfonso nato della principal Casa abbino i Cristiani, e furono in lui, come si vedrà per la Vita sua, infinite supreme virtù. Posto ebbi fine alle dette Vite, pensai a chi io le dovesse indirizzare, che avesse qualche giudizio, e che gustasse tanta fatica. Non trovai niuno, nel quale fossero tante laudabili condizioni, quante sono in te. In prima per essere tu nato di nobilissimi Parenti quanti sieno stati, e sieno in Firenze. Aggiugnesi l'esser tu non meno nobile di costumi, e d'infinite virtù, che s'aggiugne alla Nobiltà della Casa tua, come è detto, e come si vede, la Casa tua è stata quella, che sempre ha atteso a conservare il buono stato della sua Città. Delle Vite non dirò nulla, perchè leggendo quelle conoscerai quanta forza abbino avuto le loro singulari virtù. Sicchè adunque con buono e lieto animo riceverai questo mio picciol dono, il quale benchè in verità sia piccolissimo, tu debbi riceverlo allegramente, perchè dal tuo puro, e vero amico t'è stato mandato.

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTARIO
DELLA VITA
DI PAPA EUGENIO IV.
COMPOSTA
DA VESPASIANO,
E MANDATA
A LUCA D'ANTONIO DE GL' ALBIZI
CITTADINO FIORENTINO.

Messer Gabbriello Condolmieri fu di poi Papa Eugenio IV. di nazione Viniziano, Uomo di santissima vita e costumi. Morì il Padre, e lasciollo molto ricco di beni temporali in modo, che conosciuta a buon ora la vanità, e le miserie di questa vita, volle solvere i tenaci legami de beni temporali delle ricchezze di questo infelice Mondo, e dette per l'amor di Dio ducati ventimila. Dispensati i beni temporali determinò voler essere erede de beni Eternali, e perchè questo effetto seguitassi, sendo usato con Messer Antonio Viniziano della Casa de Coreri Gentiluomo, e di grandissima reputazione insino dalla sua puerizia, che fu poi Cardinale di Bologna; insieme con Messer Gabbriello determinorono di rinunziare al Mondo, & alle sue pompe: E perchè questo effetto seguitassi, volleno entrare sotto il giogo dell'ubbidienza, e fecionsi Frati di S. Giorgio d'Aliga, che sono quegli, che portono l'abito azzuro. Entrati in questo luogo attesono a farsi perfetti nella vita spirituale mettendosi a fare ogni cosa, come gl'altri con grandissima umiltà. Aveva Papa Eugenio buonissima notizia della lingua Latina, e Messer Antonio il simile, & andando a tutte l'ore di dì, e di notte, non perdeva mai punto di tempo, ò dire l'ufficio, ò leggere, ò orare, ò scrivere. Essendo buono scrittore per occupare il tempo, quanto potea, riscrisse di sua mano un Breviario, in sul quale diceva l'ufficio dipoi, che fu Pontefice. Stando a questo modo in questo Munistero di S. Giorgio, & uscendo ogni dì la fama delle loro singulari virtù. In ogni Munistero d'Osservanti, sempre istà oltre al Portinajo uno de Frati secondo le loro constituzioni, chi un dì, e di quelli luoghi ci sono, che vi stanno una settimana, per rispondere a forestieri, che vengono al Munistero, e riceverli. Sendo Messer Gabbriello alla porta del Munistero, per quello gli toccava a stare, venne a picchiare l'uscio un Religioso con abito come di uno Eremita. Entrato nel Chiostro del Munistero, Messer Gabbriello secondo la consuetudine lo prese per la mano, e ricevello con grandissima carità, & andorono, secondo la consuetudine loro, in Chiesa a fare Orazione. Tornati di Chiesa, & andando per lo Chiostro, questo Eremita si volse a Messer Gabbriello, predissegli la elezione del Ponteficato. Dipoi ebbono parlato alquanto insieme, gli disse: Voi sarete fatto Cardinale, e dipoi Papa, e nel vostro Ponteficato arete di molte avversità. Seguirete il decimottavo anno del vostro Ponteficato, dipoi vi morrete. Detto questo prese licenza da Messer Gabbriello, e partissi, e non più lo rividde, nè seppe chi egli si fusse. Questo diceva spesso Papa Eugenio a chi lo voleva udire; e per dar fede a questo Indivino, nel Concilio di Basilea, fu uno degli articoli gli furono opposti contro. Non passò molto tempo, che fu fatto Paga Gregorio della Casa de Coreri Viniziano Uomo di grandissima autorità, e zio di Messer Antonio compagno di Messer Gabbriello. Fatto Papa subito fece pensiero volere, che Messer Antonio suo nipote fosse Cardinale, che era come s'è detto in S. Giorgio d'Aliga. Richiedendolo il Papa per volerlo far Cardinale, disse non volere essere, se la Sua Santità non faceva Messer Gabbriello, col quale egli s'era allevato, e fattosi Religioso. Fu contento Papa Gregorio. Fatto Cardinale istette Papa Gregorio non molto nel Ponteficato, e venne Papa Alessandro, e di poi Papa Janni. Seguitò Martino. Non passò molto tempo, che Messer Gabbriello fu fatto Legato di Bologna, dove si portò benissimo: Morto di poi Papa Martino, avendosi a eleggere nuovo Pontefice, fu eletto Papa Eugenio, & ebbe co' Romani, che sono Uomini scandalosi, differenza, e non era de' primi Pontefici, a quali eglino avessono fatto il simile. Vennono in tanta iniquità, che gli vollono mettere le mani addosso, & incarcerallo. Avendo inteso da suoi amici, si cavò l'abito Pontificale, e misesi indosso una cappa d'un Frate, & andandosene a un Porto, che lo chiamono Ripa, entrò in su un legno, e fessi coprire co' bargoni, perchè i Romani non lo conoscessino. Vennono in tanta iniquità, che lo seguitorono, e non potendo pigliarlo, come volevano, saettorono nella Galea, e se non fusse, che, come è detto, l'avevano coperto, l'arebbono morto. Volendosi fuggire il vice Cancelliere suo nipote, lo presono, e messonlo in prigione, dove lo tennono circa di due anni. Montato Papa Eugenio in

in su questo legno, se ne venne in Porto Pisano sanza nulla, se non la sua Persona propria. Giunto a Pisa si rivestì, e misesi in punto, e da Fiorentini gli fu fatto grandissimo onore, e diterminò venire a starsi a Firenze parendogli luogo accomodatissimo per la Corte. Ordinossi di fargli grandissimo onore. Vennevi nell'anno MCCCCXXXIII., entrò in Firenze del mese di Giugno del detto anno, e fugli fatto grandissimo onore. Tutti i Cittadini principali della Città gl'andarono incontro, parte a Pisa, parte per la via. Venendo da Pisa si posò al luogo d'Agnolo di Filippo Pandolfini, e stette quivi tanto si mettesse in punto l'onoranza sua, che fu cosa mirabile a vedere. Tutti i Cavalieri, e principali della Città andarono dipoi a Signa, & accompagnoronlo infino a Firenze con tutta la pompa Ecclesiastica, secondo il costume de Pontefici, e più, se più poteva. Era la Città in questo tempo copiosa d'assai Cittadini di riputazione. Venuto il Papa in Firenze gli fu data la stanza in Santa Maria Novella ornatissima quanto dire si potesse. Aveva in questo tempo perduto gran parte dello Stato della Chiesa, il quale in brieve poi lo racquistò. Sendo in Firenze questo anno del trentatrè, venne il trentaquattro del mese di Settembre. A dì otto si prese l'arme per i principali Cittadini, dubitando, che Signori, che erano, non mutassono lo stato. Sendo venuti in piazza, e preso la piazza, Papa Eugenio come Signore, che volentieri entrava di mezzo tra i differenti, com'era suo uficio, sendo ancora pregato e dalla Signoria, e da altri Cittadini, che desideravano l'arme si posassi sanza iscandalo, mandò per questo il Patriarca de Vitelleschi Cardinale, che per sua parte dicesse a quelli Capi principali, che andassino al Papa, che egli acconcerebbe le lor differenze. Andando a bona fede il Papa, e chi aveva l'arme nelle mani, posono giù l'armi, e rimisonsi nelle sue mani. Mentre chel Papa praticava l'accordo, i Signori, che erano allora, confinarono Messer Rinaldo degli Albizzi, e figli, e Messer Ridolfo Peruzzi, & altri Cittadini, e rivocarono Cosimo de Medici, che era stato confinato l'anno dinanzi. Veduto questo il Papa prese grandissimo isdegno, parendogli che sotto la fede della Sua Santità e' fussino confinati. Non si potè mai placare la mente della Sua Santità, & arebbe fatto ogni cosa per fare che fussero restituiti nella Patria, come si vide nella dimostrazione fece di poi, stando la Sua Santità a Firenze. A questo modo attendeva con ogni diligenza a riformare la Chiesa, e fare ch'e Religiosi stessero a termini loro, e di Conventual fargli Osservanti giusto alla possa sua. Venendo a più luoghi di Religiosi riformò la Santità Sua S. Marco di Firenze, sendo di Frati Conventuali non dell' Ordine di S Domenico, ma d'altro Ordine, e standovi dentro dieci, ò dodici Frati, Papa Eugenio lo riformò, e volle, che Cosimo acconciasse quel luogo per li Frati dell'Osservanza di S. Domenico, a quali il Papa l'aveva dato. Promesse Cosimo alla Santità Sua ispendervi dentro ducati diecimila, & andò a undicimila; e riformò la Badia di Firene. Bench'ella fosse di Osservanza, niente di meno aveva Abate perpetuo, e dubitando la Sua Santità, che la Badia col tempo vacando a tempo d'un altro Pontefice non andasse in Commenda, dette a quello

A Abate, che era Portogallese, una Badia in Portogallo, e sottomesse la Badia di Firenze alla Congregazione di Santa Giustina, e volle, che si facessero Abati annuali, come si fanno insino al presente dì. Misse l'Osservanza nel Monastero di S. Salvi dell'Ordine di S. Gio. Gualberto, & ordinò Abati al medesimo modo della Badia, e fece venire d'Arezzo un fratello d'Alamanno Salviati, Uomo di santissima vita, & uno de Niccolini d'Arezzo, che si chiamò D Calvano, e col mezzo di questi due Religiosi riformò quel Monastero. Il fratello d'Alamanno era stato grandissimo Mercante, e tornò a Firenze molto ricco, & avendo veduto prova della fallacia del Mondo, B restituì quello gli parve avere sopracoscienza, & il resto di giusto, & onesto guadagno dette per l'amore di Dio; e fatto questo sen'andò al tutissimo nido della Religione. Ritornando a Papa Eugenio, Settimo Badia antichissima dell'Ordine di S. Bernardo di Cestello, sendo stata parte in Commenda, parte in mano d'uno Abate l'aveva guasta, e Poderi venduti; e dove solevano stare quaranta ò cinquanta Monaci, era ridotta a due. Vedendo questa Papa Eugenio la dette al Cardinale di Fermo Uomo santissimo, acciochè lui la riformasse, e cavasse molti Poderi di mano di certi potenti colla autorità Apostolica. Datala al Cardinale, prese Papa Eugenio certi C Monaci della Badia di Firenze, e fecegli entrare in questa Badia, e pigliare l'abito di S. Bernardo, e parte dell'entrate si riserbò il Cardinale a se, e parte ne dette a Monaci, e attese a riavere possessioni, e mettere in punto il Monastero, & ogni dì riaveva un podere. In brieve tempo vennono in numero di Monaci più di quaranta. Il Cardinale sendo Uomo santissimo non attendeva ad altro, se non a fare restituire possessioni, & ordinò nella sua vita, che la Badia rimanesse libera a Frati, e fu più assai quello vi mise del suo, che quello che ne cavò. Dette loro Papa Eugenio, ch'era un Monastero di Monache. Essendo Papa Eugenio un dì vi mandò a ore D strane due Cardinali, Piacenza, e Fermo, & entrati dentro con certi mandati Apostolici, ordinarono, che quelle, che vollono andare a un altro Monastero di S. Donato in Polverosa, v'andarono, e quelle che non vi vollono andare, le renderono a Padri loro. Riformò il Monastero di S. Donato con grandissima difficultà, e dette Cestello a Frati. E così più Monasteri erano per la terra in varj luoghi, che non si potevano riducere, gli disfece, come Santa Maria della Neve, S. Silvestro, e più altri Monasteri; dove potè riducergli a viver bene, lo fece, dove non potè gli disfece, per levar via gl'inconvenienti vi si facevano. Era la Badia di Fiesole in mano E d'uno Abate, che vi teneva uno, ò due Cappellani. Papa Eugenio gliela tolse, e misevi i Canonici Regolari di S. Agostino. Di poi Cosimo de Medici vi fece la muraglia, che v'è al presente. E' dette a detti Frati Santa Maria della Neve, che era un Monastero di Monache, e disfello a fine, che quando venissero a Firenze avessero dove posassi. Misse l'Osservanza de Servi, la quale vi stette per alquanto tempo; di poi partito il Papa, la cavarono. Attendeva quanto egli poteva a riducere luoghi in Osservanza, e suo pensiero era di disfare tutti i Conventuali, e fare ogni cosa Osservanza; & usava dire, che se Iddio gli

Digitized by Google

gli desse tanta grazia, che potesse, che tutte le Religioni riducerebbe a Osservanza; e fenne quello potè, ma fu impedito. Era il luogo della Vernia in mano di Conventuali, e ridusselo in Osservanza, e rendello a questi Frati dell'Osservanza di S. Francesco a fine che non fussino impediti. Pregato da S. Bernardino, spiccò questo membro degli Osservanti dal Generale, e da Vicarj. Solo resta nella giurisdizione del Generale, e feciono ch'egl'avessono un Vicario da loro, il quale avesse giurisdizione solo sopra gl'Osservanti, e stesse due, ò insino in tre anni, & il simile fece a Frati di S. Domenico. In tutte le terre della Chiesa, dove egli potè, misse l'Osservanza. In Roma a Santa Maria Aracœli, dov'era il Convento di S. Francesco, vi misse l'Osservanza, e così in tutti i luoghi, che potè, fece visitare a Papa Niccola, che era allora Soddiacono Apostolico. S. Gio. Laterano, che era in mano di Preti secolari, e' trovò ch'egl'era stato anni 400. succeffive in mano de Canonici Regolari di S. Agostino, e per questo lo restituì loro, e fevvi murare un grandissimo luogo alle sue spese a uso di Religiosi, e stavanvi 50. ò 60. Monaci. Mentre che visse Papa Eugenio, attese, com'è detto, a riformar luoghi sì di Uomini, come di Donne. Scopeto fuori della Porta a S. Piero Gattolini lo riformò, & univvi alcuni luoghi, un Monastero di Donne, & altri benefici a fine vi potesse stare un Convento, come vi stà oggi. Il Paradiso erano poverissimi, & il simile v'unì una Badia, & altri luoghi in modo vi potessino stare. Erano in lui molte laudabili condizioni, che se saranno scritte, non sono inferiori a gnuno degli altri Pontefici sono stati pe' tempi. Consagrò in Firenze con grandissima pompa la Chiesa di Santa Maria del Fiore. Il Ponte era coperto di sopra di panni azzurri, e bianchi, ch'era l'arme del Papa. I legni, che reggevano questi panni, erano tutti coperti di mortine, e d'alloro, e d'abeti, & arcipressi. Appiccati i panni dall'un lato, e dall'altro erano drappelloni dall'una Chiesa all'altra. Da lato erano puncali nel medesimo modo dall'uno lato all'altro. In sul palco erano Tappeti coperti dall'una Chiesa all'altra, ch'era cosa mirabile a vedere. Su per questo palco venne il Pontefice con tutti e' Cardinali, e tutta la Corte di Roma, il Papa parato in Pontificali con la Mitera, e tutti i Cardinali con Piviali ricchissimi, e Vescovi Cardinali con le Mitere del damaschino, e Vescovi di Boccaccino bianco, e la Croce innanzi al modo Pontificale, e co' Soddiaconi Apostolici secondo la consuetudine, e la Corte di Roma parata secondo la loro degnità. Era in quel tempo in Firenze una bellissima Corte di Prelati, e d'Imbasciadori d'ogni luogo; in modo, che andando il Pontefice, e tutta la Corte di Roma sopra quel Palchetto, e tutti i Popoli a piè, ch'erono un concorso di tutti i Popoli d'intorno, e discosto de' sudditi de' Fiorentini. Venuti in Santa Maria del Fiore il Pontefice con tutta la Corte, la Chiesa era ornatissima, e piena d'ornamenti, e di panni, e d'altre cose usitate ad una simile Solennità. Era fatto l'Altare dignissimo, tutto coperto di tappeti, dove stava el Collegio de' Cardinali, e Prelati, el Papa in una sedia coperta tutta di damaschino bianco a oro . . . ., & eravi intorno panche, dove stavano i Cardinali. Era la sedia del Pa-

A pa dal lato, dove si dice il Vangelo, dall'altro lato stavano i Cantori. Intorno al Papa era il Collegio de Cardinali, e dall'altra mano Vescovi, & Arcivescovi, e Prelati, e gl'Ambasciadori ritti presso al Papa secondo le loro degnità. Cantò la mattina il Papa la Messa Pontificale secondo la loro consuetudine. Fu questa delle degne cerimonie fusse fatta già è lungo tempo. Consacrò S. Marco di Firenze, dove intervenne tutta la Corte di Roma, nel medesimo tempo.

Stato Papa Eugenio per alquanto tempo in Firenze, si partì, & andonne a Bologna, e stato a Bologna n'andò a Ferrara. Essendo stata gran tempo la disunione della Chiesa Romana con la Greca, pensò Papa Eugenio volergli far passare in Italia alle sue B spese, a fine che s'unissono colla Chiesa Romana. Passò lo 'Mperadore di Gostantinopoli, & il Patriarca, e tutti i Prelati degni aveva quella Nazione, vennono a Ferrara tutti alle spese del Papa grandissimo numero. Cominciando il morbo a Ferrara, il Papa se ne venne a Firenze, e quivi apparecchiò i luoghi pe' Greci, & ordinò la provvisione loro mese per mese. Venuti in Firenze per cosiglio di molti singulari Uomini erono in Corte di Roma, si fece in Santa Maria Novella un bellissimo apparato di panche, e luoghi da sedere, e chiamoronlo il Concilio C de Greci, e perchè in Basilea s'era fatto un Concilio contro a Papa Eugenio, e di principio ebbe grandissimo favore, e furonvi e' Cardinali, e di tutte le Nazioni del Mondo Ambasciadori, ma comincioronsi a partire tutti i Cardinali v'erono, e massime S. Agnolo, ch'era Presidente del Concilio, e per questo cominciò a declinare. Fatto questo Concilio de' Greci in Firenze per consiglio di degnissimi Cardinali erano in Corte, e massime di Piacenza Uomo di grandissima autorità, ferono citare quello di Basilea a quello de Greci. Indegnati feciono tra loro un Papa di poca autorità, e questo fu Papa Felice Duca di Savoja, che più tempo innanzi avea lasciato lo D stato, & erasi dato a vita Eremitica. Fattolo Papa non ebbe ubbidienza di luogo gnuno, se non dello stato suo. Ma non passò molto tempo, che fu contento rinunziare al Papato, e rimanere Cardinale, e Legato solamente in quello Stato. Aveva il Concilio in poco tempo ridottosi a nulla col mezzo di questo Concilio de' Greci. Vennono in questo tempo Jacopiti, & Etiopi, e dal Presto-Giovanni mandati al Pontefice Romano, e a tutti faceva il Papa le spese. Fece venire Papa Eugenio tutti li dotti Uomini erano in Italia, e fuori d'Italia, e avendone la Sua Santità in Corte assai, venivano ogni dì presente il Pontefice, e tutta la Corte di Roma a disputare queste E differenze, ch'erono tra una Chiesa, e l'altra, che era la principale, e di più importanza, che volevano, che lo Spirito Santo procedesse dal Padre, e non dal Figliolo, e la Chiesa Romana vuole, ch'e' proceda dall'uno, e dall'altro. In fine i Greci consentirono alla Chiesa Romana. Era in questo tempo in Corte di Roma, come abbiamo detto in altro luogo, Niccolò Secondino da Negroponte interprete tra Greci, e Latini, ch'era cosa mirabile a vedere di transferire dall'una lingua nell'altra, di Greco in Latino quando i Greci parlavano, e di Latino in Greco. Dipoi più lunghe disputazioni cederono i Greci

a' La-

suorum gratiâ, ut linguæ Latinæ ignaris prodesset, patrio sermone annum ante trigesimum ætatis suæ etruscos libros primum, secundum, ac tertium de Familia, quos Romæ die nonagesimo, quàm inchoarat, absolvit, sed inelimatos, & asperos, neque usquequaque etruscos; Patriam enim linguam apud exteras nationes per diutinum familiæ Albertorum exilium educatus non tenebat, & durum erat hac in lingua scribere eleganter, atque nitide, in qua tum primum scribere non assueverat. Sed brevi tempore multo suo studio, multa industria id assecutus extitit, ut sui cives, qui in Senatu se dici eloquentes cuperent, non paucissima ex illius scriptis ad exornandam orationem suam ornamenta in dies suscepisse faterentur. Scripsit & præter hos annum ante trigesimum plerasque intercænales, illas præsertim jocosas, Viduam, Defunctum, & istis simillimas, ex quibus quòd non sibi satis mature editæ viderentur, etsi festivissimæ forent, & multos risus excitarent, tamen plures mandavit igni, ne obtrectatoribus suis relinqueret, unde se levitatis forte subarguerent. Vituperatoribus rerum, quas conscriberet, modo coram sententiam suam depromerent, gratias agebat, in eamque id partem accipiebat, ut se fieri elimatiorem emendatorum admonitus vehementer congratularetur: De re tamen ita sentiebat, omnibus facile persuasum iri posse, ut sua plurimum scriptio probaretur, quæ, si forte minus, quàm cuperet, delectet, non tamen se inculpandum esse, quandoquidem sibi secus, quàm ceteris auctoribus non licuerit; cuique enim ajebat ab ipsa natura vetitum esse meliora facere sua, quàm possit facere. Demum sat est putandum, si quid pro viribus, & ingenio muneri satisfecerit. Mores autem suos iterum atque iterum perquam diligentissime cavebat, ne a quoquam possent ulla ex parte ne suspetione quidem vituperari, & calumniatores pessimum in vita hominum malum versari ajebat. Illos enim didicisse per jocum & voluptatem non minus, quàm per indignationem & iracundiam famam bonorum sauciare, & posse nullis remediis cicatricem illati eorum perfidiâ ulceris aboleri. Itaque voluit omni in vita, omni gestu, omni sermone & esse, & videri dignus bonorum benevolentia, & cum ceteris in rebus, tum maxime tribus omnem dicebat artem consumendam. Sed arti addendam artem, ne quid illic factum arte videatur, dum per urbem obambularis, dum equo vehêris, dum loquaris; in his enim omni ex parte circumspiciendum, ut nullis non vehementer placeas. Multorum tamen, etsi esset facilis, mitis, ac nulli nocuus, sensit iniquissimorum odia, occultasque inimicitias sibi incommodas, atque nimiùm graves, ac præsertim a suis affinibus acerbissimas injurias, intolerabilesque contumelias pertulit animo constanti. Vixit cum invidis & malivolentissimis tanta modestia, & æquanimitate, ut obtrectatorum, æmulorumque nemo tametsi erga se iratior, apud bonos & graves de se quidpiam, nisi plenum laudis, & admirationis auderet proloqui. Coram etiam ab ipsis invidis honorifice accipiebatur. Ubi vero aures alicujus levissimi, ac sui simillimi paterent, hi maxime, qui præ ceteris diligere simulassent, omnibus calumniis absentem lacerabant. Tam ægre ferebant virtute & laudibus ab eo superari, quem fortuna sibi longe esse inferiorem ipsi omni studio, & industria laborassent. Quin & fuere ex necessariis (ut cetera omittam) qui illius humanitatem, beneficentiam, liberalitatemque experti, intestinum, & nefarium in scelus ingratissimi, & crudelissimi conjurarint, servorum audacia in eum excitata, ut vim ferro barbari immeritissimo inferrent. Injurias istiusmodi ab suis illatas ferebat æquo animo per taciturnitatem magis, quàm aut indignatione ad vindictam penderet, aut suorum dedecus, & ignominim iri promulgatum fineret. Suorum enim laudi, & nomini plus satis indulgebat, & quem semel dilexerat, nullis poterat injuriis vinci, ut odisse inciperet, sed improbos ajebat maleficiis in bonos inferendis facile superiores futuros: Nam satius quidem apud bonos putari sentiebat injuriam perpeti, quàm facere. Idcirco nolentibus lædere contra eos, qui lacessire parati sint, contentionem esse non æquam. Itaque protervorum impetum pacientia frangebat, & se ab calamitate, quoad posset, solo virtutis cultu vendicabat. Bonis & studiosis viris fuit commendatus, Principibusque non paucis acceptissimus. Sed quòd omne ambitionis, assentationisque genus detestaretur, minus multis placuit, quàm placuisset, si pluribus sese familiarem fecisset. Inter Principes tamen Italos interque Reges exteros non defuere uni atque item alteri testes, & præcones virtutis suæ, quorum tamen gratiâ ad nullas vindictas, cùm novis in dies injuriis irritaretur, & plane ulcisci posset, abusus est. Præterea cùm tempora incidissent, ut his, a quibus graviter esset læsus, privata sua fortuna valeret pulcre pro meritis referre, beneficio & omni humanitate maluit, quàm vindicta efficere, ut scelestos pœniteret talem a se virum fuisse læsum. Cùm libros de Familia primum, secundum, atque tertium suis legendos tradidisset, ægre tulit, eos inter omnes Albertos alioquin ociosissimos vix unum repertum fore, qui titulos librorum perlegere dignatus sit, cùm libri ipsi ab exteris etiam nationibus peterentur, neque potuit non stomachari, cùm ex suis aliquos intueretur, qui totum illud opus palam, & unà auctoris ineptissimum institutum irriderent. Eam ob contumeliam decreverat, ni Principes aliqui interpellassent, tres eos, quos tum absolverat, libros igni perdere. Vicit tamen indignationem officio, & post annos tres, quàm primos ediderat, quartum librum ingratis protulit. *Hinc si probi estis*, inquiens, *me amabitis: sin tandem improbi, vestra vobis improbitas erit odio*. Illis libris illecti plerique rudes concives studiosissimi literarum effecti sunt. Eos, ceterosque omnes cupidos literarum fratrum loco deputabat. Illis quæque haberet, quæque nosset, quæque posset ultro communicavit. Suas inventiones dignas, & grandes exercentibus condonavit. Cùm appulisse doctum quemvis audisset, illico sese in illius familiaritatem insinuabat, & a quocumque quæque ignorasset, ediscebat. A fabris, ab architectis, a naviculariis, ab ipsis sutoribus, & sartoribus sciscitabatur, si quid nam forte rarum sua in arte & reconditum quasi peculiare servarent. Eadem illico suis civibus volentibus communicabat. Ignarum se multis in rebus simulabat, quo alterius ingenium, mores, peritiamque scrutaretur. Itaque rerum, quæ ad ingenium, artesque pertinerent, scrutator fuit assiduus. Pecuniarum, & quæstus idem fuit

fuit omnino spretor. Pecunias, bonaque sua amicis custodienda, & usu fruenda dabat. Tum apud hos, a quibus se diligi conjectaret, fuit eum rerum suarum, atque institutorum, tum & secretorum prope futilis. Aliena secreta nusquam prodidit, sed æternùm obmutuit. Literas perfidi cujusdam, quibus impurissimum ipsum inimicum pessime posset afficere, noluit prodere, sed interea dum se nequissimus ille convitiator literarum auctor mordere non desineret, nihilo plus commotus est, quàm ut subridens diceret: *Enimvero an tu homo bone num & scribere literas meministi?* Sed molestissimum quemdam calumniatorem conversus arridens. *Facile*, inquit, *patiar, te, quoad voles, metiendo ostendere, qualis quisque nostrum sit. Tu istiusmodi prædicando efficis, ut te isti parum esse modestum sentiant, magis quàm me tua isthac præsenti ignominia vituperes. Ego tuas istas ineptias ridendo efficio, ut mecum plus nihil assequaris, quàm ut cùm frustratus a me discesseris, tum te tui pigeat*. Ac fuerat quidem natura ad iracundiam facili, & animo acri: sed illico surgentem indignationem reprimebat consilio, atque ex industria verbosos, & pervicaces interdum fugiebat, quòd non posset apud eos ad iram non subcalescere. Interdum ultro se protervis, quo patientiæ assuesceret, efferebat. Familiares arcessebat, quibus cum de literis, & doctrina suos habebat perpetuos sermones, illisque exscribentibus dictabat opuscula, & una eorum effigies pingebat, aut fingebat cera. Apud Venetias vultus amicorum, qui Florentiæ adessent, expressit annum, mensesque integros, postquam eos viderat. Solitus erat rogare puerulos, eam ne imaginem, quam pingeret, nossent, & negabat ex arte pictum dici, quod non illico a pueris usque nosceretur. Suos vultus, propriumque simulacrum emulatus, ut ex picta fictaque effigie ignotis ad se appellentibus fieret notior. Scripsit libellos de pictura, tum & opera ex ipsa arte pingendi effecit inaudita, & spectatoribus incredibilia, quæ quidem parva in capsa conclusa pusillum per foramen ostenderet. Vidisses illic montes maximos, vastasque provincias, sinum immanem maris ambientis, tum e conspectu longe sepositas regiones usque adeo remotissimas, ut visenti acies deficeret. Has res demonstrationes appellabat, & erant ejusmodi, ut periti, imperitique non pictas sed veras ipsas res naturæ intueri decertarent. Demonstrationum erant duo genera; unum quod diurnum, alterum quod nocturnum nuncuparet. Nocturnis demonstrationibus vides Arturum, Plejades, Oriona & istiusmodi signa micantia, illucescitque excelso a rupium & verrucarum vertice surgens luna, ardentque antilucana sidera. Diurnis in demonstrationibus splendet passim, lateque irradiat immensum terrarum orbem is, qui post irigeniam, uti ait Homerus, auroram fulget. Quosdam Græcorum proceres, quibus mare foret percognitum, in sui admirationem pellexit. Nam cùm illis Mundi hanc fictam molem per pusillum, ut dixi, foramen ostenderet, ac rogaret, & quid nam vidissent: *Eja*, inquiunt illi, *classem navium in mediis undis intuemur. Eam ante meridiem apud nos habebimus, ni istic, qui ad Orientem Solem nimbus, atque atrox tempestas properat, offenderit. Tum & Mare inborruisse intuemur, periculique signa sunt, quod a Sole nimium*

A *acres Mare adversum jactat radios*. Hujusmodi rebus investigandis operæ plus adhibuit, quàm promulgandis; nam plus ingenio, quam gloriæ inserviebat. Numquam vacabat animo a meditatione, & commentatione. Raro se domi ex publico recipiebat non aliquid commentatus tum & inter cœnas commentando. Hinc fiebat, ut esset admodum taciturnus, & solitarius, aspectuque subtristis, sed moribus minime difficilis, quin inter familiares, etiam cùm de rebus seriis disputaret, semper sese exhibebat jocundum, & servata dignitate festivum. Fuerunt qui ejus dicta & seria, & ridicula complurima colligerent, quæ quidem ille ex tempore, atque e B vestigio celerius ediderit ferme, quàm præmeditarit. Ex multis pauca exempli gratia referemus. De quodam, qui diutius inter disserendum ostentandæ memoriæ gratiâ nimium multa nullo cum ordine esset prolocutus, cùm rogaretur qualis sibi disputator esset visus, respondit: eam sibi peram libris laceris, & dissolutis refertam videri. Domum vetustam, obscuram, & male ædificatam, in qua divertisset, tritavam atque idcirco nobilissimam ædium appellabat, siquidem cæca & incurva esset. Peregrino roganti, qua nam foret via eundum sibi eò versus, ubi jus redderetur: *non equidem, mi hospes*, inquit C novi. Tum concives, qui aderant *ne vero non id novisti* inquiunt *prætorium? Non equidem*, inquit, *jus ipsum istic habitasse, o cives, memineram*. Roganti ambitioso, purpura ne decenter uteretur: *pulchre* inquit, *ea modo pectus tegat*. Otiosum quemdam garrulum scurram increpans: *eja*, inquit, *ut apte carioso in trunco evigilans considet rana!* Cùm familiarem admoneret, ut a maledici consuetudine sese abdicaret, carbones dicebat non recipiendos sinu; cùmque sibi contra a Mathematico improperaretur quod bilinguem, & versipellem hospitem detinuisset: *num tu*, inquit, *nosti, nisi in puncto æquam superficiem attingat globus*. Levitatem & inconstantiam a natura esse datam mulieribus di- D cebat in remedium earum perfidiæ, & nequitiæ. Quod si perseveraret mulier suis in inceptis fore, ut omnes bonas hominum res suis flagitiis funditus perderet. Amicum paulo clariorem & concitatiorem animis quàm optasset offendens; *heus tu*, inquit, *cave, ne ad currendum currendo ruas*. Dicebat invidiam cœcam esse pestem, & omnium insidiosissimam; eam enim per aures, per oculos, per nares, per os, denique ipsas etiam per unguiculas ad animum ingredi, & cæcis flammis inurere, ut etiam qui se sanos putent, isthac ipsa peste contabescant. Aurum dicebat laboris animam, laborem ipsum voluptatis servum esse. Ceteris in rebus mediocritatem approbabat. Unam excipiebat pa- E cientiam, quam aut nimis servandam, aut nihil suscipiendam statuebat, ajebatque persæpius graviora ob pacientiam tollerari, quàm ob vehementem acrimoniam tulissemus. Ut morbos, sic & protervorum audaciam ajebat interdum non aliter, quàm periculosis curandi rationibus posse tolli. Sat eum dicebat hominem sapere, qui saperet, quæ saperet, satisque posse, qui posset, satisque habere ipsum hunc, qui quæ haberet, eadem haberet. In Jurisconsultum perfidum, qui altero humero depresso, altero sublato deformis incederet. *Æqua*, inquit, *istic nimirum iniqua sunt, ubi*

Digitized by Google

lances in libra non æque pendeant. Dicebat omnem splendorem vim habere igneam. Non idcirco mirandum, si nimium splendidi cives de se in animis hominum invidiam succenderent. Tuta ab hostium injuriis civitate cùm facinorosorum concivium haberi cœpta esset ratio: *non ne*, inquit, *istuc fit percommode, ut imbre sedato tecta resarciantur*. Rogatus *qui nam* essent hominum pessimi, respondit, *qui se optimos videri velint, cùm mali sint*. Iterum rogatus, *quis nam* esset civium optimus, respondit, *qui nulla in re mentiri instituerit*. Ajebat nihil esse tam proprium, in stumve, atque innatum mulieribus, quàm ut eas rerum omnium, quæ egerint, dixerintve, illico pœniteat. Latum anulum affluenti fortunæ simillimum sibi videri prædicabat, qui quidem ni alligata stuppa arctior reddatur, perfacile e digito decidat. Rogatus quid esset maximum rerum omnium apud mortales, respondit, Spes. Quid minimum, inquit quod inter hominem est, atque cadas ad rerum omnium suavissimum amari, liberale, tempus. Paupertatem in vita hominum ajebat ejusmodi esse, ac si viâ salebrosâ nudis tibi sit pedibus eundum. Nam usu callus superinducitur, eoque fit, ut minus in dies tibi reddatur aspera. De cive insolentissimo, & omnium importuno cùm audisset missum in exilium, *numquid non prædixeram*, inquit, *homini huic qui quidem sublato merito assiduo nebularum olfatu delectabatur, cavendum ne quid offenderet, quo sibi illico pede esset ruendum*? Fortunatos assimilabat his, qui sitienti in flumine navigarent. Namque ni levigato navigio contibus laborent, hæreant. In concivem quendam maleficium, cùm ad Magistratum se vocatum congratularetur, *memento*, inquit, *olim te iterum futurum privatum, aut in Magistratu emoriturum*. Petierat a quodam, qui sese in republica administranda principem gloriaretur, plures ne essent ii qui scalas ædium publicarum conscenderent, quàm qui descenderent; cùmque ille respondisset: parem ferme utrinque sibi videri numerum, iteratò quæsivit, pluresne essent, qui per fenestras ingrederentur, quàm qui egrederentur. Rebus puerilibus, & levissimis plurimam operam perdentem dixit hunc annos Nestoris multo superaturum. Rogatus quid ita: *quoniam*, inquit, *quadragenarium puerum intueor*. Præsentibus utendum, ut præsentibus, doctas amicorum aures, Scriptorum limam dictitabat: obtrectatores fallaces, ambiguos, & omnes denique mendaces, ut sacrilegos, & capitales fures ajebat esse plectendos, qui veritatem, judiciumque religiosissimas, ac multo rarissimas res e medio involent. Cùm iniquos affines multis beneficiis, & omni officio sæpius sibi reconciliasset, solitus erat dicere: meminisse quidem se, forum putridum nodo non teneri. Ditissimi, & fortunatissimi cujusdam ædes procul fugiendas admonebat; nam solere quidem ajebat, ubi nimium oppleta sint vasa, omnia effundere. Cùm intueretur levissimos & ambitiosos aliquos, qui se philosophari profiterentur, per urbem vagari, & se oculis multitudinis ostentare, *eccum nostros caprificos* ajebat, *qui quidem infructuosissimam, & superbam isthanc solitudinem adamarint, quæ publica sit*. Petitus arbiter ad dirimendam litem nonnullos inter pervicaces, & importunos, munus id suscipere recusavit, atque amicis rogantibus,

A quid ita præter officium, & pristinam suam facilitatem ageret: lyram, inquit, fractam, & penitus discordem ad pueros fore, atque ad stultos rejiciendam. De cive rursus: Facile mortales reddi locupletes ajebat, si ea, quæ paupertas cogat, sponte exequantur, atque profligari quidem paupertatem cedendo. Ambitiosi domum spectans, *turgida*, inquit, *domus hæc suum propediem efflabit herum*, ut evenit quidem. Nam ob alienum æs ipsarum ædium fortunatissimus dominus in exilium secessit. Cuidam prodigo, & insolenti, qui se dictis morderet, cùm satis obticuisset: *non tecum* inquit, *o beate, contendam, quem respublica suo sit hospitio acceptura*. Horum B verborum mordax ille, cùm carceribus detentus diem obiret, meminit Ferrariensibus ante eam, qua per Nicolai Ostensis tiranni tempora maxima juventutis pars ejus urbis deleta est, *o amici*, inquit, *quàm lubrica erunt proximam per ætatem pavimenta hæc, quando sub his tectis multæ impluent guttæ*. Etenim prædicendis rebus futuris prudentiam doctrinæ, & ingenium artibus divinationum conjungebat. Extant ejus epistolæ ad Paulum physicum, in quibus futuros casus patriæ annos integros ante præscripserat, tum & Pontificum fortunas, quæ ad annum usque duodecimum essent affuturæ prædixerat, multarumque reliquarum urbium, & Principum motus ab illo C fuisse enunciatos amici, & familiares sui memoriæ prodiderunt. Habebat pectore grajum quo benevolentias & odia hominum ergi se præsentiret. Ex solo intuitu plurima cujusque præsentis vitia ediscebat. Omnibus argumentis, maximoque opere, sed frustra elaboravit aliquos erga se mansuetiores reddere, quos futuros infensos ex ipso aspectu sensisset. Eorum tamen inimicitias quasi fatalem quandam necessitatem mediocriter ferebat, in omnique contentione moderatius sibi fore contendendum indicebat, quàm fortassis licuisset, præterquam in reddenda mutui beneficii gratia. Vix poterat perpeti præ se quemquam superiorem videri benevolentia, seclusa ambitio- D ne, a qua tam longe abfuit, ut etiam, quas ipse gesserit, res dignas memoratu suis eas majoribus in libris de Familia adscripserit. Tum & suis in opusculis aliorum titulos apposuit & integra opera amicorum famæ elargitus extitit. Doloris etiam, & frigoris, & æstus fuit patiens. Cùm accepisset grave in pedem vulnus annos natus non integros quindecim, & a medico disductæ pedis partes pro more & arte consuerentur, & ducta per cutem acu adnodarentur, emisit gemitum pœnitus nullum. Propriis etiam in tanto dolore manibus curanti medico subministravit, vulnusque ipsum tractavit febribus flagrans, & ob laterum dolores frigidas totis temporibus E undas desudans accitis musicis horas ferme duas vim mali, & doloris molestiam canendo superare innitebatur. Caput habebat a natura frigoris, auræque penitus impatientissimum. Id effecit ferendo, & sensim per æstatem perducta consuetudine, ut bruma, & quovis perflante vento nullis capite vestibus operto obequitaret. Allea, atque imprimis mel naturæ quodam vitio fastidiebat, adeo ut solo intuitu, si quando casu ea sibi fuissent oblata, bilis a stomaco sibi excitaretur. Vicit sese ipsum usu spectandi, tractandique ingrata, quo adeo pervenit, ut minus offenderent, & exemplum præbuit, posse homines de se omnia,

ut

Digitized by Google

ut velint. Animi gratia e domo in publicum exiens cùm artifices omnes assiduos in tabernis versari ad opus intueretur, quasi gravissimo aliquo a censore commonefactus sæpe domum confestim repetebat, *& nos quoque pro suscepto officio*, inquiens, *exercebimur*. Vere novo cùm rura & colles efflorescentes intueretur, arbustaque, & plantas omnes maximam præ se fructuum spem ferre animadverteret, vehementer tristis animus reddebatur, hisque sese castigabat dictis: *Nunc te quoque, o Baptista tuis de studiis quidpiam fructuum generi hominum polliceri oportet*. Cùm autem agros messibus graves, & in arboribus vim pomorum per autumnum pendere conspicaretur, ita afficiebatur mœrore, ut sint, qui illum viderint præ animi dolore interdum collacrymasse, ejusque immurmurantis verba exaudierint, *en Leo, ut undique testes, atque accusatores nostræ inertiæ circumstant! Et quid nam uspiam est, quod integro in anno multam de se mortalibus utilitatem non attulerit? At tu & quidnam habes, quod in medium tuo pro officio abs te perfectum efferas?* Præcipuam & singularem voluptatem capiebat spectandis rebus, in quibus aliquod esset specimen formæ, ac decus. Senes præditos dignitate aspectus, & integros, atque valentes, iterum atque iterum demirabatur, delitiasque naturæ sese venerari prædicabat. Quadrupedes, aves, ceterasque animantes forma præstantes dicebat dignas benevolentia, quòd egregiis essent ab ipsa natura dignatæ gratia. Lepidissimo cani suo defuncto funebrem scripsit orationem. Quicquid ingenio esset hominum cum quadam effectum elegantia, id prope divinum ducebat, tantique cujusvis, & in quavis re expositam melustoram faciebat, ut etiam malos scriptores dignos laude asseveraret. Gemmis, floribus, ac locis præsertim amœnis visendis nonnumquam ab ægritudine in bonam valetudinem rediit. Ore porrecto, & subafflicto quidam incedebat: *huic*, inquit, *sua olet barba*. In insolentem, & irridentem: *Eus tu*, inquit, *ut solent quidem apte flere, qui rideant inepte!* In eam, qui sua prolixa gloriaretur barba; *sordes*, inquit, *pectoris perquam belle subintegit*. Ex verbosi ore teter flatus in ejus os effundebatur. Ille se finxit casu starnutaturum, atque *& quidnam causæ est*, inquit, *quòd Solem starnutabundi aspicimus?* risere amici, & disputatione hac jocosa verbosi historiam interrupere. Roganti levissimo cuidam, quid ita simulacrum finxisset ore aperto, *ut cantet*, inquit, *ubi ipse saltaveris*. Cùm laudaretur quidam, quòd diligens animadversor esset, & scriptorum errores pro quoque severe colligeret: *Nunc*, inquit, *hunc video, unde sit erroribus refertissimus*. Elluonem conspicatus, qui quidem esset ad egestatem redactus; *non*, inquit, *hos physici movere homines ex crapula famescere*. Tumidum quendam, & plane morosum despectans dixit: bonum hunc sibi videri musicum, qui quidem ex vestigii complexione excitatam armoniam parvis auribus gradiendo capesceret. Cuidam procaciori, cui esset pollicitus numos, cùm aureos rogaret, undecim connumeratis numis, *alium* inquit *si addidero, solidum dedero, quid numos promisi*. In quendam pinguem, qui esset multo ære alieno astrictus, *sic* inquit, *& saccus quidem isthoc pacto fieret turgidus multa capiens, & nihil reddens*. In invidum, & maledicum *at enim*, inquit, *horrendum canit noctua*. Cuidam, qui suæ superbiam uxoris detestaretur, *neque irasci*, inquit, *nosti, neque irridere*. In familiarem inertem, & somniculosum rogantem, quid ita esset, quod suis ædibus hirundines non nidificarent; *minime* inquit, *mirum: nam istic algent homines*. Ex gibbosi cujusdam delatoris dorso ad se proficiscenti talpam jam tum surgentem affuturam dixit. Quosdam ex magistratibus improbos a porta propere exeuntes conspicatus: *bene*, inquit, *sese res habet, quando quidem isti effugiant*. Macie confectum hominem quemdam salutans, *salve* inquit *sal*. Importuno, & plurima petenti; *o* inquit *mi homo quantam attulisti negandi facultatem!* Facere ajebat Bononiæ . . ., quòd esset illa quidem pinguis civitas, sed insulsa. In eum, qui esset claudus; *poplitem is*, inquit, *perquam belle scalpit!* . . . .

Usque huc Codex MS.

Digitized by Google

LEONIS BAPTISTAE
A L B E R T I
C O M M E N T A R I U S
DE CONJURATIONE PORCARIA,
EX MANUSCRIPTO CODICE
ABBATIS LAURENTII MEHUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

LEONIS BAPTISTÆ ALBERTI

DE PORCARIA CONJURATIONE.

ETsi ad vos, quæ per hos dies hìc apud nos gesta sunt, rumoribus esse delata non dubitem: tamen quod in tantis rebus fit, cupere te arbitror a nobis amicis ea discere, quæ ab incertis auctoribus perlata vix credibilia esse ob facinoris immanitatem videbantur. Faciam, quod amicum decet; tuis enim ultro desideriis satisfaciam. Qua in re illud conferet, quòd inter pericula constituti historiam, uti gesta sit, melius quàm qui istic audiere, teneamus. Facinus profectò, quo a vetere hominum memoria in hanc usque diem neque periculo horribilius, neque audacia detestabilius, neque crudelitate tetrius a quoquam perditissimo uspiam excogitatum sit. Stephanus Porcarius eques Romanus homo animi utinam tam moderati, quàm erat ingenio præditus docili, & lingua ad dicendum paratus, per eos dies, quibus Eugenii Pontificis Maximi funus celebrabatur, suos ad concives pro concione orationem habere instituit, non minus vehementem, quàm turbulentam. Quoad enim in se fuit, hortari aggressus est, ut captis armis, veteris Reipublicæ, & nominis, & libertatis meminissent. Nolo dicere prope futurum fuisse, ut studia multorum concitarentur, ni ab Lelio Vallejo Jurisconsulto viro frugi, & gravi interpellatus destitisset. Commovere cœpta hæc Pontificis animum Nicolai, qui tum primùm post Eugenium Pontificatum inierat, admonebaturque ab his, quorum consiliis uteretur, Urbem quietam non futuram, ni paratus seditionum auctor abigeretur. Sed Pontifex cùm per ipsa Pontificatus initia instituisset, quàm posset, plurimos sibi omnis conditionis homines conciliare omni, qua posset, beneficentia & facilitate, hunc alioquin honestum, & præsertim Romanum civem beneficio devinciendum, atque a turbidis consiliis ad spem honesti otii revocandum statuit mansuetudine. Idcirco in Hernicos misit pro-Prætore, habitusque in Magistratu est summa cum dignitate. Cùm vero ex Magistratu rediisset, quod videre licuit, non posita animi pristina protervia, sed aucta ambitione iteratò se turbulentissimum exhibuit. Nam per eum quidem diem, quo pro vetere consuetudine ludi agonales celebrabantur, orta inter nonnullos adolescentulos rixa, & studiis partium pluculis circumtumultuantibus prælio affuit Porcarius vultu, gestu, manu, verbis, clamore omnia temptans, quibus insanum vulgus ad odium eorum, qui rebus præessent, incenderet, atque ad arma concitaret. Tantam hominis audaciam, atque cupiditatem rerum novarum veritus Nicolaus, suis rebus maturè consulendum censuit. Tamen ne quid pro suscepto instituto aggrederetur, quod non piissimi, & misericordis esset, non extinguendam duxit hominis temeritatem, sed paulo coërcendam. Ea re hominem relegavit Bononiam, quove

A & relegati, & suorum desideria leniret, si
forte hic ulla rerum inopia excitaretur, aut
hi absentis misericordia moverentur, mandarat Magistratibus Bononiensibus, ne quid homini deesse paterentur, quod ad victum faceret. In ceteris observarent, quid ageret,
quid conaretur. Homo impatiens sui, quæ
olim per concionem apud cives inchoasset,
nova cum temporum suorum ratione conjungens deberi ab se fortunæ suæ, & animi generositati putabat, ut quocumque daretur pacto, vel etiam interitu, sin aliter nequiret,
libertatem redimeret. At in eo instituto egregiè pertinere arbitrabatur vel ad vitæ jocunditatem, vel ad gloriam posteritatis, si maxi-
B ma & incredibili aliqua spe proposita caput
periculo objectasset. Quos idcirco visum est,
complices adjungit, nepotemque inprimis adolescentem, cupidum, atque ad ferrum perpromptum præmittit Romam, ut meritoriam
militiam simulans cogat armorum vim, &
consceleratorum manum, devinciatque, quàm
possit, multos multa spe rerum agendarum.
Paratis rebus, constituta die sese furtim proripuit, atque ex Bononia nocte quarta applicuit Romam, divertitque domum. Convocantur illico, quibus placere sua consilia noverat. Repentè completa domo confluentium
multitudine excogitatam, diesque multos elaboratam orationem pronuntiat tanta & sui fi-
C ducia, & auditorum approbatione, ut nihil
ad rem perficiundam, nisi constitutum deesse
tempus omnes affirmarent. Cœpit enim veterem Urbis gloriam deperditam deplorare, &
temporum injurias detestari, quæ, si quid
priscæ gravitatis, & virtutis in quoquam esset, non finerent sine gravi periculo in lucem
prodire. Neque se omnino tamen pœnitere
sui, quin satis de se patriæ, civibusque suis
præstitisset, quo intelligerent unum se esse,
qui suorum decus concupisceret, neque dubitare quidem, se omnes eos, qui adessent,
quos esse viros fortes meminisset, digna fortibus optasse persæpe, atque cogitasse, sed
aliis occasionem defuisse, aliis alia impedimen-
D to fuisse, cur privatis rebus magis quàm publicæ intenti essent. Nunc pro certo habere
intellectis, quæ parentur, rebus fore neminem, neque ex his, qui adsunt, neque ex
his, ad quos præclarissima sua consilia perventura sint, modò se aut Romanos cives,
aut saltem homines meminerint, quin de tota
causa eadem sentiat, idem sibi expedire, atque necesse esse affirmet, quod brevibus monstraturus sit. Opus esse animo parato non ad
discendum modo, quæ facto opus sint (ea
enim jam tum quisque pro sua prudentia, &
malis urgentibus novisse potuisse) sed de ea
exequenda, quæ necessaria, utiliaque sint, &
cum æterna laudis, & gloriæ celebritate con-
E juncta. Cùmque paululum tacitus maximi doloris inditia vultu, gestu, & suspirio dedisset,
porrecta manu circumspectans rogavit, an

esset in tanto præstantissimorum, & optime meritorum civium numero quispiam, cui suarum rerum, aut patriæ status ulla ex parte placeret. Esset-ne quispiam, qui communes miserias posset sine lachrymis recensere. Egestatem, servitutem, contumelias, injurias, & ejusmodi jam tum peculiare malum, & tollerabile factum esse assuetudine, & pro censu habendum, modò inter suas ærumnas in patria liceret degere. Sed novum genus crudelitatis ab his, qui se piissimos dici velint, repertum esse, cives esse non licere: proscribi, relegari, necari insontes, totam Italiam refertam esse proscriptorum multitudine, Urbem civibus factam vacuam, nullos videri per Urbem, nisi barbaros, ad flagitium ascribi, qui amantissimum patriæ profiteri se ausus sit. Subinde acriter invectus in eos, qui rebus præessent, cuncta colligens, quæ ad vituperationem, & criminationem pertinerent, auxit invidiam, atque indignationem, quum sordidissimos, & ignobilissimos plerosque omnes, qui se veluti Deos venerari velint, nimia opum affluentia insanire multis modis ostenderent, cùm cives ipsi meliori fortuna digni precario viverent. Sed intolerabilis conditionis istius culpam non plectendam in aliis, quàm in se, si demum id malum sua ignavia diutius paterentur. Oportere quidem olim meminisse, quid possit virtus: quanta sit non servum esse. Quoniam istiusmodi rebus, quæ imprimis desiderentur, abunde omnia suppeditent, nihil relictum, quod amplius ad negocium exequendum desiderari possit. Habere intra Urbem in armis conductos milites CCC., adesse proscriptorum manum fortissimam quadringentorum, accedere & strenuos hosce, qui convenerint, affutura & aliunde subsidia. Ad ea quæ agantur, multo paucioribus esse opus, quàm sint, qui coram adsint. Superos favere, populum congratulaturum, Orbem Terrarum admiraturum virtutem, nullam posteritatem suas laudes obliteraturam. Hostes contra superis, atque hominibus invisos inter se dissidere, inermes, ociosos, luxu perditos, incautos. Nihil reliquum esse, præterquam ut victoriæ fructum colligant. Decertationem, quæ in hac habenda fuerat, satis esse peractam strenuè rebus bene consultis, & ea ipsa, quam in hanc usque diem habuissent, patientia. Consilio enim perfectum esse, ut etiam si repugnent hostes, superentur patientia, aut desidiosus, & nullo labore conficiendus reddatur. Inter jam partam victoriam, quæ in manu sit, & laborum præmia diem nunc plus unam interesse. Sustineant sua gaudia, atque se ad cumulatissimas divitias capescendas parent. Decies centena milia nummorum aureorum noctem proximam allaturam. Moveri tamen se magis patriæ pietate, quàm opibus: magis pendere ad civium suorum decus, & felicitatem, quàm ad ulla, quæ sese attingant, commoda. Sui quemque consilii tamen futurum, quo pacto utatur victoria, quando se factos omnium dominos visuri sint. Hortari, ut patriæ, & nomini, & bene cœptis consiliis, atque communibus rebus animi virtute, atque mutuo consensu obsecundent. Hæc Porcarius. Cognitis apud Pontificem per indicem, quæ agerentur, visum est noctem ipsam dissimulare, quòd intelligeret multos occultandi facinoris spe concursuros ad scelus noctu, si quid turbarum concivissent, qui in luce quiesce-

A rent. Proxima idcirco die missis armatis expugnatur Porcarii domus. Ex complicibus conjuratorum aliqui capti. Solus Porcarii nepos factâ per medios hostes viâ ferro sese eripuit: ipsum Porcarium per eum insultum latitantem non invenere. Nocte proxima inclusus a sorore scrinio repertus est. Ex capto quæque discenda videbantur, didicere. Pœnas sumpsere suspendio. Quæ instituerat, hæc sunt. Per Epiphaniam solemni die, cùm Pontifex, & Collegia, atque Prætor, & minores Pontifices Sacrum pro more facerent in Basilica, ex complicibus, cui negotium mandarat, fenisiceis & stramentariis ad Pontificia stabula Basilicæ finitima injecturus erat ignem, hac B spe, ut expediti ad opem præstandam relicto sacrificio accurrerent. Interea proditurus erat Porcarius dormitoria & cella conscii æditui proxima Basilicæ, qua noctu cum armatis delituisset. Purpura, & auro distincta veste amictus cum paucis ad speciem, uti ad sacrificium venisset, futurum non dubitabat, quin apparitores ignari, quid ita redisset, illico nullâ morâ intromisissent. Uticumque res foret successura, armati, & bipennes e vestigio affuissent. Convolassent & qui signum ex variis insidiarum locis præstolarentur. Refractis cancellis primo impetu Pontificem revinctum non sine cæde eorum, quos gravius odissent, decreverant ad arcem adducere, & unà fra- C trem ejus, qui arci præesset, ut his supplicibus cogerent arcem dedere. Arce occupata futurum fuisse confidebat, ut summa cum alacritate populo fautore uteretur. Interea dum hæc ad Basilicam, & arcem agerentur, alii complices sese Præfectos vigilum esse, & captivos maleficos ducere in carcerem simulantes Capitolium, cujus intra septum carcer est, custodiis vacuum liberrimè inissent, ac sine periculo occupassent. Postremum erat, ut prædam, atque cædem passim facerent tota Urbe, ac decreverat quidem omnem Pontificiam turbam funditus extinguere. Velle enim aiebat se id agere, ut æternùm intra hæc mœnia capitis rasi dentes vereri non oporteret. D Qui rem honestant, Templum non polluere, sed pro foribus Basilicæ ad sacrificium euntem prehendere decrevisse prædicant. Tandem quidem compertæ sunt catenæ, quibus Pontificem Maximum erat allaqueaturus. Prædam sic annumerabant. Ex Pontificis domo, & rebus ducenta millia. Ex Collegio CC. Ex mercatoribus, atque his, qui officiis præsunt, CC. ex publicis horreis salinarum, atque ex inimicorum civium fortunis centena millia. Moriturus, ohe tribus, inquit, diurnis horis me superastis. Nos victoria in noctis vestibulo properans expectabat. Itaque hujusmodi fuere pericula, quæ imminerent. Nos alii, veluti qui a tempestatibus maris ad E incertos scopulos rejecti periculi terrore, & indignationis nausea confecti nunc mare, nunc rupem spectamus, &, quod ajunt, perturbatum animum semper errare, cùm alter alterum semper offendimus, uno aspectu, & salutatione per omnes mentis motus distrahimur. Congratulamur, dolemus, rursus sumus in metu. Conflictus quidem est inter nos verborum, & sententiarum. Sic oportuit, sic instituerant, sic futurum fuisset, sic fore statuo, ad eamque, quam quisque tuendam suadendi rationem susceperit, non vera modò, aut verisimilia, sed etiam, uticumque illa sint, possibilia, atque impossibilia argumentis

tra-

Digitized by Google

trahunt. Nihil est, quod aliis de rebus posse quispiam aut loqui, aut cogitare videatur. Denique unà omnes condolemus communem sortem mihi, superi, præ misericordia interdum lachrymas movent exterarum nationum homines nobilissimi; & ornatissimi Galli, Hispani, Germani, dum sic loquuntur: O nos miseros! siccine patriam, parentes, & dulces necessitudines, & cara omnia relinquimus? siccine Pontificem sequimur, ut præda consceleratissimorum latronum simus? ut crudelitati, atque furori immanissimorum objiciamur? En priscos Camillos, & Coruncanos, qui præter se quoscunque intueantur, barbaros, & cistiferos prædicant. En cultam moribus, & ornatam vitæ degendæ rationibus gentem missam Cœlo ad Orbis imperium bonis artibus moderandum. Quid facerent in sævissimos hostes? Quid perturbatis rebus, ac perditis? Quid in ultima inopia, & rerum omnium desperatione? Toto in Latio pacatæ sunt res, & quidvis potius expectabamus, quàm in alicujus Romani animum posse incidere, ut rebus novis se meliorem assecuturum fortunam arbitraretur. Ager cultus, Urbs facta aurea proximo Jubileo, civium dignitas aucta, uti quisque postulandum a Pontifice duxerat. Nullæ exactiones, nulla nova vectigalia, summa justitia, maxima ornandæ Urbis cura. Quid malum hoc est nimia felicitas? homines non insanire modò bonorum copia, verum etiam in furorem verti. Proh superi, immeritos hospites! qui ex ultima, ut sic loquar, Thule aurum, qui prœmia laborum omnium totius vitæ huc conferant, erogent, profundant, qui id agant, ut suis fortunis ociosi, & inertes, uti sunt plerique omnes Romani cives, lautè, splendidèque degant. Nulla injuria accepta, nulla re alia offensi, præter unum id, quod ægrè ferant ad ventitios præ se cultiores videri. Tot hominum millia horæ momento nudare bonis, trucidare ac pœnitus perdere instituisse? Templum cæde profanare, aram cruore funestare, Collegia, Sacerdotia, Religionem funditus pervertere instituisse? Pontificem, cui maximi omnes Reges pedem exosculari dignentur, sacrificantem abripere, trahere, trudere in catenas, atque necem instituisse? Ultra Sauromatas nimirum fugiendum est. Linquendum crudele cœlum, & lares avari. Hæc illi. Non alii, qui ætatem hìc duximus, qui laudi Urbis afficimur, civiumque loco amore in Urbem sumus, atque gerimus, rem, non uti illi, perturbato animo, sed ratione pensamus, & pro nostro officio admonemus, desistant paucorum culpâ totam Urbem in odium adducere. Adesse enim graves, & integros complures viros prisca dignos Roma. Neminem dari non pessimum, quin tranquillitatis, & otii sit cupidus. Inter ceteras Urbes Italas hanc non in postremis studiis bonarum rerum esse ditissimam, præter paucos hosce malè consultos, qui pœnam luerint stultitiæ. Ceteros omnes ejusmodi esse, ut ad eos & dolor, & periculum perturbationum multo pertineat magis, quàm ad nos. Urbem & dignitate, & veneratione sua nobis incolis ornamento esse. Nihil incidisse, cur alibi apud Romanum Pontificem versari commodius sit, quàm Romæ, qua in Urbe vel ad religionem, vel ad usum vitæ, vel ad voluptates omnia suppeditent. Accedere solertissimi Principis sapientiam, incredibilemque solertiam, & Collegii perspicaciam, quorum consiliis tutissimi futuri sumus. Futuros & Superis diutinis omnium supplicationibus, uti hactenus fuerimus, cordi, & commendatos. Tamen cùm ista ita esse viri maturi omnes & loquantur, & credant, fit nihilominus, ut alia ex aliis repetentes, qui cautiores videri velint, sic interea statuant iterum atque iterum consulendum. Namque norunt quidem populares turbines faciliùs excitari, quàm sedari, & numquam non esse populos ad motum paratos, si adsit quem sequantur. Ex his, qui tantum facinus inchoarint, vix sex qui pœnas luerint, deesse. Ceteros, qui supersint si qui sunt, qui esse & multi & varii dicuntur, pristinas, quibus movebantur, cupiditates non posuisse, sed adjecisse capitis tuendi sui curam ob vitæ discrimen, in quo versari deputant se offensa Principis majestate. Tum & illud vertit in mentem, raros forte inveniri, qui in istiusmodi facinoribus se auctores primarios præbere velint. Qui autem secundo esse quærant loco post primos periculi aggressores, inveniri quidem multos. Amoto idcirco primario, videre hos videntur, qui erant secundi, factos primos. Me quidem cùm istos audio, neque non movent, quas adducunt, adducique possunt rationes, neque vehementer assentior. Video sanè, quo stent loco res Italiæ. Intelligo qui sint, quibus hìc perturbata esse omnia conducat. Memini tempora Eugenii. Audivi Bonifacium, & legi complurimorum Pontificum adversos casus. Non ignoro primum, uti ajunt, inter porcos, qui grunnitum sustulerint, hunc futurum principem omnium ad motum. Sed alia ex parte versatur ante oculos Pontificis majestas. Numquam ferme inventum ab veterum memoria, ut qui Pontifex arma odisset, in arma incideret. Hunc pacis esse studiorum, in Principes plus satis facilem, ut extrinsecos impulsores non multum verear, & perinde intestina quidem malorum contagia non multum momenti habitura censeam. Tamen quid de tota re statuam, quid de me consilii capiam, nondum constat, præter id, ut ex temporum eventu consilia in diem capturus pendeam &c.

F A L S.

Digitized by Google

HISTORIA
OBSIDIONIS
PLUMBINI

PERACTÆ ANNO CHRISTI MCCCCXLVIII.

METRICÈ CONSCRIPTA

A F. ANTONIO DE AUGUSTINIS

SAMMINIATENSI

AUCTORE SYNCHRONO

Nunc primùm in lucem producta

EX MANUSCRIPTO CODICE

ABBATIS LAURENTII MEHUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ISTORIA
DELL' ASSEDIO
DI PIOMBINO
Del 1448.

Questa è una gentile, maravigliosa, e pietosa Opera dell'Assedio, che quel Tiranno Raonese, che non merita essere chiamato Re, puose a Piombino nel' 1448. circa di mesi 4., dove in fine vituperato si fuggì, come lo scritto dimostra: Ma le crudeltà, che prima fece, non si potrebbon dire. Poi il Signor visse nel 1450. e morì, e la Donna sopravisse; e quanto fusse il danno della morte di quel Signore, il pianto il dimostrò. Iddio gli abbia fatto verace perdono. Il Componitore di questa Opera è notato nel fine.

POgnan, che fra Mondan corri la gloria
Di quel, che al Mondo fu di quella degno,
E degna cosa n'è farne memoria,

Acciochè luminoso, e chiaro segno
Micante si conosca da coloro,
A qua' fortuna ancor non porge ingegno:

E s'io ben non ornassi il mio lavoro,
I' pur darò principio a quel, che dura,
Per farlo eterno, se non sia sonoro:

E qual mi fia concesso da Natura
Tale ornerò nel mio povero senso
In questi initii questa mia Scrittura.

Ma prima ch'io cominci, fra me penso
Ricorre a coloro, a cui le laude
Si debbon dar con onorato Censo. (a)

E voi, che questa mia Opra vedrete,
Non chieggio laude, ma per cui io scrivo
Sentendo l'imperchè la lauderete,

O nitente splendor più ch'altro Divo,
O lume agli altri di fama, e di senno,
Ch'hai fatto Marte di Deità privo.

Io so, che di vertute un picciol cenno
Di te qui narrerò, che a dire il tutto
Bisognere' più forte quel, che è menno;

Ma prima, che le guancie orni di lutto
Divid rò del tuo onor le parti
El salvamento tuo qual fu condutto.

Chi nette leggerà le scritte carti
Potrà gustar del bellicoso stile
Quant' è buono apparar da chi sa l'arti,

O isfrenata vita giovenile
Volgiti a me, ch'io ti darò tal luce,
Ch'el tempo spenderai com'uom senile

A E spezialmente di chi d'altri è duce
Che pigli esemplo da questo Signore,
Che adombra ogn'altro, che al Mondo riluce;

E per esser di lui ampliatore
In parti sei quest'Opera divido,
Ove vedrassi allegrezza, e dolore.

La prima sentirete a fin del nido
Pervenisse alle man di quel Tiranno
Quanto mostrò, che'l Sir fusse fido,

E con quali arti, e con che bello inganno
Cercò d'aver la sua visitazione
Come per vincer molti e molti fanno.

B E non avendo la sua intenzione
Com'e' cercò d'evacuar la Terra
Per far di fame morir le Persone.

Nella seconda udirete la Guerra,
Che fe' colle sue Genti in monte, e'n piano,
E colle Navi in Mar, come'l dir serra.

Nella terza udir te qual l'umano
Signor parlamentò a' Terrazzani,
E la risposta del Popol sovrano,

La quarta sentirete i Capitani
Con che bell'arte fecero i ripari,
Per modo ottennan contro a Catelani.

C Nella quinta udirete i pianti amari,
E come morte volse nel suo tondo
Quel, che nel secol mai non avrà pari.

La sesta sentirete come'l pondo
Dell'alta Signoria regge la Donna
Con eccellente stil, magno, e giocondo,
E quasi pari a lei si trova al Mondo.

(a) Prosequitur Poëta, Gentilium more, falsos Deos invocare, quæ carmina utpote prorsus inutilia, hic edere prætermittimus.

COMIN-

COMINCIA L'OPERA.

CAPITOLO PRIMO DELLA PRIMA PARTE,

Dove si tratta per quanti varj modi il Re cercò d'ingannare il Signore.

Correvon gli anni mille quattrocento,
Quarantasette allora che Maria
Avie' concetto il Parto senza stento

Poco calore allora Febo avia
Perchè l'umido Cancer acquidoso
Mostrava al Mondo sua filosomia

Quando quel gran Reale invidioso
Si riposava nel (*sic*) baratto Porto
Nemico dell'altrui dolce riposo.

E nuovo inganno in lui Toscan fu orto,
E fra se pensa come far potesse
Al Sir Rinaldo sua requie, e conforto;

E come industria mostra, che mettesse
Credendo avere sua visitazione,
Sperando, ch'all'andar quel rimanesse

E degno Ambasciadore a lui mandone,
Dicendo, che offeresse quanta possa
Poteva lui col Real Gonfalone

Onde al precetto l'Orator fe' mossa,
Caro Fratel del prefato Signore
Generato da un lor carne, & ossa.

Giunto che fu, non potre' dir l'onore
E l'accoglienze dolci da lor fatte,
Qual far convienfi nel fraterno amore

Avendo prima mille volte tratte
Ciascun le mani, ed osculato il viso,
Ornar le teste delle veste tratte

E poi con lieto, e festereccio viso,
Disse: mandato la Regal Magiesta
Ha fatta d'una laccia un bell'avviso,

E ordina di far gioconda festa,
E caro are', che la sua Signoria
Venisse a visitar sua degna Testa

E poi l'offerte grandi gli facia,
Offerendo del Re tutto'l potere,
Non sapendo di lui sua voglia ria:

A cui 'l Signore, assai are' piacere
Di satisfare a quel Re glorioso,
Che m..l comanda e ragione, e dovere;

Ma per alcun mio caso scrupoloso
Farà mie' sensa alla Real Corona,
Ch'a visitarlo m'è'l tempo nojoso

Ma se dentro al mio cerchio altra persona
Ci è che gli gusti, assai mi sarà grato
Di servir quello, e così gli sermona.

E poi ch'ebbon alquanto ragionato
Con soavi parole organizando,
A degno tempo si preson commiato.

A Inverso la grand'Oste cavalcando
Ne va l'Ambasciadore, e giunse a quello,
Che l'uno, e l'altro sperava aspettando.

Io non ti saprei dir quando all'Ostello
Del Real Padiglion giunse il Tornante,
Qual fosse il parlar loro o buono, o fello;

Ma se tu mi dicessi, che pesante
Dolor credi, ch'avesse, chi sperava
Esser del bel Piombin Signoreggiante;

Ma nuovo ingegno allor si generava.
E terminò per più astuto modo,
Che gli riesca quanto disiava,

B E dopo molti giorni pose in sodo
Di rimandar novella Ambasceria,
Acciò ch'al cappio riuscisse il nodo.

Ponete orecchie, perchè senza via
Credette al fonte tor l'usato senno,
E posseder quel, che'l Signor tenia.

O vita de' mortal, che picciol cenno
E'l viver vostro, che se voi 'l pensassi,
Vedresti ch'a mal far molti mal fenno.

Chi di giustizia rompe i giusti passi,
Convien, che la giustizia lo condanni,
E spesso i sommi Seggi visti ho bassi.

C O Mitridate dopo molti affanni
Che desti a Roma, considera al fine
Se tu gustasti ogni tua colpa, e danni.

Voi che credesti le virtù divine
Con vostre posse . . . . qual Regno
Che guadagnasti dite per confine?

Or ritorniamo omai al Real segno,
Ch'avendo eletto nuovo Ambasciadore
Gli dette a sua credenza giusto pegno:

Tu n'anderai all'esimio Signore,
E dilli quanto a me sarebbe caro
Esser vicino al suo alto valore;

D Che per respetto del tempo contraro
Gli piaccia darmi alla Terra ricetto,
Ch'altro non veggo all'aspettar riparo:

E sopra alla mia testa gli prometto
Di fargli tanta buona compagnia,
Che buon per lui vedrà Real conspetto:

All'ultima parola si partia
Dall'alta Maestà, e pel cammino
Il degno Ambasciador si messe in via.

Tanto, che giunse dove il Sire Orsino
Si riposava colle sue brigate
Nella suprema terra di Piombino.

E E fattoli a sapere, che ambasciate
Aveva a referire a sua persona,
Qual'eran degne d'essere ascoltate.

E giunto disse: la Real Corona
Mi manda a te come colui, che spera
Tù porti amore a Casa di Ragona,

Et

Et ha speranza fin che Primavera
Ritorni al Mondo, far sua dimoranza
Presso alla fonte di tua santa spera,

E che tua Signoria gli ceda stanza
Dentro al tuo cerchio, acciocchè fugga i venti,
Ch' anno a sua mansion troppa possanza.

Al qual Rinaldo Orsin con argomenti
Magnanimi rispose, e quel che disse
Dell' alta Maestà gl' intendimenti:

Dirai a quel, ch' a me per via ti misse,
Che tre cose son quelle, che fan ch'io
Non satisfò a quanto ti commisse:

Se con sua Gente dentro al nido mio
Venisse quello, chi mi rende certo,
Che non dicesse poi: Signor son' io?

Non si vede egli quando egl' è aperto
L'Arca, spesse fiate pecca il giusto,
Or non si lasci il certo per l'incerto:

Sotto cotale inganno fu combusto
Il superbo Ilion, che giace in terra,
Per metter dentro lo Caval robusto.

La seconda è che, dentro di mia Terra
Con poca non verre', che non è degno,
E troppa temo non mi fesse guerra.

Ma pongasi da parte e ira, e sdegno,
E pogniamo, che a quel ceda l'entrata,
Qual modo tengo a venerar suo segno?

Dunque cotal risposta gli arai data,
E di ch' al buon voler mi vinse amore,
E parcami per Dio questa fiata.

Però ch' un tal qual è più che Signore,
Non veggio modo, dandoli ricetto,
Che la cosa passasse con mio onore.

Udito questo, l'Orator perfetto
Prese licenza con parlare umano,
Ritornò onde il cammino è più retto:

E giunto avanti al gran Re Catelano,
Li spuose l'Imbasciata di Rinaldo,
Qual aspettava il fatto a salva mano.

I nollo vidi; ma stimo, che saldo
Non si posasse mai il Ragonese,
E che d'ira, e superbia fosse caldo.

Dipoi pensò d'assediare il Paese
Del buon Signore, e trasse vittuaglia,
Qual è a lungo assedio ottimo arnese.

E così dirizzò la sua Canaglia
Verso Piombino, per vacuar quel sito,
Credendo vincer quel sanza battaglia.

Parvegli per tal via vinto il partito,
E benchè molta traesse del loco,
Ancor di molta più n'era fornito:

Ma se tutto narrassi, i fare' fioco
Prima che al fin venissi d'esta Storia,
E mancheriemi legne a sì gran foco:

Ma chiarita mi pare ogni memoria
Della sagacità, che usò questo,
Per aver di Piombin l'alta vittoria.

A Nell'altra parte mi sia manifesto
L'avvenimento del crudel Assedio,
Quanto fu grave, vizioso, e molesto,
E con quant' ordin si pose rimedio.

CAPITOLO PRIMO DELLA SECONDA PARTE,

etsi nihil inquam mihi antiquius tua gratia esse possit, tamen ad egregia tua facinora breviter enarranda sola animi mei gratitudo me vel compulit, vel adduxit. Fateorque ex illis tribus Scriptorum generibus, quos modo attigi, eos me potissimùm fuisse secutum, quos ratio, virtus, probitas, non divitiæ, non facultates, non copiæ, non honores ad te collaudandum attraxisse videantur. Nec verò si eorum instituti æmulum me fuisse confirmo, idcircò tenuitate ingenii mei eorum vel sapientiæ, vel eloquentiæ, qui ut ceteris in rebus, sic fortasse, vel rerum usu, vel ætate præcellunt, comparandum esse duxerim. Etenim laudibus illos tuis potiùs impares fore contenderim, quæ priscam illam Sapientiam eloquentiæ conjunctam maximè desiderant, quàm me, qui nec ingenio, nec usu, nec doctrina fretus, sed studio quodam incensus, ac raptus, ad hoc munus accesserim, parem me, aut idoneum affirmarim. Quod enim flumen orationis? quæ tanta vis ingenii? quæ facultas? non dicam iis nostris temporibus, quibus dicendi studia non illa quidem perfecta, & consummata, sed vix intellecta, & inchoata modo sunt: sed priscis illis hominibus, ac studiis, quæ absolutam hanc dicendi facultatem in multis cognoverunt: Quis inquam tanta exercitatione, ac doctrina præditus, atque institutus Orator inveniri possit, qui non dicam ornare, atque expolire, sed percensere, & enumerare tuas res præclarissimè gestas facilè possit? Quarum tanta magnitudo, tanta copia, & innumerabilis multitudo est, ut non unius diei spatio, sed multorum mensium continenti recitatione, ac lectione vix percurri, & enarrari posse videantur. Quare non suscipiam, Princeps Illustrissime, ut rerum tuarum seriem, ordinemque describam. Erunt multi, qui varietatem rerum, temeritatemque, fortunæ varios casus, & eventus animadvertentes tuos, majora quædam animo concipiant, historiamque conficiant. Mihi satis est, meumque institutum eò pertinet, ut breviter quod modo dixi, recognoscendis rebus tuis, quod privatim ac publicè debeo meritis in me, Civitatemque meam tuis, quæ tibi salutem, ac dignitatem suam bis acceptam refert, ac prædicat, aliqua ex parte tibi persolvam. In quo illud præ tua sapientia, ac rerum usu considerabis, nonquam ad dicendum eloquentiam afferam, quippe qui illud studium mihi non arrogem, & aliud vitæ genus, & institutum sequar; sed quo animo, quo studio ad hanc rem potissimùm accesserim.

Alii si parem rebus tuis copiam dicendi non reddiderint, quod ego non modo difficile, sed omnino fieri non posse contenderim, aut illos temeritatis redarguere debebis, aut cum bona gratia, ut bonos illos quidem Viros, sed parum prudentes, & consideratos pro tua humanitate, ac facilitate dimittere debebis. Me verò nisi tantùm animi, tantum studii in rerum tuarum admiratione, & commendatione collocaverim, quantum qui unquam tui studiosissimi tibique deditissimi posuerunt, non recuso, quo minus me ut ineptum, stultumque rejicias, & explodas. An ego qui in ea Urbe susceptus, altus, educatus sim, quam tu ex incendio, & interitu bis vindicasti, & in pristinam libertatem restituisti, quam sub illo inclyto, & justissimo Imperio Venetorum beatissimi felicissimique omnium populorum continentèr post ejectos Tyrannos retinuimus, atque servavimus, cuique in commemorandis, & concelebrandis rebus tuis studio, voluntate, animo concedere debeam? Tum verò me omnium ingratissimum, injustissimumque confitear.

Sed antequam res tuas attingam, id quod res postulat, quodque tibi gratissimum fore non dubito, non committam, ut vel originis tuæ, atque Majorum tuorum principia repetam (non enim, ut paulo ante commemoravi, historiam texere decrevi) vel præclarissimi Principis, & fortissimi Imperatoris parentis tui memoriam, quam te sanctissime colere certò scio, oblivione quadam videar præteriisse. Quis est enim, non dicam nostræ Gentis, sed barbarus, & externus, cui sapientissimi Viri, & invictissimi Imperatoris Patris tui Sfortiæ nomen incognitum sit, qui maximis rebus ab se fortissimè gestis non solum hanc nostram Italiam illustravit, verùm etiam universum Terrarum Orbem fama nominis sui, & splendore complevit? Quod quidem nemini mirum videri debet; tantum enim in illo Imperatore ingenii, tantum animi, tantum consilii, tanta rei militaris scientia, atque usus omnibus in rebus, vel excogitandis, vel obeundis fuit, ut non tantum cum ætatis suæ Imperatoribus, sed cum omni antiquitate meritò conferri possit. Nam ut omittam, quibus laboribus, qua patientia, qua vel industria, vel virtute primò eques factus sit, deinde ordines duxerit ad extremum Imperator, & tanti Regni vel Gubernator, vel Administrator evaserit: Ut hæc inquam omittam (non enim propositum est, res gestas Patris tui inpræsentiarum collaudare, quæ separatum quoddam tempus, & longiorem orationem desiderant) Quis adeò rerum omnium ignarus est, qui innumerabiles illius victorias, tot trophæa, tantas res triumphis dignissimas nesciat? Quæ cùm per se maxima sint, tum illustriora etiam facit acerrimi, & audacissimi, ac prudentissimi hostis virtus, animus, consilium, prudentia. Quæ tamen sic ab illo superata sunt, ita retusa, atque confracta, ut semper victus superatusque omnibus locis illi cesserit.

Quotiens enim callidissimi hostis insidiis, ac dolis prudentia sua obstitit? quotiens illius impetus animis, ac virtute repressit? quotiens elusit? decepit? evertit? ut cum singulis omnibus de Brachii versutia, & calliditate opinio esset: plus tamen in clarissimo Patre tuo, vel animi, vel prudentiæ ab omnibus haberetur. Nam & illius consilia præripiebat: & si quid ille vel celeritate, vel dolis, quibus homo versutus palàm nitebatur, surripuerat; hic vera virtute, & aperto marte detrahebat! Ille insidiis, hic fortiter factis gloriam consequebatur. Nihil enim, quod me a pluribus accepisse commemini, Patre tuo apertiùs, nihil animosius unquam fuit. Quæ omnia quibus in Locis, Urbibus, Regionibus, summa cum virtute, ac fide gesserit, atque administraverit, libenter hoc loco commemorarem, si Parentis tui divinas laudes, & præclara facinora illustranda suscepissem, quibus cùm oratio mea par nullo modo esse possit, & ut modo dixi aliud tempus desiderent, non suscipiam hoc loco, ut qua fide, qua prudentia, qua æquitate regnum illud tenuerit, rexerit, conservaverit, in medium proponam; tanta enim in illo Imperatore laude, & admiratione digna extiterunt, ut nulla vis dicendi, nullum ingenium, nulla facultas tanta in quoquam reperiri possit, ut illa verbis, & oratione expolire,

Digitized by Google

re, & pro dignitate consequi valeat. Dabit igitur inpræsentiarum mihi veniam Parentis tui virtus, & dignitas, ut ad res tuas breviter explicandas, & quodammodo percurrendas me referam. In quo illud abs te deprecor, ut si quid in dicendo, vel præterierim, vel minus pro dignitate dixerim, si minus re ipsa, voluntate, atque animo tuis laudibus satisfactum fuisse existimes. Etenim si summi Viri parentis tui præcipua facta, & divinas virtutes nemo quamvis magnus Orator satis enarrare, & illustrare possit: Quid mihi in te accidere necesse est? qui rebus tuis gestis non tu quidem illas obscurasti, sed innumerabilium rerum magnitudine splendorem, ac lumen attulisti, ut etiam, si obscurissima fuissent, quæ certè fuerunt illustrissima, e tenebris in lucem eduxisse potueris. Unde igitur principium sumemus? ab ineunte ætate scilicet, & a primis ut Græci dicunt unguiculis: cujus quidem ætatis recordatio eo tibi suavior esse debet, quo tantæ laudis, ac virtutis fundamenta abs te jacta sunt.

Non enim ut plerique solent eam ætatem inertia, ac desidia, ludis, atque otio traduxisti; sed ut per ætatem potuisti statim equitare, jaculari, sagittare, cetera militaria munera obire didicisti. In quo cum parentis tui singulari prudentia, & pietas laudari debet, tum verò egregia ingenii tui indoles, & probitas admirabilis primo omnibus elucere occepit. Nam quæ ceteri longo usu, & exercitatione vix strenuè, atque aptè efficere possunt, ea tu prima illa ætate facilè, & commodissimè judicio omnium, & admiratione efficiebas. Nemo te meliùs equitare, nemo fortiùs jaculari, nemo artificiosiùs sagittare, nemo denique ullo in militandi munere par esse omnino inveniebatur.

Quibus rebus tantum roboris, tantum virium, tantum agilitatis, tantum celeritatis adeptus es, ut ad subeundos omnes labores incredibilem corporis firmitatem assecutus videreris, ut qui te milites intuerentur, non solum te paternæ disciplinæ alumnum dicerent, sed illius robur, ac ceteras corporis virtutes in te facilè recognoscerent. Quis igitur miretur, prima illa tua ætate, summo studio, ac diligentia Patris ita constituta, imbuta, firmata: (non enim quamquam corpus exercebas, non tamen una simul animum quoque literis erudiebas), quis inquam admiratione ulla duci possit, si quantum prima ætate puerilibus studiis, atque exercitationibus ceteris præstitisti, reliquis quoque ætatibus, ac vitæ partibus virtute, prudentia, modestia, magnitudine animi ceteros omnes superasti? Hac igitur disciplina, atque hujusmodi studiis cum rudimenta pueritiæ posuisses, nec ut plerique solent delitiis, aut voluptatibus, non somno, aut otio pueriles annos perdidisses, jam laborum, vigiliarum, inediæ, sitis, caloris, frigoris non solùm per ætatem, sed usu, & industria patientissimus effectus, tantum consecutus es, ut & milites patris commilitones tui admirarentur, & summus Imperator maximam spem, quam de te puero conceperat, in dies majorem, atque ampliorem susciperet. Itaque si quid majoris negotii, aut laboris, aut gravioris periculi suscipiendum foret, huic muneri te potissimùm ex omnibus præficiendum censebat: qua in re nunquam illum de te fefellit opinio. Nam non minus prudentiæ, atque consilii in re suscipienda, quam audaciæ, atque animi in exequendo, ac resistendo semper animadvertit.

Quamobrem aut superato fortiter hoste victor cum summa laude, aut conservatis militibus, atque integris copiis, cùm aut virtute hostibus restitisse, aut insidiis te subripuisses, non minorem prudentiæ, quàm fortitudinis laudem reportans in Castra redibas, ut quam ætate ceteri usum militiæ Ducibus suis parendo consequi solent: eo tu tempore alios duceres, atque ita duceres, ut nihil offensionis acciperes; nunquam verò ut exercitatissimus Imperator non victoriam reportares. Non minus igitur in te spei prudentissimus Imperator pater tuus, quàm quondam Carthaginensium Dux Amilcar in Annibale posuisset, jure optimo collocaverat. Prospiciebat enim quantum splendorem, quantum decus, quantum lumen tanta illa indoles, ac virtus tibi, ac posteris suis allatura esset. Quocirca omnes illius curæ, cogitationes in te positæ erant, te unum admirabatur, te solum cogitabat, de te cum optimè ac prudentissimè judicaret, maximum, & amplissimum fieri studebat. Quod quidem parentis tui judicium, voluntas, studium, milites cùm luce clarius animadverterent, atque ipsi non aliter sentirent, sed animis, ac studiis in sententiam patris omnes unanimes conspirarent: illo etiam vivente, omnium judicio, & prærogativa imperium ad te delatum videbatur, ut si quis casus accidisset, qui multi humanitus accidere consueverunt, ut patrem tuum desiderarent, te Ducem assererent, tuo ductu, & auspiciis regerentur.

Quo quid tibi aut honorificentius, aut illustrius contingere potuit? Non enim judicio solum Imperatoris, quod C. Mario apud Numantiam sub Æmiliano Scipione equestria stipendia merenti contigisse, memoriæ proditum est; sed commilitonum quoque sententia, ac judicio tibi cum tua summa laude tributum est. Nam in cœna cum milites quispiam de Scipione quæsisset, si quid ei in Hispania adversi obvenisset, quemnam potissimùm tanto bello, ac tantis rebus præfecturi essent: Protenso digito in C. Marium, qui supra eum fortè discumberet, hunc inquit præficiendum censeo. Ex illo tantus in te militum amor, tantum studium, is cultus, ea observantia, vel tua singulari humanitate, comitate, liberalitate, vel tali de te parentis tui judicio omnium in te extitit, ut amisso fortissimo Imperatore patre tuo, te unum etiam adolescentem (nondum enim quod recordari facilè potes vigesimum secundum annum natus eras) maximo totius exercitus consensu Imperatorem appellaverunt. Hactenus, Illustrissime Princeps, quæ de disciplina, & institutione puerili, quæ de indole, & incrementis adolescentiæ tuæ, quæ de rebus, & exercitationibus etiam vivo patre, quæ denique de illius judicio, studio, de militum animis, ac favore in te singulari pro meo instituto a me breviter percursa sunt, ejusmodi fuerunt, ut cùm paucis a me commemorata sint, satis tamen pro dignitate laudari non potuerint. Quæ verò sequuntur, ac restant, cùm tot, ac tanta sint, ut ne cogitatione quidem, ac memoria comprehendi possint, ne dum oratione, ac verbis satis explicari, dabis mihi in hanc veniam, humanissime Princeps, ut si summas, & quasi capita, atque apices rerum tuarum tantummodo attigero, non parum a me dictum fuisse, existimes; superiora enim imaginem quamdam virtutis, ani-

A animi, prudentiæ tuæ præsferre videri potuerunt. Ut enim pueritiæ spes, adolescentiæ indoles, & exercitatio commendari solet, sic grandioris ætatis virtus jam integra, perfecta, consummata jure optimo laudari, & in Cœlum tolli debet. Jam quæ sub patre tuo fortissimo Viro, & Clarissimo Imperatore gessisti, quamquam magna, & præclara extiterunt, tamen expers earum laudum, ac virtutum pater esse nullo modo potest. Hæc quæ mox a nobis pro multitudine, ac magnitudine rerum breviter perstringentur, tua propria sunt, nullam sibi ex iis partem pater vindicat, nonnullam miles, fortuna prorsus in harum laudum commercium, ac societatem non admittitur,
B cujus tu vim, & contumelias adeò contempsisti, ac retudisti, ut cùm illa te semper oppugnaverit, semper infesta opprimere conata sit, magis res tuas, ingenium, virtutem, consilium, magnanimitatem illustraverit; nullum enim factum tuum, nullum incœptum reperietur, in quo non singulare prudentiæ tuæ cum ipsius temeritate fortunæ certamen appareat; nullum, in quo non illa victa, ac pulsa facilè cesserit. Sed alioquin tuas proprias laudes verissima, ac certissima decora attingere incipiamus. Quæ vis dicendi, quæ facultas, quod ingenium tantum reperiri queat, quod non dicam verbis extollere, atque oratione illustrare, sed dignè commemorare pos-
C sit præclarum illud, ac singulare facinus, in quo primùm eximia tua virtus, & præstans magnitudo animi enitescere, ac primùm se ostentare cœpit? Obsidebat ea tempestate maximam, atque clarissimam Urbem Aquilam Brachius acerrimus hostis non solùm parentis tui, sed Ecclesiastici Nominis infestissimus inimicus, & everso, ac funditus deleto Ecclesiæ Imperio, occasionem nactus acerbissimo casu parentis tui Regnum illud Apuliæ antiquissimum, & opulentissimum spe, atque animo invaserat, non dubitans, si ejus Urbis potiretur, brevì fore, ut universum Regnum in potestatem suam redigeretur. Quod ne accideret Martinus Papa V. maximis coactis co-
D piis ad opem obsessis ferendam complures Duces misit. In iis quingentorum Equitum auxilio tu quoque cum accessisses, non dicam, quo animo primus omnium ex arduo, ac præcipiti Monte in campum descenderis, cùm permulti essent, qui periculum summæ rei subeundum non censerent. Non dicam commisso prœlio cùm diu, ac multum æquo marte acerrimè pugnatum esset, cum impetu hostium, sæpius ad ipsas Montis radices rejecti, invicem hostes ad ipsum flumen rejecissetis; non dicam inquam quàm unus, præter ceteros, in eo prœlio excellueris, quot pugnas edideris, quot equo dejeceris, percusseris, fauciaveris. Illud certè omnium consensu tibi tributum est, nisi tu ho-
E stium acies a latere aggressus loco movisses, futurum ut hostes eo die victoriam cum summa omnium cæde consequerentur. Ita tua virtute pulsis hostibus, capto Imperatore, non solùm Clarissimi Patris tui mortem ultus es, sed liberata amplissima Bruttiorum Urbe, & ex crudelissimi hostis faucibus erepta, & Regnum illud turpissima servitute vindicasti, & Ecclesiam in pristinum suum imperium, ac dignitatem restituisti. Quis hanc tantam, & tam præclaram victoriam satis concelebrare possit? Quæ quidem tantum valuit, ut Ecclesiasticum

A illud, & Sacerdotale imperium funditus eversum acerbissimi hostis interitu, ac cæde restitutum sit; atque ita restitutum, ut nunquam ullis temporibus memoria certè nostra, nec amplius, nec majus, nec firmius, nec diuturnius fuisse videatur.

Erant publicæ viæ latrociniis obsessæ, armis itinera interclusa, ad Urbem non modo alienigenis, ac barbaris adire, sed ne hominibus quidem nostris aspirare licebat. Sublatus erat ex animis hominum omnis cultus, & religio brevì futurum videbatur, ut non modo pietas omnis, & cœremoniarum nostrarum observatio, ac majestas penitus tolleretur, sed celeberrima, atque olim potentissima totius
B Orbis Civitas, & domicilium Imperii, nunc Religionum omnium caput, quæ quidem castè, piè, verèque colerentur, omnino desereretur. Quanta igitur ejus victoriæ vis, & opportunitas fuit, quæ & diis immortalibus honorem suum, Italiæ majestatem, Urbi frequentiam, & imperium restituit, ac reddidit?

Quæ si tua singulari virtute, armis, audacia, opera, labore, consilio parta est; quodnam laudandi genus huic tuo facto tam insigni, tam forti, tam pio, ac penè divino satis dignum excogitari unquam poterit? Quod si quis tam impudens forsitan reperiatur (latè enim patet hoc vitium, & labore alieno partam victoriam sibi assignant) si quis inquam
C tanta levitate reperiatur, qui gloriæ tuæ invidens, eam laudem sibi vendicet, ea certè tibi post illa tempora contigerunt, quæ & tibi victoriam illam afferant, & illos mendacii, atque impudentiæ facilè convincant, atque redarguant. Nam Dux ille (*) maximus quidem totius Italiæ Princeps, quem multis jam Seculis quisquam nec consilio, nec rerum gestarum gloria superavit, rem militarem jacentem, & penitus obliteratam magnitudine animi, ac disciplina excitavit, & in lucem reduxit; qui accepto a Patre Imperii nomine amissum, & ablatum suorum perfidia, & improbitate Regnum non tam fortuna, ac prosperitate, quàm consilio, ac virtute reparavit; qui
D non solùm Italiam fama nominis sui, ac terrore complevit, sed exteras Nationes, ac Reges studio, favore ad se amandum, ac favendum mirabili quodam artificio pellexit, atque attraxit: cujus nescio an magis fortunam admirer, an ingenium, ac virtutem collaudem: Is inquam tanta indole, tantis rebus gestis, tanta industria, gloria, nomine, (neque enim deerant, qui nomen tuum per se illustre per universam Italiam divulgarent) commotus nunquam postea destitit, donec per Martinum Pontificem V. adeptus est, ut te sibi adjungeret, & in Galliam cum exercitu accerseret. Qui ubi te vidit, ex ipsa specie, & totius corporis pulchritudine, qua etiam te intuentes
E commovemur: tanta inest in ipso totius corporis statu majestas, tantus in oculis vigor, tanta oris dignitas, ut verè dii te ad imperandum merito procreasse videantur, ut quemadmodum ceteros mortales forma superas, sic omnes imperio tuo subjecti jure optimo esse debeant. Commotus inquam iis rebus Princeps ille, cujus judicium, & ingenium, atque oculorum acrimoniam nemo unquam effugere potuit, adeò te & amore, & caritate quadam complexus est, ut statim de collocanda tibi filia cogitaret. Idque effecit; ita honestatus, ita

(*) Philippus Maria Vicecomes Dux Mediolani.

Digitized by Google

ita cum virtute tum naturæ muneribus ornatus, atque auctus in familiam Principis illustrissimam adscitus, cum bello vicino, atque gravissimo premeretur, statim tuis copiis, tuo auxilio, atque consilio ita usus est, ut facile appareret, non te ut Equestrium copiarum ducem ex ultimis Italiæ finibus conductum, sed tanquam filium ad tuendas res tuas, & conservandum imperium advocatum facilè appareret. Nam cùm hostium dolis, & Civium perfidia clarissimus ille Imperator (*), sed tamen tam parum gratus, quàm ut postea exitus docuit, infelix Brixiæ portam eam, quæ ad Orientem versùs spectat, occupavisset, cùm & copiis, & ducibus abundaret, ex omnibus te potissimùm delegit, cujus consilio, ac fidei ejus Urbis, quæ totius Imperii firmamentum esse videbatur, Arcem committeret. Quid ea dicam, quæ in tuenda Arce, atque Urbe abs te non minus sapienter, quàm fortiter gesta, & administrata sunt? Quotiens hostes cùm intra mœnia obversarentur, cæsi, fugati, & penè ex Urbe pulsi turpissimè tibi, ac tuis copiis cesserunt? Quot cædes? quantæ strages apud ipsas munitiones, quas hostes facere conabantur, editæ? ut sæpenumero prudentissimum illum Imperatorem conatus sui pœnituisse constiterit, cum nec tuto intra Urbem versari posset, nec sine periculo exire, cùm omnia circa loca, atque castella præsidiis hostium tenerentur. Quòd si ceteri duces eam fidem, virtutemque Principi suo foris præstitissent, quam tu mœnibus inclusus cum tua summa laude, atque hostium detrimento perpetuò præstitisti, profectò cognitum fuisset, quantum vera virtus dolis, ac fraudibus superior semper esse consuesset. Non dicam hoc loco fuisse quosdam, qui cùm laudi tuæ inviderent, honori suo parum consulere maluerunt, quàm Principis sui imperium summa cum gratia, & officio retinere, quibus rebus hostium Imperator magis quàm aut viribus, aut consilio fretus, cùm nihil jam a tergo periculi immineret, omnia jam audaciùs, ac liberiùs aggredi cœpit, domos demoliri, ædes deturbare, fossas ducere, aggeres jacere.

Quæ tamen omnia cùm sensim, ac vix ad te excludendum, & in Arcem recludendum die, noctuque non intermisso opere moliretur, tandem post multos diurnos, nocturnosque labores, post multas cædes, ac strages cùm perpetuis, & continentibus eruptionibus hostem vexasses, tandem necessitate victus cùm urbem tueri non posses, non tam expulsus, quàm sensim, & paulatim recedens in Arcem te recepisti; hic cùm & loci munimento, & militum virtute, & consilio tuo ita te ipsum tuereris, ut hostem non tam timeres, quàm contemneres, consilium cepisti tu quidem magis necessarium, quàm voluntarium. Nam cùm Arcem tueri, ac retinere in animo haberes, nec hostis spem ullam haberet posse te præsidio, atque Arce dejici: Ecce literæ subito, & inopinato afferuntur, quæ locum deserere, & tibi ac tuis consulere relictis omnibus rebus e vestigio juberent. O quàm periculosum est ipsum suis rebus principem non interesse. Referentibus omnia credere. Existimabat Princeps ille, ceteris quidem in rebus beatus, ac sapiens, nisi cùm nimiùm sibi timeret, nimiùm quoque se, ac sua certis hominibus credidisset, verebatur inquam ne unà cum oppido, quod se brevì recuperaturum confidebat, te qui sibi carissimus esses, quem non solum generum, sed filium, ac Regni successorem potissimùm delegisset, id quod infelicissimum, & calamitosissimum duxisset, te quoque, & delectissimas copias tuas unà cum Oppido simul amitteret.

Vereor, Illustrissime Princeps, ne dicendi studio longiùs fortasse processerim: sed profectò nihil magis me pœnitet, quàm non dari mihi eam licentiam, ac potestatem, ut liberè in explicandis rebus tuis evagari possim, quas dum animo intueor, maximorum Regum, ac Principum res gestas primis illis adolescentiæ suæ temporibus, Alexandri dico, Pompeji, Cæsaris referre planè, ac multò magis præcellere videntur, nisi fortè majus existimandum est Scipionem superasse. Carbonem ad turpissimum vitæ finem compulisse, aut barbaros, Tryballos, Illyricos, Thracas, turbam inconditam, agrestes, ac pastores inermes, ac rudes belli gerendi, aut fudisse, aut in potestatem redegisse. Aut denique in Asia apud Nicomedem turpitèr desedisse: stipendia sub Thermo Prætore merentem, aut navibus subitò deductis prædones incautos occupasse, aut quia illi officium suum fecerant, in eo tamen paulum humaniores, quòd Cæsarem parvo redemptum dimisissent, ridibundum in crucem sustulisse. Quæ, Princeps Illustrissime, cùm mecum reputo, cùmque eum Imperatorem cogito, quem tu ad summam sæpenumero desperationem adduxisti, cùm maximum, ac lectissimum exercitum, cui octavum mensem fortissimè pugnans restitisti, mente complector, non tam illis, quos modo commemoravi, comparandum te, quàm primos illos adolescentiæ tuæ annos horum senectuti æquandos esse facile animadverto. Falluntur enim si qui putant majores fuisse Pompeji copias, quo tempore a Cæsare in Campis Pharsalicis cæsus, ac superatus est: aut lectiorem, ac fortiorem exercitum, quàm nostris temporibus ille extitit, qui & multitudine, ac nobilitate Ducum, & Legionum numero, ac virtute sub Venetorum imperio collectus, & prudentissimo Imperatori commendatus, parem expectationi exitum consecutus est. Cum quo si Cæsari depugnandum fuisset, sensisset profectò, non cum hominibus Græcis, ac barbaris, cum fœce, & colluvie omnium gentium rem sibi fuisse, sed cum iis, qui rem militarem non tam disciplina, quàm multorum annorum usu, & exercitatione didicissent. Cessissent credo milites tui, qui sub Patre tuo clarissimo Viro diutissimè meruissent, veteranis Cæsaris militibus, aut Germanis, quibus ille plurimùm confidebat, qui etsi fortes, nemo negat, fuerunt, cum barbaris tamen perpetuò pugnaverunt.

Tui verò cum eo militum genere semper congressi fuissent, qui cùm essent Itali, omnes barbaras Nationes peritia rei militaris, ac viribus ipsius etiam testimonio subegissent. Sed reprimam me, quamquam difficilè est, præsertim cùm eam materiam ingressus sim, cujus difficillimum est exitum invenire. Ad alia cursum orationis nostræ convertam. Jam verò compositis rebus, & bello confecto cùm Princeps ille (**), quem nemo nec beneficiis, nec armis unquam superavit, cùm vicinorum, & de quibus optimè meritus fuisset, non tam ulciscendi studio, quàm ut fidem diligentiùs, & san-

(*) Franciscus Carmagnola.

(**) Dux Mediolani.

sanctiùs colendam esse monstraret, injurias persequi statuisset, tibi potissimùm hanc provinciam delegandam censuit. Omnibus igitur copiis agrum hostium ingressus, paucis diebus direptis eorum finibus, atque agro pervastato, munitissimis Castellis expugnatis, Dominum illum Montisferrati eo redegisti, ut desperatis rebus, deserto, ac relicto patrio, & avito Regno, ad eos, ad quos proximo bello descivisset, miser inopsque confugeret. Quid hoc loco priùs, ac posteriùs laudem? Celeritatem ne, an virtutem, quid patientiam? Qui anni tempore adversissimo in locis asperis, ac montuosis non solùm hostes, qui munitissimis locis resistebant, sed vim frigoris, atque hyemis, & temporis contumeliam superasti, atque celeritate, ut prius tantum bellum confeceris, quàm penè agrum illum, & saltus invasisse creditus fueris.

Tollitur in Cœlum C. Cæsar, qui Pharnacem Mithrydatis illius filium paucis diebus profligatum, cælumque Ponto excluserit. Vera nimirum, & digna laus; siquidem ad integrum illud bellum Cæsar non jam effectum, ac propè profligatum venisset. Tu verò ab eo bello modo reversus, quo Princeps ille, & Pater tuus victus, atque Agro mulctatus fuerat, inops omnium rerum, & exercitu non satis ornato mandatum tibi bellum quanta celeritate, quanta etiam felicitate confecisti? Ex quo rebus tuis gestis tantum, non solùm Principis tui judicio, sed omnium populorum, ac gentium existimatione consecutus eras, ut nullum tantum negotium, ac bellum accidere posset, cui non dicam administrando satis omnes te futurum arbitrarentur, sed quàm citissimè, & ex sententia conficiendo non satis superque animi, & consilii suppetere sibi persuaderent. Sed si omnes res tuas gestas, & singula bella persequi velim, finem nullum inveniet oratio. Multo enim & plura, & majora mihi superesse intelligo, quàm quæ a me cursim strictimque comprehensa sunt. Illud autem tibi præcipuè datum fuisse animadverto, ut unà cum virtute, & usu rei militaris, bellorum fortuna, ac ratio succrevisse videatur, ut quo majorem ex bellicis rebus usum atque prudentiam procedente ætate consecutus sis, eo majora, & graviora bella exceperint. Erat certè æquum, & jure optimo quies, atque otium tot rebus gestis, tot perfunctis laboribus, tibi, & militibus tuis dari videbatur. Ecce novum exoritur bellum, ut tibi minimè otiosum esse liceat, & nomen tuum, industria, gloria, virtus augeatur. Florentini totius Italiæ opulentissimi facta pace cùm longo bello quamquam superiores tamen exhausti, ut ipsi quoque aliqua ratione damna resarcirent, expeditionem adversùs Lucensium Principem suscipiunt, rati, id quod verisimillimum videbatur, nullo negotio eam Civitatem in potestatem redacturos, agro capto Urbem obsident, die noctuque oppugnant, nec dubitant quin brevi Urbe potiantur.

Interim, Illustrissimus ille Princeps (*), quem sæpe honoris caussâ nomino, non immemor sociorum, & memoria illa tempora tenens, quibus ab omnibus destitutus, & undique circumventus Lucensis Domini auxiliis adjutus est. Miserat enim, ut tu optimus testis es, cum delectissimis copiis auxilio filium, statuit fidelissimo, ac studiosissimo socio, & amico opem ferre. Quod cùm fœdere prohiberetur, ut erat omnium, qui unquam fuerunt prudentissimus, statim nullis opinantibus rationem init, qua nec ipse fœderis jura violasse, & in adjuvandis sociis, fidem sanctissimè coluisse judicaretur.

Hic quoque cùm aliorum copia Ducum abundè superesset, in re occultissima, & in qua non minus fide, quàm animo opus esse videbatur, te unum ex omnibus destinat, cui ut antea Regni sui firmamentum, sic hoc tempore existimationem suam potissimùm crederet. Igitur ornato, & comparato clanculum exercitu, opportunissimo tempore per fines Liguriæ in Etruriam descendens, superatis angustiis, ac saltibus tantum obsidentibus terrorem injecisti, ut cum etiam longè abesses, deserta obsidione intra munitiones, & in agrum suum se se reciperent, optimo certè consilio usi, nam si impetum illum tuum, cui nemo unquam tecum congressus non cessit, si militum inquam tuorum vim excipere statuissent, non solùm hostium copias profligasses, sed miseram & afflictam Civitatem, & bello, & omni belli suspicione liberasses. Fuit illud tibi molestissimum. Itaque admotis ad Urbem copiis tamdiu ibi cum exercitu fuisti, quoad compositis, & in meliorem statum redactis rebus, ne Urbem re frumentaria exhaustam relinquens, cùm hostes pugnam detrectarent, non tamen priùs inde abeundum putaris, quàm discessum tuum hostes plurimo redemissent. Quod maximo argumento virtutis, ac prudentiæ tuæ fuit, cùm callidissimus hostis tanti præsentiam tuam faceret, ut pecuniæ numero non parceret, modo te tutum integrumque non solùm dimitteret, sed quodammodo in Galliam deduceret. Longum esset enumerare, quæ in Flaminia, quæ in Apulia, quæ in ceteris Italiæ partibus (nam quis locus adeò remotus, adeò abditus in hac terra nostra reperiatur, quem arma tua non penetrarint? qui vim, atque impetum tuum non persenserit?) Infinitum inquam esset omnia percensere, sed tamen quæ, & quanta post illa tempora cùm Ager Gallicus longo post intervallo pace frueretur abs te, tuis auspiciis, atque opibus, tuo inquam nomine multa, ac magna gesta sunt; nam cum in otio marcescere nullo modo posses, missione impetrata Agrum Picenum longa pace, ac diuturna tranquillitate florentem ingressus, paucis mensibus in potestatem tuam redegisti. Sunt qui factum illud tuum crudele, atque impium fuisse arbitrentur. Sed certè si quis secum rationem putet, & ea quæ tibi ab ipso Pontifice ultro delata sint, diligentiùs consideret, tantùm aberit, ut te in ea re vituperet, ut etiam summis laudibus in Cœlum ferendum esse arbitretur. Non enim eo animo tu Ecclesiæ agros invasisti, ut aut eos diriperes, atque incenderes, aut illud Regnum tibi vindicares, non illis Majoribus, non eo Patre susceptus eras, qui perpetuò acerrimus religionis nostræ protector, ac defensor extitisset, quo tempore scilicet ab acerrimo & callidissimo illo Brachio vexabatur, quem tu vestigia patris secutus fortissimè dimicans oppressisti; non ea mente inquam Picenum Agrum intrasti, ut regionem illam perderes, sed ut imperium Ecclesiæ, & vexillum faciliùs consequereris: Quod cùm ipsorum Picentum studio, & amore, qui cognita, vel benignitate, vel humanitate, vel magnificentia tua studiosissimi tuî facti erant, tum etiam ipsius

(*) Dux Mediolani.

ipsius Ecclesiæ temporibus brevì adeptus es. Vidimus enim te Ecclesiæ copiis ita Præfectum, ut cùm Pontificis, & ceterorum Cardinalium suffragio, ac sententia Agri Piceni Marchio declaratus, & constitutus esses, multis calamitatibus, ac periculis Ecclesiasticum statum liberaveris.

A

Ac si quid postea Principum interitu, aut inconstantia immutatum est, suspicari cuivis liberè, quid vult licèt. Illud certè verisimillimum est, si sine injuria dignitatem, ac statum tuum retinere potuisses, maluisse te pro religione propugnantem in summa gloria, ac laude versari, quàm Deos impugnantem in discrimen capitis, ac fortunarum tuarum descendere. Possem hoc loco copiosissimè spatiari; tanta enim, vel magnitudine rerum, vel multitudine hoc in Agro pro retinenda dignitate tua non solùm fortiter gesta, sed prudenter, ac magno animo, & excelso administrata, ac suscepta sunt, ut nullus ne superiorum quidem temporum Imperator ulla ex parte tibi conferendus esse videatur. Imperator igitur Ecclesiæ constitutus, quasi nescio quo tuo fato nequis status esset in Italia, qui tua ope non indigeret, tuque ad auxilium omnibus ferendum natus esse videreris, cùm Gallia rursus maximo, & gravissimo bello arderet, & bellum multis Castellis, & opportunissimis locis receptis obsidione Brixiæ, quo minus confectum esset impediretur, in extremo discrimine fortunarum suarum, & imperii casu Veneti totius Italiæ potentissimi, Gens non solùm divitiis, sed constantia, gravitate, fide, regendæ Reipublicæ disciplina ceteris, quæ unquam fuerant, longè præcellens in suis dubiis rebus ad te confugit, a te opem petiit. Itaque paucis mensibus comparato ingenti exercitu famâ tui nominis tantum effecisti, ut hostium impetus, cui ad id tempus omnia cesserant metu, & expectatione penitùs repressus omnino refringeretur. Mansit in fide Brixiæ Civitas, ingenti fame, & pestilentia jampridem laborans, & oppressa. Non defecerunt ab officio Montani, gens dura, atque aspera cultu, quos hostis summa hyeme multis, ac magnis cladibus affectos, ex saltibus tamen, ac rupibus dejicere, atque detrudere nullo modo potuit; qui sanè nequaquam restitissent, nisi crebri nuncii, & adventus tui rumor, ac fama eos confirmasset, & in fide ac in officio continuisset.

B

C

D

Verona quoque omnibus belli cladibus confecta, ac propemodum perdita, cùm ab acerrimo illo, ac magnanimo Imperatore (*), qui nemini unquam nisi tibi cessit, acrius urgeretur, audito adventu tuo, quamquam antea obstinatissimis animis omnia perpeti statuisset, quàm vicinæ Urbis servitutem subire, cui ipsa jure optimo dominari deberet, tantam fidem, tantam constantiam præstitit, ut cùm inopia rerum omnium, & quod gravius est peste premeretur, tamen in fide, quam semper sanctissimè coluisset, manendum sibi esse existimaret. Interea omnibus copiis ad Padum admotis, trajecto, & superato maximo Amne, cùm in Agrum Patavinum pervenisses, tanta lux omnibus oborta est, tantæ hostibus tenebræ objectæ, ut & statim de non solùm relinquenda obsidione, sed de fuga cogitarent.

E

Ne tamen turpiter refugisse viderentur, summus ille, & clarissimus Imperator, quem Deus immortalis ad te illustrandum de industria tibi semper objecisse visus est, munitionibus, quibus tamen parum confideret, accessum tuum impedire, atque intercludere conatus est. Sed ut semper aliàs non minus in te prudentiæ, atque consilii, quàm in illo audaciæ, atque animi, sic illo tempore fuisse, & animadversum, & cognitum est. Nam cùm victoriam in manibus haberes, rem in periculum, ac summum discrimen deducendam esse non putasti. Itaque relictis angustiis, quas cum periculo certè superasses, ardua Montium, sed tuta tamen persecutus, duorum tantummodo dierum itinere munitiones hostium, quas tot dierum continentibus laboribus effecerant non intermisso die noctuque opere, vanas, atque irritas fuisse ostendisti. Tum verò tantus terror hostibus injectus est, ut relictis paludibus, quibus pro vallo se se tutabantur, e vestigio trajecto Athesi in agrum Mantuanum, ac suum se se reciperent: veriti ne illum tibi devastandum, diripiendumque desererent. Quid hoc tuo, vel incœpto audacius, vel opere majus, vel susceptu prudentius, vel admirabilius dici, aut existimari potest? Nam quod locis planissimis summa cum difficultate ceteri faciunt, ut ingentes exercitus, maximas pedestres, & equestres copias tutas, & coactas, atque in unum collectas ducere possint, id tu angustis, atque asperrimis locis, per rupes, & saxa sub conspectu hostium ita traduxisti, ut ne minimum quidem militem gregarium ex tanto exercitu desideraris. Tantumque abfuit, ut inopiam rei frumentariæ pertimueris, cùm intra hostium claustra, & munimenta te ipsum quodammodo inclusisses, ut consumptam, atque exhaustam Urbem exhauriendo, copiosissimam, abundantissimamque redderes. Discessu enim, vel potiùs fuga hostium, quæ statim post descensum tuum consecuta est, tantum undique frumenti convectum est, ut omnium rerum copiâ Civitas non solùm re frumentaria abundaret.

Ita hoc tuo pulcherrimo, & in primis commemorando facto, non modo Urbs hujus imperii studiosissima, ac fidelissima, ex hostium faucibus erepta est; sed Imperium universum, quod hac una Urbe cadente stare non poterat, tua prudentia, industria, animi magnitudine confirmatum, ac stabilitum est.

Quod & ipse hostis, cujus vel intelligentiam, vel in bellis gerendis usum, ac peritiam nemo est, qui ignoret, statim vel tacens judicavit. Nam cùm te ad Lacum, quem Benacum vocant, omnibus copiis contulisses, ut si præsidio, atque auxilio classis commodè, ac tutò posses, Castella, & opportunitatem illius loci recuperares, nunquam destitit callidissimus omnium adversarius te ad pugnam elicere, non tam suis copiis fretus, quas nullas, aut perexiguas habebat, quàm ut fortunam tentaret, in qua totius belli summam omnino reposuerat. Prospiciebat enim animo id, quod tu multò ante provideras, cùm non solùm copiis, sed pecunia, atque opibus, quæ nervi bellorum sunt, abundares, fore ut sedendo, & quiescendo bellum conficeres. Itaque inanes illos impetus, & conatus ejus quotiens elusisti? quotiens illum in locis occultis subsidentem pulsum, cæsumque turpiter in Castra rejecisti? Quòd si morbi exercitum tuum caloribus, & continuis laboribus affectum magna ex parte inutilem non reddidissent, non modò te hostis

(*) Nicolao Piciuino.

hostis non lacessisset, sed locum ubi consisteret non habuisset. Interim tamen Brixiæ Civitas obsidebatur, nec diutiùs sustinere poterat, omnemque spem salutis, ac fidei suæ in tuis auxiliis planè collocaverat. Igitur ea, quæ secuta est hyeme, cùm per plana, & apertos Campos iter ab hostibus interclusum esset, nec tu quibuscumque copiis abundares, nec sine magno periculo per media hostium castra occupatis omnibus locis, præsidiis ubique dispositis viam facere, aut perrumpere ullo modo posses, a Montibus rationem ferendæ opis, atque auxilii capiendam, & expectandam esse existimasti. E vestigio profectus cùm omnia perlustrasses, ac diligenter exquisita cognovisses, media hyeme exercitum in asperos, ac frigidissimos Montes perduxisti: Eo consilio, ut expugnato Castello, quo iter impediebatur, rem frumentariam expedires, & Civitati obsessæ quacumque ratione subvenires.

Vide quantum sit in te ingenii; quod enim, etsi difficile, tamen fieri posse judicasti, id non modo consecutus es, sed cum tua summa gloria, ac victoria, non tamen sinè magnis laboribus, & incommodis, rerumque omnium discrimine perfecisti, ut cùm virtute, & consilio profligatos hostes disjecisses, partim etiam in potestatem redegisses, rursus victores iterum vinceres, & vim ipsam fortunamque superares.

Nam cum ex altissimis, & asperrimis Montibus, cum omnibus copiis in Vallem non ita patentem descendisses, veritus hostis, ne Castellum (*), quod in faucibus situm erat, castris positis expugnares, ut erat omnium, qui unquam fuerunt, Imperatorum audacissimus, cum paucis equitibus, ac ducibus eò progredi ausus est. Quod ubi tibi renunciatum est, tantam bene gerendæ rei occasionem nactus, celeriter eò convolasti, facto impetu acies hostium disturbasti, quatuor ex Ducibus (**), qui se inconsultè in eas angustias conjecerant, cepisti. Imperator ipse vix inter pugnantium manus elapsus summa cum difficultate in proximum Castellum confugit. Quod tu ita fore ratus, cùm nonnulli seu dolo, seu errore aliud iter Germaniam versùs Imperatorem tenuisse affirmarent, e vestigio missis, qui eum persequerentur, atque comprehenderent, re bene gesta victor te ad Castra retulisti. In quo magnum instituti tui, ac prudentiæ fructum consecutus es; exemplo enim, & re ipsa facilè cognovisti consilium longè magis, quàm audaciam in bello valere, nec verum esse, qui audax, ac promptus sit, eum administrandis rebus, & gerendo bello præficiendum esse.

Proxima nocte, præter spem, & opinionem tuam, hostis fortunatior hoc loco, quàm callidior, per media castra tua ignaris omnibus, in munitiones suas relatus, postridie novo quodam audaciæ genere copias tuas adortus tumultum, & admirationem in Castris tuis excitavit.

Quis enim non obstupesceret, eum, qui modo propemodum captus, fusus certè, ac fugatus latebris salutem quæsisset, subito & inopinato erumpentem cernere, ut non pugna illa superatus, ac domitus fuisse, sed e superioris diei re bene gesta audaciam, atque animos elatiores concepisse, ac sustulisse videretur?

(*) Tenne.

A Hac victoria parta, etsi Castellum nondum recepisses, tamen magnam vim frumenti pulsis hostibus per montes, & angustias transmisisti. Quod cùm hostes facilè cognovissent, nec rem frumentariam impediri posse, nec Castellum quamvis loci natura munitissimum diutiùs retineri posse, relicto præsidio cum omnibus copiis retro per Benacum Veronam versùs, quam modico præsidio teneri acceperant, clam devecti, nunquam intermiserunt, donec ad ipsa Urbis mœnia pervenerunt, positis scalis murum conscendunt, vigilias dormientes offendunt, trucidant, capiunt. Cùm nullo præsidio Urbs teneretur, aperto ponte Urbem irrumpunt, & brevì multitudine depulsa atque disjecta, **B** mœnibus, atque Urbe potiuntur. Nihil relinquitur, præter Arces Urbis, quod non in hostium potestatem perveniat: forum, pontes, portæ, mœnia denique, ac muri occupantur. Nemini jam dubium est, quin paucis diebus, ipsis quoque Arcibus hostes potiti non solùm victoriam, & consilium tuum impediant, sed vel te interclusum teneant, aut per confragosa loca, & abruptos montes fugam arripere compellant. Subito nuncio, & inopinato perculsus non dicam omnino te animo defecisse; nulla etenim tanta calamitas, nulla tanta vis, nullus tam inopinatus casus unquam tibi accidit, qui multi temeritate fortunæ tibi acciderunt, qui te loco movere, aut prosternere potuerit. **C** Illud certè dixerim, tanta re, tam inexpectata non fuisse humanitatis tuæ non vehementer commoveri. Quis enim credidisset tantam fortunam victis contingere potuisse? Quis victores, & secundis rebus elatos eò sic repentè detrusos, atque dejectos, ut omnis propemodum spes salutis amissa penitus videretur?

Simul ac animum recepisti, quod in rebus perditis consilium capis? quod certè virum fortissimum decet, cui aut vita amittenda est, aut decus cum laude retinendum. Cohortatus milites, quod felix, faustum, fortunatumque sit: Veronam te redire velle significas, bono animo sint, sperare, atque adeò exploratum habere **D** perendie non modo res suas, ac fortunas recuperaturos, sed hostes prædæ sibi futuros. Ita confirmato exercitu profectus tertio die, non prius super ipsos montium vertices apparuisti, cùm hostis de relinquenda Urbe consilium agitare cœpit.

Vellem in præsentiarum, Illustrissime Princeps, tantam vim ingenii, tantum eloquentiæ mihi præstari, ut possem pro dignitate magnitudinem rei propemodum inauditæ commoda oratione proponere, mirabile dictu, & penè incredibile, ut eodem tempore, atque adeò momento, & visus, & Urbem ingressus, & ad pontes usque progressus, hostis cis fluvium nullus, tantus omnium metus, tanta formido, **E** tanta trepidatio audacissimum illum Imperatorem tunc temporis invaserat. Nec mirum. Quis enim tuorum militum impetus expectasset, aut sustinere potuisset? qui clamor? quis decursus? quantus agminis impetus? quanta cohortium ululatio? quanta nominis tui memoria, & concelebratio? Quæ cùm animo mecum repeto, venit mihi in mentem illud, quod ab Homero de Marte fictum verissimè in te expressum est. Fingit ille Martis comitatus, metum, pavorem, formidinem. Nonne illa tunc

(**) D. Carolus, C. Cesar, Mart. Dominus Parm., Gerardinus Ter.

Digitized by Google

tunc verè pro nostra tamen salute cognovimus, & experti sumus? Hac fuga, atque eo terrore commotus hostis beneficio fortunæ, quo minus audaciæ, ac stultitiæ suæ pœnas daret, ereptus est.

Nam cùm in eo esset, ut ponte depulsus jam jamque cum omnibus suis copiis a tuis teneretur, (nullis enim munitionibus cohiberi tantus impetus poterat) ecce multitudine equitum, qui mixti confertique pellebantur, pons altissimus rumpitur, tui excluduntur, illi servantur; quod si non accidisset, pulcherrimum certè, ac maximum, & memorabilissimum facinus eo die perpetrasses. Non enim insidiis, ac dolo, ut Cyrus quandam Babylonem pontis cujusdam occasione invasit, sed vi, & B impressione munitissimam Urbem recepisses, & scelera, ac rapinas hostium pro nobis tuo more, atque instituto ultus fuisses: hæc fuit causa, quæ te extra Urbem considere eo die coëgit, cum Civium saluti consultum esse velles, eadem hostibus facultatem surripiendi, atque Urbe liberè excedendi dedit; quod utinam victoriam tibi integram fortuna præstitisset! nam quæ tibi nunc Civitas recuperatæ libertatis gratiam debet, debuisset etiam quod injurias suas ultus fuisses. Ut enim tu fortunas nostras conservasti, & ex manibus rapacissimorum hostium eripuisti; sic illi nos omnibus fortunis nostris spoliatos perdiderant, & in ipso discessu tanquam ex hostibus prædam ingentem secum abegerant.

C Itaque non minus pontis illius abruptione calamitatis accepimus, quàm ex adventu tuo, & Urbis, vel ingressu, vel irruptione lætitiæ, & gaudii persensimus; quod certè tantum fuit, ut ea præda servitutem redimere, & quodammodo depecisci contenta Civitas fuerit. Pulsis igitur, ac fugatis hostibus, quis lætitiam illius noctis, quam universa Civitas insomnem duxit, quis ludos commemorare posset? Lucem noctem fecerat, ut superiores illi dies obscuritatem quamdam, & noctem obduxisse viderentur, & rectè quidem; potuit enim major lux huic Civitati affulsisse, quam ei imperio restitui, sub quo nunquam alias, tam libera, tam honesta, tam sui juris, ac potestatis ne tum quidem fuit, cum D sub tyrannis libera sibi videbatur? Itaque postridie debes memoria retinere Princeps Illustrissime, qui nunquam nisi injurias oblivisci soles, debes inquam recordari: qua gratulatione, quo concursu optimorum sanè, sed calamitosorum Civium in Urbem susceptus fueris, quibus quantisque muneribus voluntatem, ac studia sua in te, tibi declarare studuerint; cum non immortalibus tuis in eo beneficiis (qui enim possent) satisfacturos se arbitrarentur, sed gratitudinem aliquam, & memoriam tuorum erga se, & præteritorum, & præsentium meritorum colere viderentur. Meminerant enim parum felices, sed tamen grati, & fideles Concives mei, bis se tuis auxiliis, E tua ope, tuo beneficio, ex crudelissimi atque infestissimi hostis faucibus ereptos, ac liberatos esse; sed quamquam maximum illud beneficium fuerat, quo pulsis a mœnibus hostium copiis eos & obsidione absolveras, & ad omnium rerum copiam viam patefeceras; tamen longè majus, atque amplius hoc esse censebant, quo sibi liberos, conjuges, fortunas, aras, Deorum templa, libertatem denique, atque rempublicam restitueras, ut quantum liberis, conjugibus, parentibus, patriæ, Diis denique immortalibus debuissent, tantum se tibi, per quem omnia illa recuperassent, debere arbitrarentur, & prædicarent.

Hac tua victoria, tam secunda, tam præclara, ac penè inaudita, cùm tandem hostis te nec dolis, nec armis, nec ullis viribus superari, aut opprimi posse animadverteret, desperatis rebus novum consilium agitare cœpit, si quo pacto bellum aliò divertere, ac transferre posset. Summum ipsum Ducem, & Imperatorem, in quo omnem suam spem collocaverat, cum maximis copiis in Ethruriam dimittit, sperans sociorum periculo audito, aut te in Ethruriam revocatum iri, aut Florentinos necessitate coactos dirempta cum Venetis societate, socios sibi ad bellum adsciscere; Quod si consequi potuisset, non dubitabat etiam, si Brixiensis ager receptus, atque ipsa Urbs obsidione liberata esset, se bello superiorem fore; sed consiliis suis, ac votis nequaquam fortuna respondit. Nam & in Ethruria magno prœlio superatus, omnes copias amisit, & omni agro Brixiensi depulsus, & classem perdidit, & a spe potiundæ Urbis dejectus est. In quo quid satis laudari potest? Virtus ne in suscipiendo tanto, ac tam difficili bello? an ingenium ingerendo? an industriam in quam celerrimè perficiendo? Atque si Ducem illum acerrimum, fulmen belli vocitare soliti sunt, quo te nomine appellabimus? Ille compluribus mensibus, summo labore vix tandem agro Brixiensi potitus est, tu uno die, atque adeò horæ momento, ut ita dicam, universum recuperasti. Ille nullum locum recepit, quem non expugnaverit; impetum tuum nemo fuit, qui expectandum existimaret; qui tantus fuit, ut claustra ipsa munitissimi pontis perruperit, hostes deturbarit, fugarit, prostrarit, omnibus vasis, impedimentisque spoliarit, munitissimum Oppidum (*) statim in potestatem redegerit. Ex quo die tantus hostibus terror, tanta clades injecta est, ut nemo postea usquam apparuerit, omnes se Castellis, munimentis, Urbibus incluserint; cum interim aperto campo liber, ac victor paucis diebus tantum agri recepisti, atque Venetorum imperio adjunxisti, quantum homini expedito multis diebus vix lustrare, atque obire licuisset. Nam plusquam centum millia passuum in longitudinem, quodque inter duos amnes agri longe lateque patebat, in Provinciæ quasi quamdam formam confecisti. Sed profecto verum illud est, quod ab historico dictum est; fortuna res omnes ex libidine magìs, quàm ex vero gubernat, & cùm omnibus in rebus plurimum possit, tum vero in bello maximè dominatur. Estque aliquid Deus, cujus nutu omnia administrantur, cujus arbitrio animi nostri moventur, qui ubi voluerit aciem mentis in utramque partem, vel acuit, vel obtundit. Magna res est militaris ars, & disciplina; quippe qua respublicæ, vel constituuntur, vel evertuntur. Quod si ne minima quidem res ulla sine Deorum voluntate, aut gignitur, aut movetur, aut vivit, erit aliquis adeò cœcus, adeò insolens, adeò suæ conditionis oblitus, ut Deum aliquem in Cœlo versari non existimet, qui maximas res curet, atque hominum animos moderetur, ac tem-

(*) Soncinum.

Digitized by Google

temperet? Illud quoque non sapientissime a doctissimis Viris non usurpatum, ac traditum fuisse credendum est: Solere Deos immortales nimis prosperis rebus invidere elatos, atque altius excitatos deprimere, atque dejicere. Nec id tamen efficere, quo mortales, quos tuentur, & quos caros habent, malis, ac detrimentis afficiant, sed ut eos modestiores, & conditionis suæ memores esse velint; nemo te tot victoriis, ac tanta rerum felicitate clarior, ac sublimior dici, aut existimari poterat: Tantum agri uno die receperas, Urbem opulentissimam gravissima obsidione liberaveras, hostium instructissimas copias debellatas contriveras, duos amnes maximis inter se spatiis distantes incredibili celeritate, ac fortuna superaveras. Pontem effregeras, atque disjeceras, hostes Castris exutos dissipaveras, omni agro domito, atque in ditionem redacto ad Abduam usque perveneras.

Quid erat reliquum, nisi ut amne trajecto, hostem non solum agro spoliares, sed arce imperioque dejiceres? quid ergo obstitit? Voluntas ne, aut studium tuum? minime id quidem; sed nescio quis Deus, cui hæc omnia curæ sunt, mentem, vel tuam, vel eorum, qui tibi vel socii, vel consiliarii adjuncti fuerant, ab instituto cursu revocavit, & ad alias cogitationes traduxit. Quod si quis fortè dubitaret Deum esse aliquem, qui peccata, & vitia nostra justissimis pœnis afficeret, vel ex hoc maximè id ita esse cognoscat; nam qui totius belli causa, qui cædium, incendiorum, vastitatis non solum Galliæ, sed penè totius Italiæ fuerant, nescio quo fato ultrices scelerum pœnæ ad supplicium, & ad expiandum facinus, quasi piaculum quoddam reposcebant. Conversis igitur signis agrum Mantuanum ingressus paucis diebus, omnibus cis Iolium Castellis expugnatis, amne superato ad ipsa munitissimæ Urbis claustra pervenisti. Cùmque illam vetustissimam Urbem brevì expugnari posse diffideres, maluisti præsidia hostium ex munitissimis locis depellere, quam reliquum æstatis tempus, quod tibi perexiguum rebus gerendis supererat, frustra ad mœnia ipsa sedendo conterere. Qua tempestate opportunissimum Castellum (*), quod nullis opibus expugnari posse videbatur, in ipso Benaci capite positum paucis diebus recepisti.

Paulo post altero quoque recepto (**), Lexiacum, de cujus opportunitate loci, & munimentis satis dici nullo modo posset, quod quasi receptaculum belli multarum Urbium agros infestos reddebat, admotis Castris non ita multis diebus consumptis aquarum multitudine, ac paludibus circumdatum instante hyeme ita relinquere coactus es, ut quod vi expugnare non potuisses, illud tamen certa propemodum spe in manibus haberes, ac possideres. Nam quibus viribus, qua ope fretus hostis succedentis anni non dicam apparatus, sed conatus tuos excipere posse confideret? Itaque de facienda pace statim consilia agitari cœpit. Undique Legati ad te concurrunt, ad te summa rerum omnium defertur. Tu disceptator, tu cognitor, tu judex, tu rerum omnium arbiter, ac dominus cunctorum judicio, ac voluntate constitueris: tibi rerum omnium arbitrium, tibi summa potestas permittitur, tibi se hostis, ac fortunas suas sen-

A tentiæ tuæ subjicit. Si tibi videatur, si ita censeas, nullum se esse vult, omnes suas spes, atque opes in tuo nutu collocat, atque reponit. Te Florentini, te Genuenses, te Dux ille, cujus tu solus ferocitatem semper retudisti, atque impetus repressisti, te Veneti, te omnis Italia intuetur, sententiam tuam expectat. Quis hoc loco tanto verborum flumine, tanta orationis copia orator exuberet, ut magnitudinem, ac majestatem nominis tui, & tantam potestatem verbis non dicam explicare, sed cogitatione consequi possit? Quis enim unquam fuit, cui tantum datum esset, atque concessum, ut quam vellet totius Italiæ fortunam, & conditionem esse in manu, ac po-

B testate sua retineret? Id si uni Populo Romano multis seculis vix tandem perdomita Italia concessum fuit; cujus quidem Reipublicæ secundùm Deos immortales opes maximæ, atque amplissimæ fuerunt: non ne mirabilissimum, ac propè divinum videri necesse est, te ex omnibus seculis unum nostra hac ætate extitisse, qui Senatui Populoque Romano comparandus esses, & secundùm Deos immortales plurimùm posses? Itaque si quis te Principum Principem, Regum Regem appellaverit, non magis judicio opinionis errasse videatur, quàm si quis Populum Romanum Principum, Dominorum, Regum, Populorum, Gentium, ac Nationum omnium, itaut fuit, Dominum, Re-

C gemque prædicaverit.

Sed ad rem redeamus: suspensis omnium animis, & sententiam tuam de pace expectantibus, ita & honori, & utilitati Sociorum, & tuæ consuluisti, ut hostes secum bene actum quoque fuisse existimarent. Atque ita pacem fecisti, ut cum in tuas leges eam confecisse videreris, omnem tamen discordiam, omnes inimicitias tolleres, & cum hoste affinitatem conjungeres. Hoc igitur fortunatior, ac melior quàm ceteri Imperatores fuisti, quòd alii superatis, & bello domitis hostibus odium componere, & inimicitias ex victorum animis evellere non potuerunt. Tu summa necessitudine, pulcherrima, & honestissima affinitate

D hosti te conjunxisti; in quo non modo quidquam Sociis de suo jure detraxisti, sed ita commodis eorum inservisti, ut etiam pristinam suam dignitatem, decus, amplitudinem, majestatem, quibus reliquas omnes gentes, non solum Italiæ populos antecellunt, auctam, atque amplificatam intelligerent; ut illud jam non solum hominibus nostris cognitum, sed jam vulgo, ac proverbio celebratum, Venetos nunquam bella suscepisse, ac non in suas leges ea confecisse, tua virtute, & auspiciis, suis opibus, & incredibili constantia, & omnibus in rebus perseverantia confirmatum sit.

Sed antea quàm ad discessum tuum veniam, id quod oblivione magìs, quàm judi-

E cio, aut voluntate penè omiseram, revertar. Quòd sanè ejusmodi est, ut nihil non modo hoc bello, sed ne memoria quidem hominum gestum, aut effectum unquam tale quicquam fuerit. Memorant Græci, idque miraculi loco prædicant, Xerxem illum maria pontibus junxisse, montes navigasse, multitudine equitum exiccasse amnes, infinitis, & innumerabilibus propemodum copiis omnia complesse. Fuerunt illa quidem permagna, & admiranda, quis negat? sed tamen scriptorum ingeniis aucta, &

(*) Piscaria.

(**) Valegium.

Digitized by Google

& vehementius quam veritas rei pateretur scripta, & concelebrata. Quis enim crediderit, quingentas myriadas, hoc est quingenties decem milia militum non modo ali, aut duci, aut gubernari, sed convenire aut colligi potuisse? Sed fuerint illa vera. Detur etiam illud Grecis levissimis hominibus, & in historia facilè mentientibus, qui quo magis se ipsos extollerent, ac virtutes suas prædicarent, hostes, atque adeò barbaros inimicos ad Cœlum usque sustulerunt; sint hæc inquam vera. Junxerit Xerxes Hellespontum navibus, vinxerit etiam Neptunum compedibus, si illa superiora satis ementita non sunt, detur illud vanissimis hominibus, acceperit plagas Neptunus, si credibile est, aut Deum ab homine quicquam pati potuisse, aut si id verum est, tam sit hoc incredibile, ac fictum, quam illud impium, ac irreligiosum. Fateamur Athon montem Thraciæ ducta, & excisa fossa navibus pervium, ac navigabilem factum; attamen cum hæc tanta, & tam admirabilia sint; nihilominus veris rebus non fictis, certis non dubiis, simplicibus non ornatis, & amplificatis concedant necesse est, & multo inferiora inveniantur.

Quid enim tam magnum, fuit fretum angustum navibus jungere, tantis præsertim copiis, tanto apparatu, tantis opibus? Quod si reperti sunt, qui parvis facultatibus, & exigua rerum copia, tamen latissimos amnes paucorum dierum spacio ponte junxerunt, quid tam magnum habendum est? Si Rex Regum, & magnus, ut illi volunt, Rex mille passus patens fretum, aut non multo plus junctis navibus facilè trajecit? Quid tam admirabile, aut quid tantis verbis efferendum, si Xerxes illis copiis, illo innumerabili, ac propemodum infinito, & immenso exercitu, tot fabris, tot operis, tot tantisque divitiis montem excidit, & sexdecim millia passuum in longitudinem fossam perduxit? Cùm Cæsar parvis copiis decem & octo diebus murum in altitudinem X. & VIII. pedum, in longitudinem verò X. & octomillia passuum in Gallia duxerit, atque excitarit. Videamus ea, quæ abs te animadversa, instituta, effecta, ad extremum deducta sunt. Conferamus hæc parva cum magnis, quandoquidem homines levissimi ita volunt; ubi unquam aut lectum, aut scriptum, aut auditum fuit, non dico naves ducta fossa, & aqua immissa deductas fuisse; (nam hoc & fieri potest, nec est quod tantopere quispiam admiretur), sed triremes dico altissimos, atque asperrimos montes superasse, & quod simile monstri sit, rupes, ac saxa pernavigata esse. Datum, datum est inquam temporibus nostris, & tuæ virtuti tributum est divinitus, ut quod nunquam antea nec opibus, nec ingenio cujusquam non dicam factum, sed ne cogitatum quidem fuit; tu unus inventus sis, qui nihil unquam cogitaris, quod non effeceris, nihil susceperis, quod non obieris, & ad finem usque perduxeris.

Est in Gallia mons altissimus, & propter celsitudinem maximè celebris, quem Montem Baldum appellant, qui magnitudine sua Cœlum propè attingere videatur. Per hujus jugum triremes non navigia, triremes inquam subductæ sunt, & in Benacum paucis diebus, quo nihil quicquam aut admirabilius, aut majus dici potest, deductæ sunt. Fingant nunc Græci, mentiantur, ut vel lectores delectent, vel res suas immortalitati commendent, dum

A sciant nihil prudenti lectori, quod a veritate abhorreat, facilè persuaderi posse. Illud teneant, si qua gens unquam fuit, cujus virtuti datum sit, ut rebus gestis Deorum immortalium propemodum vim, ac naturam attingeret, illos potissimum fuisse Romanos, aut in hac terra, quam Italiam vocant, fuisse progenitos. Hanc gentem omnes nationes, & ingenio, & virtute, atque armis superasse. Hinc omnium rerum admirabilium exempla sumenda esse. Hinc homines Divinos ortos esse. Itaque non idcirco quemquam mirari oportere, quod nostris temporibus singulare, & planè inauditum facinus cognitum, visum, celebratum sit; sed potius lætandum esse, & nobis ipsis

B congratulandum, qui hoc nobis præter ceteras gentes, seu natura, seu divinitus præcipuè datum, ac tributum esse videamus, ut rerum gestarum magnitudine ad Deorum propè immortalium vim, ac majestatem proximè accedamus.

Lætare igitur, & exulta hoc tanto, ac tam incredibili facinore Illustrissime Princeps, nec te ulla dubitatio subeat, nulla in mentem incidat suspicio, futurum ut hujus rei memoria ex animis hominum deleri unquam possit. Tanta res est, tam rara, tam inaudita, ut etiam si nullus existat, qui tantas res monumentis, ac literis commendet, omnis tamen posteritas quodammodo per manus acceptura, & in perpetuum ceteris proditura esse videa-

C tur. Sed quamquam in hoc genere Græci maximè glorientur, & ingenii, ac doctrinæ laude sese ceteris nationibus anteponant, hoc tamen tempore, quamquam nec superioribus quidem, cùm regio illa maximè floreret, in ullo virtutis, aut disciplinæ genere Romani unquam illis cesserint, hoc inquam tempore ne ipsi quidem negent, plures multo in Italia esse, qui & historiam scribere possint, & multorum annorum res gestas in manibus habeant, & posteritati transmittant. Quod si ut & omnes sperant, & tua virtute, ac fortuna dignum est imperio potitus, Italiam diutissimo bello afflictam, ac perditam optatissima pace constitueris, atque recreaveris; etsi tanto stu-

D dio nunquam flagravit Italia, mihi crede, Princeps Illustrissime multi erunt, qui res tuas potissimum suis scriptis maximè illustrare concupiscant, eoque studiosius id efficiant, quo per te otio suo consultum fuisse intelligent. Alit otium literas, & pace ingenia maximè exflorescunt. Cùmque minimè ingrati sint (aliter enim sapientiæ studio non tenerentur) omne suum studium ad eorum laudem potissimum conferunt, quorum opera, gratia, favore, ope, auxilio, otium illud & nacti sunt, & conservatum iri vident. Quot poëtas temporibus Octaviani fuisse censes? at illius dominatu sedatis bellis civilibus, & constituta pace non ne in illius laudes, ac prædicationem omnes

E sese pœnitus effuderunt? Longum esset enumerare qui poëtæ in omni metrorum genere in honorem, & memoriam illius elaboraverunt; qui scriptores monumentis suis magnitudinem rerum gestarum concelebraverunt; sed me jam longius excurrisse animadverto. Illud affirmaverim, si res tuæ omnium temporum, atque hominum memoriam, & ætatem longè superaverunt, non defuturos scriptores, qui virtutis tuæ præstantiam, & nomen, ac laudem minimè interire patiantur. Non enim plures sunt qui te admirentur, quam qui ament, & quem si fieri posset immortali vita libenter afficerent, non eumdem, cum facilli-

mum sit, æternæ gloriæ, ac laudi non studiosissimè libentissimèque commendabunt? maximis igitur rebus gestis, confecta pace, antea quam in Regnum redires, Venetias te contulisti.

Possem hic copiose, ac late oratione, & verbis evagari, atque adeo diffluere; sed propositum non est hoc loco dicere, quanta frequentia, quanto omnium gaudio, atque concursu, non solum in Oppidis, atque Urbibus, sed in Castellis, ac vicis adventus tuus concelebratus fuerit; nec illud commemorabo: Quacumque iterfeceris, ubi substiteris, ubi commoratus sis, non solum publicam lætitiam, sed ferias quoque, ac dies festos propemodum actos esse, cum per agrum Veronensem iter faceres. Cùm Patavium accessisses omnes plateas, omnia fora, ac templa admiratione adventus, ac nominis tui obsessa, completa, referta esse. Non dicam proditum tibi obviam esse ab iis Civibus, atque hominibus, quorum Castella, Vicos, Urbes prætereris. Illud certè taceri nullo modo potest, cùm etiam longè ab Urbe abesses, tanta gratulatione ab omni patritiorum genere, ab omni matronarum cœtu, ac splendore obviam proditum esse, atque occursum, ut unus gloriari possis, id tibi contigisse, quod nemini præterea nec Principi, nec Regi apud hunc Principem gentium populum tributum esse, memoratum est. Non enim id quod aliis permultis datum, ac donatum est, Nobilium pars quædam nomine publico missa est, quæ te venientem exciperet, sed Illustrissimus ille Princeps, & Civitatis amplissimæ Rector, & Dux summi, ac maximi Imperii insignibus quasi sacris vittis, atque infulis ornatus gravissimorum Civium, ac planè Principum comitatu septus, cum tibi longè obviam processisset, ad Senatum usque, & illam Curiam domicilium Imperii, ac totius Orbis terrarum perfugium, cum omnia templa, fora, vici, pontes, naves spectantium Civium, ac mulierum turba, & multitudine complerentur, summa cum lætitia, ac triumpho deduxit. Quem diem si diligenter considerare, ac reputare volueris, beatissimum certè tibi illuxisse existimare debebis. Nam si Pompejo summæ felicitati adnumeratum est, quòd cum ex gravi morbo levatus Romam rediret ab omnibus oppidis quacumque iter faceret, gratulandi causa obviam proditum est, quanto tu beatior existimandus es? cujus non felicitati, sed virtuti, ut homines congratularentur, ut te intuerentur, quem tantas res gessisse accepissent, ex omnibus locis, vicis, oppidis, pueri, senes, mares, fœminæ, omnis denique multitudo, omnis ordo, ac sexus effuderit?

Ac si M. Cicero tantâ se omnium Civium celebritate in Urbem restitutum, & in Capitolium deductum gloriatur, quod illi in seditione, ac luctu contigit, quanto magis efferri debes, cui pro tuis rebus gestis non in Capitolium ut illi, sed in Curiam amplissimam deductum fuisse ob eam causam contigit, quòd non ut ille seditione pulsus fuisset, sed quòd tantum Imperium servasses, & amplificasses? Mitto Principum crebras salutationes; mitto Collegiorum cunctorum, atque omnium ordinum visitationes laudationesque, quæ certè tot, ac tantæ fuerunt, ut Sylla ille felix, & habitus, & dictus in illa sua dictatura, & Imperio tantis laudibus concelebratus fuisse non existimetur. Prætereo dies festos, qui continenter per omnes dies acti sunt, quibus in ea Urbe, & tu, & Illustrissima Regina Uxor tua, tanta gloria, tot triumphis decorati quasi Dii quidam fuistis.

Sed faciam modum, neque enim tantæ felicitati, virtuti, tantis honoribus parem orationem non modo meam, sed ne ullius quidem clarissimi Oratoris inveniri posse arbitror. Sequitur illud tempus, in quo ut plus laboris, plus dimicationis, plus periculi, ita major industria, major diligentia, vigilantia, virtus tua, & apparuit, & nobilitatata est; non enim quamvis omnes mortales gloria, & rebus gestis viceris, non tamen mortalem conditionem, naturamque retinuisti. Est autem naturâ comparatum, & in eo maximæ conditionis nostræ imbecillitas declaratur, quod nulla liquida voluptas, nulla sincera oblectatio perpetuo cuiquam tributa est. Subeunt statim post voluptatem dolores, excipit jucunditatem mœror, lætitiam tristitia, quæ ita naturâ conjuncta sunt, ut raro immo verò nunquam alterum ab altero disjunctum inveniatur. Sed hoc interest inter stultum, & sapientem, quòd alter magno animo, & constanter utrumque perferre, ac perpeti solet, & bonus ille, & qui raro reperitur vir fortis, ac sapiens, ut calamitatibus non frangitur, ita rebus secundis non effertur; stultus semper sui similis, inæqualis, & inconstans loco cedit nunquam consistit, pellitur, vincitur, superatur. Itaque magni viri non illi sunt habendi, qui perpetua felicitate sunt usi, quam si æquo animo, quod paucis admodum contigit, pertulerunt, beatitudinem quamdam magna ex parte consecuti sunt. Illi, & habendi, & nominandi omni ex parte consummatè, ac perfectè felices, qui adversæ fortunæ aut non cesserunt, aut fortiter ferendo eam superaverunt.

Hactenus Princeps Illustrissime, etsi multis, ac magnis in rebus fortuna te exercuit, at tamen quia non omnes quid valeat virtus intelligunt, plerique prosperitatem tuam perpetuam intuentes, stultè illi quidem, sed tamen (ut dixi) plerique (ducitur enim multitudo errore opinionis) magis te fortunatum, quàm quod sapientes, ac pauci judicant fortem, ac magnum fuisse opinantur. Nec tamen eorum opinio penitus a vero abhorrere videtur intuenti, quotiens rem bene gesseris, quotiens hostem fuderis, quot Urbes, agros paucis diebus ceperis; sed si altera ex parte quis aciem ingenii intendat, & quibus hostibus usus sis, considerare velit, non magis fortunam tuam, quàm prudentiam, usum, magnitudinem animi collaudandam, & admirandam putabit.

Sed sit ita ut multitudo, si non verè tamen verisimiliter ad credendum adduci videtur, gesseris res omnes superiores duce fortuna, & tamen non comite non prudentia. Vindicet sibi in illis rebus majorem partem casus, qui tamen consiliis admisceri non solet. Sint interim prudentes conscientia sua virtutis tuæ contenti. Cedant inanis multitudinis levissimo judicio. Ea certè quæ secuta sunt nemo nisi planè stultus, & excors non omnia virtuti, magnanimitati, fortitudini, sapientiæ denique adjudicanda esse censebit. Nemo enim tam infestum inimicum, quemquam alioquin habuit, quàm tu adversam, & infensam fortunam expertus es. Nemo unquam Princeps, aut Rex, nulla unquam Respublica tot uno tempore hostes, tantis opibus præditos adversarios

Digitized by Google

sarios habuit, quot in te simul ingruerunt, atque impetum fecerunt. Qua tempestate nullius copiis, nullius ope, nullius auxiliis adjutus, nisi viribus tuis, tantum tamen animo, consilio valuisti, ut tantos impetus non solum fortiter exceperis, sed eluseris, atque perfregeris; nec eo solum fortuna contenta fuit, quæ Deos, atque homines in te concitaverat; quippe quæ tantum etiam efficere potuit, ut tui, quibus potissimum confidebas, quibus omnia credebas, non solum te desererent, sed etiam de inferenda tibi nece, & te prodendo hostibus cogitarent. Quorum insidias tamen tuâ prudentiâ ita subterfugisti, ita illorum dolis restitisti, ita non fortunæ succubuisti, ut eorum perfidiam, & improbitatem in ipsorum caput potissimum tuâ prudentiâ retorqueres, atque reflecteres.

At quo modo te imparatum fortuna deprehendit? de facienda pace continenter agebatur, & doli occultè struebantur. Tu de otio cogitabas, hostes bellum callide comparabant. Igitur anteaquam Venetiis discederes hostis (a), & adversarius ille tuus, quem tu semper magnificaciendo nunquam non superasti, profligasti, delesti, coactis maximis copiis Dux, atque Imperator Ecclesiæ delectus in agrum tuum irruptionem facit: Castella deficiunt, Oppida obsidentur, expugnantur, socii desciscunt; atque hic impetus ab una tantum Imperii tui parte suscipitur. Itaque magnis itineribus in Regnum profectus hosti occurris, conatus illius reprimis, Socios in fide retinens, denique quod nemo unquam credidisset, exiguis contractis copiis ferocissimum hostem retundis, congressus pari Marte interdum victor recedis. In quo facile est cognoscere justitiam, & humanitatem tuam, quia ita superioribus temporibus subditos tuos complexus fueras, ut nec religionis nomen, nec Deorum immortalium metus quemquam ab officio abducere potuerit. Credo Deos immortales pietatem animi tui respicere solitos non tam suorum perfidiæ, ac dolis, quàm constantiæ, & probitati tuæ consulere voluisse. Erant igitur subiti conatus hostium, & inopinati in agrum tuum incursus cum Deorum immortalium ope, tum virtute, animo, consilio tuo repulsi, atque refracti, & victorem omnium opinione victus eo redegeras, ut audaciæ illum suæ, & temeritatis aliquando pœniteret. Ecce nova, & incredibilis quædam tempestas, ac procella subito exorta est, quæ te inopinatum imparatumque omnium opinione jamjamque oppressura videretur. Quis enim tantis hostium copiis cinctum undique, ac circumventum resistere posse crediderit? Veniebat Rex (b) maximis, atque ornatissimis copiis instructus tanto nomine subnixus, tantis rebus gestis clarus, tantis victoriis, ac triumphis illustratus, ut ne illi quidem uni te obsistere posse verisimile esset: cujus opes cum animadverto, tantæ sunt, ut non modo satis exprimi verbis, aut copiosissima cujusquam oratione complecti, sed ne mente quidem, atque animo comprehendi facilè possint. Nam ut omittam Hispanias vetustum, ac patrium regnum, ut insulas multas, ac magnas silentio prætercam, ut hæc inquam omittam, quæ maxima per se Regna existimanda sunt; quid de Regno Apuliæ dixerim? cujus tantæ opes, tot auxilia sunt, ut maximos exercitus, & superioribus temporibus aluerit, & impræsentiarum ceteris Italiæ partibus omnium rerum copiâ longè antecellere judicetur? Sed quid ego potentiam, & vires hujus Regis commemoro, cum & vulgo notæ sint, & ex tuo ore permulti sæpissimè audiverint?

Erat igitur nemo, qui te illius impetum expectaturum crederet, præsertim cum eodem tempore, & ab Occidente infestissimus ille, ac potentissimus idem, & Socer (c), & hostis tuus graviter suis te copiis urgeret, a Meridie incumberet tot milibus equitum adversarius ille tuus, cujus virtute clarior semper factus es, a tergo, & ab Oriente non Regis copiæ maximæ, & instructissimæ, sed Regium nomen conjunctum religioni, ita te concluderet, ut nullo modo evadere nisi navim conscendisses, & Regnum reliquisses, posse videreris, idque non sine periculo. Non enim pedestribus solum copiis, sed classe quoque providus, atque opulentissimus Rex te aggrediendum censuerat. Quid faceres? quò te conferres? nihil erat, in quo spem ullam poneres, nisi in tuis illis exercitatissimis copiis, & veteranis Militibus, & Ducibus, quorum virtus, ac fides non solum te consolabatur, verum etiam sustentabat.

At præter spem, & opinionem tuam, cum omnia bello arderent, omnia ab hostibus tenerentur; duo totius exercitus Principes (d) ad hostes transfugiunt, duo millia equitum secum abducunt. O plagam ingentem, & eo majorem, quo magis præter opinionem acciderat, quam si hostes tanta rerum prosperitate, tam ad nutum fluentibus rebus accepissent, ab incœpto certè destitissent. Tu ab hostibus circumventus, a tuis desertus, ab omnibus proditus quid agis? Abjecisti credo animum, & statim de fuga cogitasti? minime id quidem; sed cum multitudini hostium resistere nullo modo posses, ita sensim impetus illorum clusisti, ut non prius ex agro pulsus discesseris, quàm tantas hostium copias, tantos exercitus, tot Duces, tot Imperatores in hyemem protraxisses. Ibi cum te in Urbem (e) munitissimam recepisses, & hostibus spem te ulterius persequendi abstulisti, & si quod necessarium videbatur propter anni tempus ex agro abduxissent metum, ne evistigio omnia recuperares, injecisti; quod quidem ut vidimus effectum est. Reductis enim copiis cum potentissimus ille Rex sese in Regnum recepisset, non te mœnibus Oppidi amplius continendum censuisti, sed eductis copiis, quas & exiguas, & diminutas, & inopiâ omnium rerum male habitas, vix collegeras, hostem (f) iniquo loco aggressus profligasti, pulsumque statim persecutus eadem hyeme magnam partem agri amissi recuperasti. O rem admirandam, & omnibus seculis merito, atque optimo jure celebrandam! Tu quem modo potentissimus non Italiæ solum, sed omnium gentium Rex, atque idem fortissimus, & summus Imperator adortus fuerat, Regno propemodum expulerat, quem hostes undique circumventum in manibus habebant, quem ne Dii

(a) Nicolaus Picininus.
(b) Rex Aragonum.
(c) Philippus Maria, Dux Mediolani.
(d) Troilus, P. Brunorius.
(e) Fanum.
(f) Nicolaum Picininum.

Dii quidem immortales ex hostium vi, & manibus eripere posse videbantur, refrigerato paulum impetu, vix ut ex tantis laboribus, & calamitatibus respirare posses, tantum animi, tantum spiritus subitò recipis, ut ex abjectissimo, perditissimo, profligatissimo, non solum victorem victus profligares, sed regnum tuum tam citò recuperares. Quod igitur ullum tantum tempus, quæ vetustas, quæ secula tam longa erunt, ut res tuas non dicam obliterare, seu obscurare aliqua ex parte possint, quæ omnium seculorum, ac temporum res gestas superaverunt. Gessit Populus Romanus res ille quidem maximas, & penè incredibiles; sed quis Prætor, aut Imperator in Italia adversùs tot Duces, tot populos, tantas copias eodem tempore bellum gessit? Irrupit Annybal Italiam, eamque incendiis, rapinis, omni clade vastavit, ac perdidit; cesserunt illi Duces, cesserunt Imperatores; tandem Italiâ non tam pulsus a Populo Romano, quàm Patriæ calamitatibus retractus est. Tu (te cum appello exiguarum copiarum Ducem nomino) non modo tot Ducibus fortissimo, & clarissimo Imperatori non cessisti, sed Regios impetus etiam contempsisti. At cujus Regis? qui & tribus Regnis abundaret; & ipse maximo animo præstanti prudentia præditus, nullum unquam tantum facinus, nullum tantum cœptum suscepisset, quod non fortissimè perfecisset; qui adversâ belli fortunâ captus, tantum tamen animo valuit, ut victus victoriam ipsam patientia, atque omnium rerum tolerantia vinceret. Laudatur Africanus, quòd Annybalem sub ipsius Patriæ mœnibus prœlio superarit. Tollitur in Cœlum L. Scipio quòd Antiochum Græcia pulsum in Asia, & in Regno suo fuderit, & pacis conditiones subire coëgerit, & meritò quidem collaudantur; res enim eas ediderunt, quæ æternis literarum monumentis traderentur; attamen nec res illæ tantæ sunt, ut cum tuis jure optimo conferri possint. Illis cum uno, vel Hoste, vel Populo res fuit, tibi cum pluribus, & eodem tempore. Illi adversùs barbaros, & belli ignaros; tibi adversùs Italos hoc est belli peritissimos, atque audacissimos belligerandum fuit; quòd si tantam laudem, & nominis celebritatem consecuti sunt, quòd unum, aut Regem, aut Imperatorem pepulerunt, quibus tu laudibus efferendus es, qui non unum Regem (*), sed tres Reges, maximum præterea Principem, ac Tyrannum (**) viceris? Quæ cum ita sint, non suscipiam, ut tantam rerum amplitudinem verbis expoliam, quam omnis posteritas, & memoria excipiet, & sempiternæ gloriæ commendabit. Itaque ut eò unde digressa est, revertatur Oratio, profligatis hostibus, Rege in Regnum suum rejecto, totam hyemem ita te gessisti, ut multa Castella, multa Oppida, quæ præsidiis hostium tenebantur, adverso anni tempore summa virtute, ac patientia militum in potestatem redigeres.

Interim suas opes, & copias hostis ad annum insequentem diligentissimè comparat. Communicant auxilia, contrahunt vires, major impetus, & quo pauciores Duces, eo fortasse vehementior etiam vis imminet, atque impendet. Rex quamquam ipse bello abesse constituit, equites tamen, atque auxilia summittit, atque suppeditat. Fit rursus in Regnum tuum impetus, diripitur ager, Castella capiuntur; multi opibus tuis diffisi hostibus sese adjungunt. Erant res tuæ eò deductæ, ut nemo dubitaret, quin brevi Regnum amitteres; defecerat Asculum; Frater, & universæ copiæ superati, atque deleti erant. A tergo, ac lateribus diversæ hostium copiæ premebant, nec resistere ullo modo poteras, ut hostis sedendo bellum conficeret; quæ cum pro tua prudentia, & singulari rerum usu cognosceres, quòd in rebus arduis facere necesse est, consilium cepisti magìs necessarium quàm prudens, magìs callidum, & periculosum, quàm tutum, ac providum.

Cùm esset hostium maximus, & instructissimus exercitus loco tutissimo positus, quos ad pugnam compellere non poteras, consilio ad prœlium elicuisti. Præmissis itaque, qui manum confererent, fortuna bellorum maximè gerendorum domina te voti compotem reddidit. Cùm omnes copias produxissent, quamquam suo loco pugnarent, tamen præter opinionem adeptus, quod magnopere cupiebas, pugnandi potestatem, tanto impetu prœlium ingressus es, ut arduo, ac difficili loco subiens hostes profligaris, Castris exueris, omnibus impedimentis spoliaris, magnam partem concideris, ceperis, in potestatem redegeris. Quis hanc victoriam dignis laudibus prosequi possit? quod factum huic comparabimus? in quo tantum momenti fuit, ut superiora viam tantummodo ad vincendum struxerint, hoc extremum victoriam solum dederit, & Imperium tuum ita confirmaverit, ut qui antea multorum potentiam formidabas, nunc unus omnibus formidinem, ac metum incuteres.

Dabis mihi hanc veniam Princeps Illustrissime, si res tuas breviter perstrinxero. Non enim historiam scribere institui, ut eas ordine digerere in animo habeam, nec enim id mihi arrogem. Nihil tamen potius optem, quam mihi eam facultatem dari, ut quod permulti in minoribus, & personis, & rebus fecerunt, id mihi in tuis, vel amplissimis, vel numerosissimis rebus peragendi vis, & copia adsit. Sed propositum est mihi facta tua non tam ornare verbis, quàm cito strictimque percurrere, tantum ne te fastidio, ac tœdio afficiam, & studium meum, quo vel flagrantissimo illustrandæ tuæ laudis exardesco, non ingenium, aut vires, quæ perexigua in me sunt, aliqua ex parte tibi ostentem; quare si convenientes orationis apparatus in hac mea oratione desiderabis, nihil pro tua prudentia amplius, quàm aut possim, aut præstare instituerim, a me requires.

Ad institutum igitur pergam, & ea brevissimè prosequar, quæ tot tantas tam illustres victorias consecuta sunt; quæ dum intueor, ac mente perlustro, opprimor animo, & rerum magnitudini succumbo. Nam superioribus bellis etsi in rerum omnium certamen, atque discrimen deductus fuisti, aliquos tamen in rebus tuis dubiis adjutores habuisti; hoc bello quod maximum, periculosissimum secutum est, omnibus auxiliis, præsidiisque destitutus, ac desertus, omnes spes opesque in tua prudentia, & virtute collocatas tenuisti, nihilque habuit fortuna, quod in te contumeliosius efficere posset. Nam quod unum tibi præ-

(*) Rex Aragonum.

(**) Dux Mediolani.

Digitized by Google

præsidium superiore bello casus reliquerat generum tuum (*), virum acerrimum, atque omnium audacissimum, cujus in maximis periculis tuis tunc fidem expertus non succubueras, hunc anno sequenti acerbissimum infestissimumque hostem habuisti, ut unde aliqua salutis spes affulsisse debuit, inde certissima pestis, ac pernicies etiam tibi, & imperio tuo immineret. Novo igitur socio recentibus, & inopinatis auxiliis aucti, ac recreati veteres hostes, undique ex insperato fines regni tui rursus adoriuntur.

A

Signa Ecclesiæ, Diis Ducibus, adversùs te inferuntur; quis hoc loco non incredibili quadam admiratione teneatur, cùm animadvertat tantum abfuisse, ut regnum relinqueres, aut fugeres, ut etiam infirmissimis quibusque locis, debilissimis vel vicis, vel Castellis substiteris, & plusquam sexdecim millium equitum impetum iniquissimis locis sustinueris; qua in re illud sanè admirabile, vel potiùs incredibile judicandum est, & priscis illis etiam temporibus inauditum: Tantum exercitum, tot copias nunquam pedem progressos fuisse, nisi tu prius ex guis copiis contritis, ac penè consumptis cibariorum inopiâ coactus, vel judicio, vel necessitate cessisses.

B

Nunquam illi te loco moverunt, nunquam Castellum, aut Vicum, ubi tuas copias subduxisses, adoriri ausi sunt, ut non tu hostibus, sed inopiæ succubuisse merito judicandus sis. Itaque quod tot Duces, tot Imperatores interdum pudeat, virtute, ac prudentia tua totum æstivorum tempus ita extractum est, ut illi prius dilabendi, & in hyberna conferendi sese consilium ceperint, quàm te, & copias tuas ex eo loco ubi demum constitisses detrahere, ac depellere potuissent. Sed in omnibus rebus tuis cum mecum considero, nihil admirabilius videri solet, quàm constantia, gravitas, magnitudo animi, atque consilii. Solent enim alii calamitatibus oppressi vehementius commoveri, ut metu, & perturbatione vexati, atque perculsi animum ad cogitandum instituere non possint.

C

Nec mirum: tanta est enim vis timoris, ac formidinis, ut exanimati, & quasi mente capti esse videantur. Tibi verò uni hoc præcipuè datum, ut in summis periculis maximè prudens, & sapientissimus invenireris. Cujus enim consilio factum fuisse existimamus, ut orta inter hostes tuos mutua suspicio vires eorum distractas diminueret? quis unquam inventus est, qui inimicos suos dissimulans callidius ulcisceretur? Quo quomodo res se habeat, licet enim liberè cuicumque opinari quod velit. Illud certè inter omnes constat, sublatis de medio duobus Ducibus perfidissimis, (**) altero etiam acerrimo, & acerbissimo inimico tuo accidisse, ut divulsis, ac disjectis hostium copiis res tuæ superiores fierent; & qui hactenus, vel pulsus, vel obsessus cessisses, Castella hostium gravissimo anni tempore obsideres. Ubi quamquam singularis hostium virtus, vel obstinatio potius extitit, redegisses tamen eos in potestatem, nisi iniquissimis, ac spurcissimis tempestatibus oppressus, necessario militibus tuis diuturnitate belli defessis, ac propemodum confectis consulendum putasses.

D

E

Nullum est tuum factum, Illustrissime Princeps, quod non exquisitissimum dicendi genus exposceret, in quo non summa virtus, labor, industria, patientia in primis eluxerit; sed, ut modo dixi, non solum multitudine rerum, quæ semper majores, & admirabiliores excipiunt, sed etiam temporis angustiis, consulto tamen, ne quid tibi molestiæ afferam, quo minus animo meo obsequi possim, vel excludor, vel impedior.

Hactenus Illustrissime Princeps, multa, ac maxima fortitudinis, prudentiæ, magnitudinis animi, liberalitatis, munificentiæ, amplissimarum denique virtutum documenta dedisti, indoles a primis annis explenduit. Post mortem patris labor, industria, singularis denique in administrando prudentia, in gerendis, & magnis, & multiplicibus bellis consilium, atque animus in adversitatibus egregia animi fortitudo, & sapientia sese ostendit. Erant tamen (fieri enim non potest, ut non sint hominum diversa studia, & voluntates, atque ita naturâ comparatum est, ut quo quisque vir melior est, quo clarior, quo illustrior, nescio quo vitio naturæ, qua perversitate animorum plures invidos, & obtrectatores inveniat); erant inquam permulti (maximus est enim error multitudinis, cœcum, stultumque judicium); non defuerunt inquam, qui alioquin fidem tuam desiderarent, & hi maximè, qui nec ingenio tantum valebant, ut quæ gererentur cognoscere, atque arbitrari possent, etsi intelligerent, studiis tamen partium occœcati res justissimè, sapientissimeque abste factas in pejorem partem traherent, atque reprehenderent; quorum levitas, & stultissimum vanissimumque judicium, quamquam rebus tuis nihil officeret, semperque quibus maximè favisses, paucorum, ac nobilium judiciis studiisque contentus esses, qui omnibus in locis pro te starent, & pro laude, ac dignitate tua pugnarent; attamen benè tecum actum esse existimo, & ad felicitatem vehementer pertinere arbitror, ea tempora incidisse, quibus tua pietas, fides, constantia potissimum cognosci posset. Tamdiu enim inclyto Principi Socero tuo repugnandum censuisti, quàmdiu ille te non ut debuit pie, indulgenterque tractavit, quàmdiu inimicos tuos pluris quàm te fecit. Conscius enim animi, studii, pietatis erga illum tuæ, virtutis, atque ingenii, indignum esse judicasti, ei te parere, ac subjectum esse, quem omnibus rebus, vel viribus, vel sapientia, vel nobilitate, vel nova certè affinitate, omnibus inquam rebus nisi solis annis, & ætate superares. Hoc neque ferendum putasti, neque ferendum esse in animum induxisti.

Tua virtute, ac tuo marte Regnum tibi comparasti. Ostendisti Socero tuo plus in te aliquanto esse, quàm vel ætas, vel anni ferrent, nec virtutem annis solis reputandam esse: Complures Senes, & stultos, & deliros plerunque inveniri solere. Brevi denique effecisti, ut quem ille ut debuit non dilexisset, eum ut meritus esset, formidaret; in quo tamen singularis in te pietas animadversa est, qui cum posses, nunquam illum funditus delere, ac perdere; sed ad sanitatem reducere studuisti, donec eo res deducta est, ut tuis consiliis ad extremum deductus, ad te confugere cogeretur, te deprecari, a te auxilium, atque opem petere; quo quidem tempore quis fortunam tuam non admiretur? Quid enim feli-

(*) D. Sigismundus.

(**) Jacobus Gaivanus, Tallianus.

felicius tibi contingere potuit ? quàm ut eodem tempore, & fidei tuæ, quam semper sanctissimè coluisti, consuleres & pietati: fides postulabat, ut adversarios, & Soceri tui hostes prosperis tuis rebus adjuvares, pietas contra revocabat; ac ne vetustum Soceri tui Regnum funditus everteretur, succurrendum esse admonebat.

Vide quid casus attulit, quantum fortuna tua potuit, quæ in utramque partem, ut cum te persecuta est, & exercuit, in nullum unquam sævior fuit. Sic ubi te respexit, tibi aspiravit, nemini unquam magis indulsit; ita eos reliquisti, quibus te, & voluntas, & necessitas junxerat, ut non modo aliorum, sed eorum quoque judicio, qui sana mente essent (nam nulla unquam gens æquior, aut justior fuit) pietas, & justitia vehementer probaretur. Ex quo effectum est, ut qui in summa rerum omnium desperatione constitutus esset, qui suis penitus diffideret, certissimam spem retinendi, & recuperandi Regni sui in te collocaret. Diripiebatur ager, Castella oppugnabantur, ad Urbem ipsam, quod multis antea seculis non acciderat, instructo exercitu hostis accesserat: Parum aberat, quin Civitas obsessa teneretur. Interim copias tuas variis bellis comminutas instruis, ac reficis.

Sola expectatio nominis tui reliquas Civitates in fide retinet. Socer tuus harum rerum insolens, qui semper in aliorum finibus bellum gerere consuesset, nova rerum facie, ac specie perturbatus, te desiderat, te requirit, nunquam diem illum futurum putat, quo dubiis suis rebus auxilium feras. Deerant pecuniæ, quibus inopiam tuam sublevaret, quam ipse sua non dicam stultitia (neque enim hoc verbum in tantam sapientiam, ac majestatem cadere potest) sed certè obstinatione, atque animi pertinacia ipse in perniciem, & in caput suum imprudens confecerat; quo circa pendens animi semper rebus secundis assuetus, parum fidens, & animum tuum fortasse ex suo judicans, affectus ætate homo, atque idem Princeps parum prospera valitudine utens, ægritudine, ac metu confectus in morbum incidit. Paucis diebus cum agmen tuum jam in Galliam pervenisset, moritur.

Hoc loco recognosce Princeps Illustrissime præstantissimam illam tuam animi magnitudinem, atque constantiam; retulisti credo pedem, eo nuntio, tam inopinato, tam tristi repente perculsus, cum tibi in mentem veniret, quod erat necesse, morte Principis omnia perturbata esse: Inimicos tuos, ac perpetuos hostes contra hostes stare, quibus minus credere posses, quam hostibus tuis, urgere adversariorum copias. Duas Urbes opportunissimas, & opulentissimas (a) evestigio defecisse, flumina, pontes, aditus omnes ab hostibus teneri: omnia infesta, omnia suspicionibus, omnia periculis completa esse. O singulare ingenii acumen, o prudentiam admirabilem, o magnitudinem animi inenarrandam! In vestigio, ac puncto temporis, quod vix Deorum immortalium ope fieri posse videretur, rem tam impeditam, atque intricatam momento inquam temporis ita expedisti, atque explicasti, ut & inimicissimos tibi conjunctissimos redderes, & maximis hostium copiis te offerres, & paucis diebus superato flumine munitissimum Castellum (b) e manibus hostium, & e faucibus eriperes, quod quidem principium fuit, & origo omnium victoriarum tuarum.

Ex illo enim adeò fortuna conversa est, ut qui victores adhuc libere, longe, lateque vagati essent (facile est enim, ut dicitur, vincere non repugnantes) de se timere, ac rebus suis diffidere inciperent. Ita quem modo omnes afflictum, ac perditum judicabant, de repente ita erectum, exci atumque viderunt, ut hostes bene secum actum esse existimarent, si omni victoriæ spe dejecti suis se finibus tutarentur; atque hæc omnia æstate, ac paucis diebus ita gesta sunt, ut multorum annorum rebus comparanda sint. Itaque in hyberna concessum est. Hinc illa mirabilia, ac propè divina consecuta sunt; nihil intentatum, nihil inexpertum relinquunt hostes, & quem terrestribus copiis invictum animadvertunt, comparata magna, atque ornatissima classe adoriendum, superandumque aggrediuntur. At tu quam primum ponte facto, & turribus in ipsis Padi vorticibus excitatis, & ab utraque fluminis parte ripa munita, & transitum, spemque suppeditandi auxilii hostibus adimis, & copias tuas traducendi facultatem tibi struis, & comparas. Iis rebus confectis exercitu statim trajecto, præsidio firmo ad pontem relicto, ad obsidendam Placentiam nulla mora interposita contendis. Non dicam hoc loco quot prælia edideris quibus munitionibus Urbem maximam cinxeris, ut omni aditu intercluso omnem spem auxiliorum obsessis ademeris; quæ quamquam magna sunt, præsertim firmo præsidio Urbe munita, in conspectu prope hostium, qui in altera ripa conspecti, ac sese ultro offerentes certam auxiliorum spem suis præbebant, & ad perferendam obsidionem animos confirmabant. Illa taceri non possunt, in quibus de vita tua in periculum ventum est. Tanto enim impetu hostes aliquotiens eruperunt, ut copias tuas, quæ necessitate distractæ diversas Urbis partes obsidebant, in periculum adducerent. Tuque eodem tempore tormento propemodum ictus, nisi te tua fata servassent, casurus illo die fueris; Quare incitatus oppugnata Urbe, cum tandem virtute, ac pertinacia militum munitissimum locum expugnasses, momento temporis dejectis hostibus, mœnibus potitus, Urbem irrupisti, eamque militibus tuis, quod eam operam tibi navaverant, diripiendam dedisti. Hic tuam animi lenitatem consuetamque misericordiam nonnulli desiderant; qui si inopiam tuam, si militum desperationem, summamque rerum omnium penuriam intueri voluerint, luce clarius videbunt, te ad eam rem invitum, ac necessario non voluntate, nec proposito descendisse. Nemo enim, ut multis, ac maximis bellis cognitum est, lenior te unquam fuit, nemo mitior, nemo humanior; sed ita res, ita ratio postulabat, ut quos mercede retinere non poteras, eos suo saltem labore, suis præmiis non fraudares. Aut enim tibi succumbendum fuit, si te deseruissent, aut eorum, vel inopiæ, vel cupiditati indulgendum fuit. Quid quod alii præterea erant Duces, quorum si studia conservare volebas, multa de tuo jure danda erant.

Nec tu quamquam id tibi cordi fuisset, quid-

(a) Placentia, Laus-Pompeja.

(b) S. Columbanum.

quidque si in tua manu fuisset, non dubito quin effecturus fueris, tamen consentientis Populi (a) voluntati, & consensui obstare potuisses. Magnum verò lenitatis, & mansuetudinis, qua in eis tum conservandis usus es (non enim minus Urbis captæ calamitatem indoluisti, quàm ille M. Marcellus olim antiquissimam, & maximam Urbem Syracusas diripiendam indoluisse fertur) magnum inquam bonitatis, ac mansuetudinis tuæ argumentum fuit, quod postea cum tuis auspiciis rem agere, & justissimum adversùs callidissimos, & ingratissimos hostes tuos bellum gerere cœpisses, simulatque id acceperunt, sine ulla dubitatione sese tibi adjunxerunt, & beneficiis tuis pares gratias retulerunt. Quid reliqua commemorem? Neque enim quod tempus militibus ad requiem datum est, ullam hyemis partem otiosam, & vacuam traducere potuisti. Instabat ingens illa, atque instructissima classis, quæ te sollicitum maximè haberet, quam nec per anni tempus adoriri licebat, nec longius te ad alias res gerendas discedere permittebat. Nec tamen expectato anni tempore agrum hostium ingressus, multa loca opportuna, quæ præsidiis hostium tenebantur, impetu facto adortus recepisti, quæ postea bello gerendo, vel producendo, magno usui fuerunt; neque enim prudentiam tuam fugiebat, si hostis ea tenuisset fore, ut in finibus tuis bellum gereretur. Itaque iis præoccupatis, Cassianum arcem, ac receptaculum totius belli, locum munitissimum aggressus, quod simile monstri fuit, primo impetu expugnasti; & quod multis laboribus innumerabilibus operis, multorum mensium spacio hostes effecerant, id tu horæ momento, cum primus mœnia, ac vallum conscendisses, exemplo, ac periculo tuo concitatis militibus novo clarissimorum Imperatorum, ac veteri exemplo, dejectis propugnatoribus expugnasti. Quæ res incredibilis auditu verbis certè inenarrabilis, tantum terroris hostibus tuis injecit, ut ex illo jam totius anni eventus prospici, ac provideri posset. Omnia enim similia principiis consecuta sunt; quæcumque enim iter fecisti Castellis subito expugnatis, ac direptis, incredibili ac propemodum Cæsariana celeritate classem hostium inopinato adventu turbatam nocturno tempore adortus, partim depressisti, partim incendisti, partim in potestatem redegisti. In quo cum prudentia tua vehementer laudari possit; in primis magnitudo animi, ac præsentia commendari satis non potest. Quis enim præter te, qui facta cogitatis paria semper præstitisti, quem quidam nimis diligentem, & cautum arbitrantur, & rectè judicant; neminem enim ne ex antiquis illis quidem Imperatoribus prudentiorem, aut peritiorem te proferre facilè possumus; sed diligentiam tuam timiditati nunquam adjunctam vidimus; Quis unquam, te excepto, cùm maximus exercitus hostium a tergo premeret, atque instaret, in eas angustias se compulisset? Quod tamen non temere, ut postea eventus docuit, factum est. Prius enim classem expugnasti, quam penè nuntius ea de re ad exercitum hostium pervenisset. Nec te fefellit opinio. Nam cùm ceteri Duces periculum prospicientes, consilium tuum fortasse reprehenderent, dixisse te ferunt: Prius quod volo effectum dabo, quam quid faciundum sit hostibus meis constiterit. Ita re bene gesta, maxima victoria potitus, eodem die te recepisti, nec hosti copiam dedisti, ut quod animosè, nec tamen temerè effecisses, id stultè suscepisse videreris. Reliquum erat, ut Castellum (b) firmissimo præsidio munitum reciperes, quandoquidem hostis pugnandi copiam non faceret, id quod omni ratione, atque omnibus votis exoptabas. Fretus enim artibus, ac prudentia tua, & veteranis illis militibus tuis, quamquam numero inferior esses, tamen rem prælio decernere, & fortunæ committere non dubitabas, quod illi detrectando cum maximè fugerent, imprudentes, incautique inciderunt. Erat autem res ejusmodi, ut si Castellum illud expugnasses, quod difficillimum, ac periculosissimum esse videbatur, necesse esset hosti intra fines suos sese recipere, & impetus tuos expectare. Ita quamquam a tergo tibi semper instarent, nec te unquam consistere, aut requiescere paterentur, magnis itineribus profectus, id quod maximè suspicabantur, ac timebant, castris positis Castellum obsidere instituisti. Hic omnis belli vis, omnis certaminis summa collata est: hic uter superasset, uter vicisset, totius belli fine ulla controversia facilè potiretur. Aut enim Castello capto bellum in finibus suis accipiendum erat, aut retento & te inde repulso, nusquam tibi citra Abduam consistendi facultas erat.

Quod cùm prudentiam tuam non fugeret, rem arduam, atque omnium difficillimam aggressus es. Quid enim difficilius quam ea industria ibi castra ponere, ubi planè ab hostibus circumventus sis? Imminebant a tergo maximæ, & ornatissimæ hostium copiæ, quæ quotidie te lacesserent, nunquam quietum, aut otiosum esse paterentur. E Castello continentibus eruptionibus impetus in castra diurni, nocturnique fiebant. Nihil usquam tutum, omnia sollicita, noctes ac dies milites in armis esse cogebantur. At tamen in tanto rerum discrimine, ac periculo, eadem quæ semper in maximis, ac dubiis rebus præsentia, ac magnitudo animi cum adesset, impetus non modo sustinebas, sed cum alteros Castello erumpere prohiberes, cum alteris ita rem gerebas, ut ex omnibus præliis quotidie victoriam reportares. Interim aggeres struere, fossas ducere, castra turribus frequentissimis munire, die, ac nocte continentibus operibus, ac vallo circumdare non intermisisti, donec omnibus rebus confectis, instante, atque urgente hoste omnem spem oppidanis resistendi eripuisti. Quid hoc loco pugnas, quid equorum, atque equitum cædes, ac strages commemorem? Quid militum tuorum facinora, virtutem, animos verbis extollam? cum nullus dies unquam præteriisset, quin fortissimè pertinacissimeque utrimque pugnaretur. Erat in medio utriusque exercitus exiguus ferè campus. Nam castra castris propemodum conjuncta erant. Hic sæpenumero, immo verò quotidie equestria prælia committebantur, quibus ita hostes afflixisti, ut magnam partem pedestria stipendia mereri, ac pedibus pugnare coegeris. Integras nonnunquam alas equitum, ac turmas equis spoliatas armis reliquis

(a) Mediolanenses.

(b) Caravagium.

lisque dejeceris, idque sinè detrimento tuorum callidè, ac scienter efficeres. Nam cùm levis armaturæ copiâ abundares, semper ad pugnam, qui hostes allicerent, summittebas. Funditorum interim, atque hastatorum magnam vim idoneis locis collocabas, qui commisso prælio in hostes a lateribus jacularentur, alii a fronte equos sauciarent. Quibus rebus paucis diebus tantum consecutus es, ut diminutis, ac perditis hostium copiis jam nihil aliud magis optares, quàm signis collatis universis copiis depugnare, & rem fortunæ committere. Quid ea commemorem hoc loco, quæ ab hostibus facta sunt? Quam nihil prætermissum, quam omnia tentata, excogitata sunt, ut te ex eo loco depellerent. Lapides diu noctuque in castra tormentis conjecti, turres excitatæ, fossæ ductæ, insidiæ positæ, nihil quod aut vires efficere, aut ingenium invenire, aut consequi potuit, non expertum; sed omnia frustra conati sunt, adeo omnibus rebus abs te, & provisum, & occursum est. Itaque sedendo, & Castellum expugnabas, & castra hostium continentibus præliis (non enim fortunam tentare, & si quid se melius daret experiri intermittebant) vexabas, & exhauriebas; ita enim munitionibus tuis effeceras, ut iniquo loco hostes semper congrederentur. Nunquam igitur sinè summo suorum detrimento, sinè maxima, & equorum, & peditum cæde e pugna discessum est, cum nox prælium sæpè dirimeret. Itaque tantum erat in hostium castris mœroris, tantum desperationis, ut victoriam plerique tibi optarent infestis suis, quòd iniquissimo loco, in summo rerum discrimine tanquam pecudes feris, ac leonibus dilaniandi, ac trucidandi objicerentur. Contra rebus secundis adeò animi tuorum efferebantur, tanta erat omnium lætitia, tantopere exultabant, ut victoriam in manibus tenere viderentur. Atque hæc omnia ab initio infesta tibi atque adversa, hostibus læta, ac prolixa, prudentia tua atque animi magnitudine conversa, & immutata sunt. Hæc sunt illa, quæ feruntur magnorum Imperatorum stratagemmata: Manu vincere, & exercitus hostium profligare ignavis etiam, ac stultis casu aliquo sæpè contingit; iniquo loco, parvis copiis rem benè gerere, non id ego jam boni Imperatoris, sed divini hominis esse arbitror. Conatus est in Epyro idem C. Cæsar parvis suis copiis in Pompejo, verum rebus contrarie affectis, ille parvo exercitu maximas Pompeji copias munitionibus concludere, & inopia pabulandi, ac frumentandi conficere aggressus est. Hic contra, multi paucos non tam intercludere, quàm pellere conati sunt. Idem tamen in rebus adversis exitus extitit.

Nam ut Pompejus disjectis Cæsaris munitionibus tantum abfuit, ut obsideretur, ut etiam magna clade Cæsarem affecerit, quo die sanè nullus Imperator fuit; potuit enim si quid animi, aut prudentiæ illo die habuisset, bellum conficere, & Cæsarem profligare. Sic hostes tui conatus suos sibi ipsis infestos semper fuisse senserunt, & cum te pellere ex eo loco struderent, maximis cladibus affecti eodem in loco retinuerunt. Illud profectò constat, toto bello, quod vigesimum annum geritur, cum de Imperio Galliæ decertatur, nec A plura, nec acriora prælia commissa fuisse, nec ubi tantum cædis, tantum sanguinis effunderetur, tot pedites, tot equites caderent. Quibus omnibus superior concessu hostium maximus omnium Imperator, jam non erat dubium, quin paucis diebus, Castellum expugnaturus esses. Desperatis igitur rebus; etenim turpè videbatur non modo periculosum, Socios deserere, & nullo urgente refugere, præsertim tot Duces, tot legiones (erat enim, pace tua dixerim, lectissimus ille, & sive Ducum splendore, sive Principum claritudine, sive Militum genere. Erat, inquam, ille lectissimus Exercitus, & exercitatissimæ B copiæ) consilium capiunt, & callidum, ut tum videbatur, & maximè necessarium; neque enim alio pacto laudem, & gloriam suam retinere poterant. Itaque incautum, atque imparatum (sic enim opinabantur) a tergo adoriuntur. Hic diligentia tua, cautio, prudentia, circumspectio maximè claruit. Nam cum omnia prius cognoscenda, explorandaque curassent, priusquam in eum locum copias dimitterent, atque omnia facilia, atque expedita esse renunciarentur, in angustias deducti facilè cognoverunt, id quod antea intelligebant, neminem unquam ex omnibus seculis, Imperatorem C fuisse, qui accuratius, aut diligentius & suis prospiceret, & virilius, ac fortius hostes aggrederetur, & impugnaret. Attamen munitiones tuas, & claustra refringere conati, quibus omnia patere, atque adeo aperta esse arbitrati erant, tamen tanta, fuit cohortis tuæ (etenim proximè Prætorium tuum accesserant), tanta, inquam fuit cohortis tuæ virtus, tantus familiæ animus, tanta in sapientissimo, & fortissimo Viro fratre tuo (a) celeritas, audacia, magnitudo animi, ut tamdiu hostium impetum sustinerent, donec ex omnibus castris clamore audito concursus fieret. Quod si quid negligentiæ, ut solet, D in muniendis castris fuisset, actum de Imperio tuo erat.

Sed ut alia permulta, sic & illud nunquam commisisti, ut dicere posses, non putaram, in quo adversarii maximè reprehendi possunt; sed clades illa, & calamitas corrigi non potest, quæ scilicet tanta fuit, ut momento temporis fusi, atque deletis omnibus copiis funditus opprimerentur, pulsi, prostrati, cæsi, & magna ex parte cum omnibus impedimentis capti, castris exuti, victoriam tibi maximam, celeberrimamque relinquerent, quam si quis fortunæ tuæ attribuit, parum considerate, & sentit, & loquitur. E Id enim casu accidisse existimandum est, unde consilium abest. Tua verò omnia plena consilii, plena diligentiæ, plena animi reperiuntur. Hostium contra consilia, ut audacia, sic stulta, ac temeraria exitus fuisse declarat. Quis hujus victoriæ casum satis admirari, quis opportunitatem verbis exequi, quis cladis magnitudinem percensere satis posset?

Nemo erat, qui summum illud, & justissimum Imperium Venetorum in summum

(a) D. Alexandro.

Digitized by Google

mum periculum, & extremum discrimen Ducum imperitiâ deductum non arbitraretur. Sed profectò Dii sunt, qui humanas res administrant, atque disponunt; vos autem Imperatores nutu, ac voluntate Deorum exequendis, atque obeundis maximis rebus præfecti estis, ut non quemadmodum cogitatis, aut vultis; sed quemadmodum illi concedunt, ac permittunt, plerumque omnia succedant.

Erant Mediolanenses, quorum tunc Imperator, nunc idem justissimus hostis es, indigni tanta fortuna. Quippe qui pacem simulantes, pacem cupientes, Venetos turpissimè delusissent, atque decepissent, qui ut dignis pœnis pro suis sceleribus afficerentur, B ea adversùs te moliri, ac suscipere conati sunt; quibus patefactis bellum potissimum in eos converteres, teque illis (a) adjungeres, qui cupidi pacis, indignissima clade per te affecti fuissent, ut tuas simul, atque illorum injurias persequereris, & vetustum Imperium, quod tibi jure, ac legibus justissimè cederet, interceptum aversumque, bello, atque armis comparares. Compertis igitur insidiis, quas ingratissimi homines vitæ tuæ minime suspicioso victoriæ tempore occultè, & callidè struere conabantur, inita cum illis Societate, quorum Imperium jam bis ab interitu vindicasses, C partim tuis copiis, partim Sociorum auxiliis instructus, bellum maximum, ac justissimum suscepisti, quod tanta prosperitate, tantoque successu adhuc geris, ut ad finem usque propemodum perduxisse videaris. Sed quoniam nonnulli sunt, qui etiam si Mediolanenses suspitione abste alienatos fuisse putent, tamen hoc Regnum minimè ad te pertinere contendant. Iis ego prius breviter respondendum arbitror, deinde secundos eventus rerum, ac felicitatem tuam, & res in hoc bello prosperè gestas paucis commemorandas esse puto, quibus facilè apparere possit, non solum legibus, & humano jure, sed Deorum D quoque immortalium favore ac numine hujus Civitatis imperium tibi potissimum deberi, atque deferri. Quod ajunt stultissimi homines, aut quid afferunt, quamobrem hujus Imperii jus ad te maximè non pertineat? Non potuisse, inquiunt, populum liberum alteri per manus tradere, nec fuisse illud Imperium suum, nullum illi marem filium relictum esse. Denique qui obiisset, eum heredem non reliquisse. Quæ quidem ut frivola, sic falsa esse quis non intelligat?

Nam ut ab ultimo incipiam; cujus unquam legislatoris mens, ac voluntas tam clara, atque aperta extitit, quam E illustrissimi Soceri tui voluntas omnibus testata fuit? qui non in ipso vitæ fine, in quo nihil sæpè judicii, nihil tranquilli, nihil rationis impediente morbo teneri potest; sed ab initio ubi te primum generum suum delegit, testamento heredem instituit. Te ex illo non ut copiarum suarum Ducem multis temporibus, sed ut filium habuit, atque tractavit. Nunquam tamen ita te impugnavit, ut affli-

A geret, nunquam ita alienavit, ut non semper retinere quæreret; nunquam ita afflictum vidit, ut non erexerit. Non quo id soli tibi tribueret, sed quia salutem suam a tua disjunctam consistere non posse intelligebat. Cujus rei argumenta cum tua summa laude, ac fide, etsi multa afferri, ac numerari possent, tamen iis hoc loco utendum esse non arbitror, præsertim cum & in promptu sint, & fidem, ac pietatem tuam comprobent, atque collaudent. Non enim tam ejus saluti, quàm tuæ laudi omnibus in bellis consulendum esse censuisti. Sed tamen etsi justissimas sæpè causas haberes, quantum pudor tuus, quantum fides, quantum existimatio permisit, illius saluti prospiciendum esse duxisti. Denique tua sapientia, ac virtute sic eum tamquam in orbem rationis redegeras, ut quod & tibi pollicitus esset, & deberet, ultro deferret, atque præstaret. Nam cum ex Gallia ulteriore summo suo periculo, ac perditissimis rebus paratissima, & maxima auxilia habere posset, non ne ad te confugere maluit? Credo scilicet, quia ut homines stultissimi afferunt, alieno animo a te erat, ac non potius summa senectute, & gravissima valitudine eo animo te revocaret, ut quoniam liberos non haberet, quibus per manus Imperium traderet, tibi, ac Nepotibus suis jure, ac legitimè committeret. Quod si more, ac legibus Romanis filiæ parentibus jure succedunt, quid causæ est, cur liberi ex generosissima matre suscepti Imperio succedere non possint, atque illi Imperio, quod ab Imperatoribus huic potissimum familiæ donatum, adscriptum, addictumque multis seculis ab initio fuerit? Non enim si Civitas nepotibus, ac filiæ relinquitur, qui liberi in Civitate sunt, idcirco servi sunt. Nec quisquam adhuc ulla in Civitate, nulla inquam totius Italiæ Civitas fuit, quæ liberius vixerit.

Siquidem nihil magis a servitute abest, quam dominatio, ac potentatus. Nam quæ Civitas? qui populus? quæ gens in Italia multis seculis tantum potuit, quantum in citeriore Gallia Mediolanenses? Quæ Civitas copiosior? felicior? locupletior? non dicam in Italia, sed usquam apud exteras nationes, quam sub horum Principum Imperio Mediolanenses? Consideremus reliquorum populorum, ac Civitatum calamitates: intelligemus, nullam esse Urbem in Italia, quæ non aut bello exhausta, ac diruta, aut pestilentia propemodum deleta esse videatur, cum interim sola hæc Urbs, aut pace, aut bello semper floruerit; curâ, ac diligentia Principum ab omni morbo, ac pestilentia immunis servata sit. Tam diu felix, ac beata permanserit, donec Regem tutorem, defensorem, parentem salutis suæ Dominum amiserit. Felicem illum diem, quo Socer tuus Princeps Illustrissimus vita functus est, si te, ut debuerunt, Regni successorem suscepissent, ac perpetua felicitate uti, quam tot, ac tantis calamitatibus affici, atque involvi maluis-

(a) Venetorum Reipublicæ.

Digitized by Google

luissent. Nunc homines ingratissimi dignas meritis suis pœnas perpessi sunt; qui cum Principis sui nepotes ultro sublevare, atque extollere debuissent, divitiis, atque insolentia elati, quas sub potentissimorum Principum dominatu confecissent, quas ob gratitudinem, ac justitiam conferre oportuisset, ad injuriam, ac superbiam potissimum converterunt; at cum magno suo malo, sua etenim stultitia, contumacia, pervicacia effecerunt, ut qui beatissimi, fortunatissimique modo prædicabantur, nunc omnium miserrimi, & infelicissimi existimentur. Deserti enim ab omnibus, spreti, contempti, destituti, quid amplius expectant? Non animadvertunt, Deos immortales improbitati, superbiæ, iniquitati auxilium afferre non solere? quorum judicia quis non intelligit?

Non vident homines id sibi accidisse, quod ne minimis quidem non dicam Civitatibus, sed ne parvis quidem Castellis aliquando contigit, ut nemo eos tuendos suscipere voluerit, præsertim cùm se dedere, atque addicere multis paratissimi fuerint, nec defuerint, qui eos in fidem, ac potestatem suam suscipere potuissent. Nemo tamen tantis opibus, tantis copiis præditus adhuc fuit, non Aragonum, non Galliæ Reges, non Romanorum Imperator, non vicini populi, ac Principes. Nemo inquam tam potens extitit, qui eos tueri, illud Imperium attingere, ac sibi adjudicare ausus fuerit. Quid hoc Deorum immortalium judicio clarius? Quid præsentius existimari potest? Non enim illud contra quispiam afferat. Tantam esse iis nostris temporibus Principum modestiam, ut suis contenti, aliena non appetant. Credo ego multos fuisse, qui huic Regno inhiaverint, multos etiam qui ausuri tantam rem fuissent, nisi metus quidam Deorum, ac religio animos eorum incessisset, qui ut adversùs tantum Imperatorem, quo nemo nostris temporibus major, aut clarior unquam fuit, sic adversùs justissimum possessorem bellum suscipere veriti sint. Quæ quidem omnia, si aliquid prudentiæ, si quid consilii aut rationis habuissent, Deorum immortalium justissimo judicio assignassent. Sed ut certis argumentis, ac signis facilè percipi potest, quod judicio, & voluntate fieri debuit, ac potuit, necessitas tandem exprimet, & quod promereri licuit, id non ultro obtulisse, ac potius reddidisse aliquando pœnitebit. Quid enim aliud sperare, aut expectare quispiam potest, quam ut citò, ac brevì justissimam causam, Regnumque omnibus rationibus tibi, ac tuis portentum, ac debitum in tuam potestatem redacturus sis? Præsertim cum Deos immortales adjutores, hominum gratiam, favoremque habeas. Nam si licet justas, & onestas causas, tamen difficiles, atque arduas, Diis faventibus, & tua virtute, atque constantia facillimè adeptus es, hanc nemine repugnante omnibus optantibus, atque adjuvantibus non obtinebis? præsertim cum Deorum immortalium beneficio, eorum opes tibi adjunxeris, qui secundum Deos hac nostra tempestate non solum apud nos, sed etiam apud exteras nationes plurimum posse existimantur. Quod hoc ipso argumento esse debeat, statuisse Deos immortales hoc tibi, ac tuis Regnum, Imperiumque commendari, ac restitui oportere; quod justissimi omnium gentium populi justissimè justissimo in justissima causa adesse constituerunt. Quod utinam, ut spero, & opto, nostris temporibus videre contingat, non solum ut tuis tantis laboribus, vigiliis, curis, præliis, bellis aliquod præmium, meritumque præstitum, ac redditum esse videamus; sed ut quod propositum tibi ab initio fuit, Italiam Principem omnium gentium terram, pacem, atque otium per te adeptam cognoscamus. Nam si, quod aliter esse non potest, propemodum, ut ita dicam, avitum, ac tibi jure debitum Regnum adeptus fueris, quid aberit, cur Italia non solum quietem, ac tranquillitatem, sed etiam pristinam dignitatem non recuperasse videatur? Potest autem non modo ullam libertatis, sed ullum dignitatis suæ vestigium retinere? donec gens sæva, immanis, ac barbara, non modo in ea regnat, sed adeò barbarè, atque impotenter dominatur, ut non eam Imperio, ac ditione regendam, sed omnibus contumeliis, omni dedecore involvendam, ac diripiendam invasisse videatur? Quod si vel societate, vel studio conjuncti essent, tamen majestatis, atque amplitudinis, atque nominis tui interesset, pro communibus totius Italiæ commodis, pro totius gentis gloria societatem illam dirimere, atque contemnere. Nunc cum inimicitias cum spurcissima gente, atque immanissima barbarie a parte traditas, honestissime, constantissimeque usque ad extremum servaveris, poterit-ne magnitudo illa, & animi tui celsitudo in tanta rerum omnium prosperitate conquiescere? nisi prius ut tibi summam gloriam, sic Italiæ, ac Patriæ, cui omnia debes, suam laudem, & amplissimam dignitatem, & antiquum decus, & nominis immortalitatem restitueris. Invaserunt patrum nostrorum memoriâ barbari, & sæpius Italiam conculcaverunt, ac diripuerunt: sed nemo quod interdum nostros homines pudeat, nulla unquam gens tam diu nobis insultavit, quam ii, qui eam ludibrio, ac direptioni multos jam annos habuerunt. Gessisti tu quidem, Princeps Illustrissime, ea, quæ nulla unquam ætas conticescet, nulli unquam satis decantabunt. Nullum genus belli reperiri queat, quod non & expertus sis, & in eo tum virtute, tum etiam felicitate florueris. Cum Regibus bellum gessisti; Populorum copias viresque contrivisti, Ducum, ac Principum exercitum profligasti, Castella, Urbes expugnasti, agros, regiones in potestatem tuam redegisti. Imperasti tu quidem, & tantis virtutibus Imperium adeptus es, ac retinuisti, quantæ magis intelligi, quam commemorari possint. Prudentia, moderatione, justitia non modo tibi subditos, sed alienos quoque adjunxisti, atque conciliasti, fortitudine feroces, & indomitos Imperio tuo subdidisti, virtute, constantia, magnitudine animi æmulos, adversarios cedere tibi coëgisti. Liberalitate, munificentia

eentia omnium studia, & voluntates tibi A obligasti. Scientia rei militaris, ac summa sapientia principatum, ac præfecturam apud omnes Italiæ populos, Principesque obtinuisti. Nemo fuit, qui ope, & auxiliis tuis non indiguerit. Neminem tuendum suscepisti, quem non conservaveris, & in pristinum statum restitueris. Neminem oppugnasti, qui tibi non cesserit, cujus opes, ac vires non afflixeris, atque dejeceris. Unus es hoc tempore nostræ ætatis Dux, & Imperator, qui cum omni antiquitate, judicio doctissimorum hominum, vel conferendus, vel anteponendus esse videaris: Quem omnes non solum hujus Imperii, quem jure, & bello jamjamque B adeptus es, sed omnis barbariæ Dominum, non solum Principatu dignum esse judicent, sed sperent, atque optent. Attamen cum tantas res gesseris, quæ, ut initio dixi, multorum ingeniis vix pro dignitate commendari possent. Cum is tu sis, vel incredibilium, ac maximarum virtutum splendore præditus, vel usu, & exercitatione confirmatus, attamen inquam nisi extremam manum rebus tuis imposueris, superiora omnia manca quodammodo, ac diminuta esse videantur. Persuasum est omnibus, id quod res habet, nec aliter judicari potest, æmulum te paternæ virtutis, & instituti, ita de patre non solum Regni, atque opum hereditatem C suscepisse, sed animi quoque, atque propositi, ut quod ille vel fato, vel casu efficere non potuit, id tu ad extremum perducere, ac finire debeas. Restitit ille omnibus suis opibus, omni studio, omni contentione, & pro Italiæ libertate, ac dignitate adversus barbaros, quò ad vita suppeditavit, decertavit, atque contendit. Tantumque vel auctoritate, vel virtute, vel animo potuit, ut eo vivente non modo Regnum illud Apuliæ servaverit, sed maximis cladibus barbaros affecerit. Quod si Pater tuus integer in summa dignitate, & suo Regno perfruens, tantis D adversariis, tot Regibus obstitit, ac repugnavit; tu Regno pulsus, tot auxiliis, tot copiis fretus, ignavissimos homines, ac piratas rapacissimos non modo tibi, sed universis Italis insultare patieris? Ego verò, ut pro omnibus Italis loquar, non solum te hortor, sed oro, atque obsecro, ut non modo felicitati nostræ, quæ tota in dignitate posita est, sed gloriæ tuæ, quæ nulla esse potest, nisi cum Italiæ gloria, tranquillitate, beatitudine conjuncta, quam primum per te consultum esse velis. Affecerunt te Dii immortales multis, ac magnis victoriis, ut quasi gradibus quibusdam virtus tua ad summum E usque perveniret. Neque enim sinè multis periculis, laboribusque virtus aut comparari, aut confirmari potest.

Hunc tibi supremum laborem reservandum putaverunt, quo & tibi immortalitatem nominis, vel præmium laborum, ac discriminum tuorum, & Italiam fato suo perfunctam quiete, atque otio, tandem miserti malorum nostrorum condonarent, & aliquando respicerent. Noli ergo Princeps Illustrissime tantæ tuæ occasioni, tantæ opportunitati deesse. In qua & utilitati, ac decori tuo consulis, & studia, atque animos omnium tibi deditos, ac dedicatos obligatiores tibi reddis. Incredibile est, quantis votis, quantis precibus, finem hujus belli omnis Italia desideret; atque expetat, ut omne bellum adversùs infestissimam illam barbariem conversum, compulsumque fuisse audiat, ut aliquando; quod brevì futurum sperandum est, exhausta Italia turpissimorum, & immanissimorum; non dicam hominum, sed ferarum cœtu, perpetuum otium, & longo postliminio restitutam nostris gentibus pacem fuisse cognoscat. Quod si, ut omnium opinio, voluntas, votum est, ita successerit, cogita Princeps humanissime, quæ laus, quæ gloria unquam alicujus licet Principis, vel Imperatoris tanta fuit, ut cum tua sit conferenda. Multi barbaros in Italia profligarunt; pauci res tam perturbatas, tam afflictas, ac perditas inventi sunt, qui componere, ac recreare facilè, ac citò potuerint. Qui si tu is longo post intervallo fueris, qui idem effeceris, non ne eandem gloriam, vel majorem potius consequeris?

Summâ laudibus C. Cæsar concelebratur, quod Urbem Romam victo Pompejo, pace, vel potius servitute affecerit, atque ita concelebratur, ut Divi nomen non modo consecutus fuerit, sed posteris etiam mandaverit. Idem tamen Curiam Romanam barbaris implevit. Quæ satìs digna gloria meritis tuis reddi poterit, qui jugum servitutis ex cervicibus Italiæ dejeceris, barbaros vero expuleris, atque exterminaris? Magna laus Pompeji, quod multis locis barbaris nationibus devictis Imperium Populi Romani amplificaverit; at longè præstantior tua gloria, & illustrior putanda erit, quam idcirco adeptus fuisse videberis, quod non ut ille, ne barbari in Italiam venirent, laboraveris, sed cum jam omnia occupassent, longè, latèque dominantes, præcipites exegeris, trucidaris, manibus denique miserorum Italorum, quos illi turpiter, immaniterque necatos morti dimiserunt, eorum cædibus, ac sanguine parentaris; eosque nuntios patri tuo miseris, qui testes virtutis, consilii, animi, rerum gestarum tuarum, si quis vita functis sensus est, ingenti, atque optatissima lætitia non solum eum afficiant, sed clarissimas quoque animas, quarum cœtum Illustrissimum Imperatorem parentem tuum tenere, & concelebrare verisimile est; Scipionem dico, Marcellum, Alexandrum, Pompejum, Cæsarem, atque alios Principes, ac Reges, & summos Imperatores, quos ille rei militaris studio, ac rerum gestarum magnitudine consecutus fuisse existimatur.

Sed jam modum feciam, clementissime Princeps, ut id, quod ab initio pollicitus sum, efficiam, ac præstem. Non enim eo animo ad hanc rem accessi, ut aut res omnes tuas, vitam, mores, genusque describerem, quod majoris ingenii, ac diuturnioris operæ munus esse judicarem, aut ipsas res tuas oratione exornarem, ac perpolirem, cujus rei facultatem; ac scientiam, aut nullam, aut perexiguam tenerem. Illud meum institutum ac propositum fuit, ut vel studium hominis tibi deditissimi hoc pacto cognosceres, vel meritis tuis in Civitatem meam aliqua ex parte commemoratione rerum tuarum, quæ mihi jucundissima certè fuit, satisfacerem. Quod si adeptus sum, nihil amplius desidero; quid

Digitized by Google

quid enim mihi optatius, quid majus contingere possit, quàm ei gratum aliquid fecisse, cujus ego gratiam omnibus emolumentis, omnibus divitiis, atque opibus longè anteponam? Illud te oratum, atque obsecratum velim, illustrissime Princeps, ut si qua ex rebus tuis dicendo a me prætermissa fuerint, quæ permulta, vel imperitia, vel ignorantia præterierim necesse est, ne id mihi vitio dandum putes. Primùm quòd invitus id feci; neque enim si ea mihi in mentem venissent, silentio prætereunda esse duxissem. Denique peto abs te ne plus a me desideres, quàm ego ab initio pollicitus fuerim; percurrenti enim singulis in rebus immorandum non fuit. Historiam verò carptim scribentis id potius officium fuisse arbitror. Quod si vel ætas, vel studium in nobis aliquid majus, aut politius effecisse videbuntur, non recuso, quo minus, si dignum modo me existimas, id tibi, & rebus tuis & dicatum, & debitum esse putes. Interim Deum immortalem, qui perpetuam tibi fortunam, & virtutem præstitit, oro, atque obsecro, ut cœptis tuis faveat, & quem ad summam felicitatem propemodum perduxit, hunc pro meritis, ac rebus tuis gestis perpetuò beatissimum esse velit.

Veronæ VI. Septembris MCCCCXXXXIX.

Digitized by Google

ORATIO PARENTALIS

IN LAUDEM

BLANCÆ MARIÆ

SFORTIÆ VICECOMITIS,

AUCTORE

HIERONYMO CRIBELLO

MEDIOLANENSI,

EX MS. CODICE

BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ

Nunc primùm typis commiſſa.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO PARENTALIS

IN LAUDEM

BLANCÆ MARIÆ

SFORTIÆ VICECOMITIS.

A Quæ duæ res ad dicendum fiduciæ plurimum, commoditatisque præbere solent, hæ contra me faciunt, ambæ hoc tempore, vosque Patres conscripti Cives nobilissimi, comparatio eorum, qui hoc loco dicere consueverunt, & argumenti magnitudo, quarum alteram, ne minus mihi aures vestras attentionemque conciliet; altera ne etiam pondere opprimat perhorresco. Ea enim mihi materia oblata est, quam homines facilius admirari, quam digne consequi oratione possint. Quæ quidem utraque summa esse, ut profecto sunt, minus quererer fortasse, si in nobis saltem dicendi mediocris esset facultas; verum ita evenit, ut ego, qui neque usu satis, & ingenio parum possum, cum disertissimis viris comparer, & magnitudo rei tanta sit, tamque late pateat, & diffundatur ut omnium laudatorum ingenia non solum fatigare, sed etiam anteire valeat: quo fit, ut quotiens ad Illustrissimæ Blancæ Mariæ laudationem, quam hodie a vobis celebrare jussus sum, animum meum refero, so'a prope cogitatione confundar. Utcumque tamen sit, quoniam hæc ita vobis P. C. jubentibus suscepi, quorum neque benivolentiam ignorare, neque auctoritatem aspernari debeo, opprimi me onere officii malo, quam quod semel cum fide impositum est, animi impotentia deponere. Illud tamen P. C. vestris humanitatibus rogavero, quod item a vobis nobilissimi Viri petitum velim, ut cum vestris studiis obsecutus sim, mei quoque pudoris rationem me habere patiamini. Etenim cum nullam vos hodierna die novam laudem in Blancam Mariam sciatis audituros, sed omnia vetera recognituros, quibus optime aures vestræ calent, quarumque magis testes huc quam cognitores accessistis, feratis, quæso, æquo animo, si eam ego per singula, ut ita dicam, lineamenta generis, dignitatis, virtutis depinxero, quæ audita vobis sæpissime, & quod plus est, visa quoque, & summis interdum laudibus decantata sunt. Satis enim mihi quidem superque fuerit, si ab aliis depictam temporibus aliquantulum obfuscatam, levi, ut dicitur, novæ recordationis manu detersero. Aliud enim flumen ingenii, alia dicendi vis, atque copia requirenda vobis est, P. C. si hujus laudatissimæ Principis cui tam clara Familia, cui tam divina forma, cui tam admirabilis probitas contigerit, singulatim omnia ornate, copioseque edisseri volueritis.

Vel ipsum nobilissimum Vicecomitum genus, cui supremus ille rerum Conditor præ ceteris familiis summam, atque indelebilem gloriam indulsit, si a prima origine recensere, & singula oratione extollere voluero, nonne obsecro temeritatem potius meam demonstrabo, quam illud conari queam? cum tot sit ornatum victoriis, tot insignitum tropheis; tot triumphis illustratum, ut vel si ennumerare voluero, non solum orationis modum excedam, sed dicentem quoque me profecto dies deficiet; hæc enim Familia nobis Imperatores egregios, hæc clarissimos Duces, hæc Illustrissimos peperit Principes, hæc tantum hoc tamque præclarum Imperium tot jam seculis hæreditarium, & quasi per manus, ut ajunt, traditum habuit. In hac genitus est ille gloriosissimus, atque inclytus Princeps Philippus Maria Blancæ Mariæ Pater præclarissimus, domitor Gentium, debellator Populorum, triumphator Regum ac Principum, cujus non solum fama, verum etiam arma ad B ultimas usque Orientis partes penetrarunt, cujusque tanta fuit moderatio, liberalitas, magnificentia, & cum jure belli tot sibi populos, tot Regna vendicare potuerit, restituere illa victis maluerit, quam aliena possessione indiguisse videri. Tanta profecto in hoc Duce copia victoriarum, tanta triumphorum turba fuit, ut illud quoque torrens, ac felicissimum Ciceronis ingenium exercere potuisset. Quod si mos ille antiquus, quo Romani Duces insignia sibi nomina ex vocabulis subactarum gentium assumebant, permaneret, pauciora certe in ipsis annalibus, quam in hujus Viri titulis cognomenta legerentur. Sed quid opus ex præteritis laudationem repetere, cum C hujus Clarissimæ Ducis, vel virtute, vel felicitate, quibus maxime duabus rebus Principes illustrantur, pronum ad æstimationem sit, quales fuerint, qui hanc genuerunt. Immo quantam, obsecro, censere debemus hanc Principem, quæ virtute non solum, sed corporis etiam decore, ac dignitate tanti Imperii fastigium adæquare potuerit. Quam enim venerabilis illius forma fuit? quam fortunæ suæ par, quam ipsum quoque Imperium commendabat, ut certasse cum virtute contenderes: hæc ne admirabiliorem eam mentibus nostris, an illa oculis spectabiliorem opponeret. Etenim cum utraque dignam se sua conditione præberet, difficilem faciebant considerantibus electionem. D Virtus enim præstabat ut talem oporteret Principem esse, forma præbebat ut deceret. Sed transeamus aliquando ad ea, quæ magis propria huic mulieri sunt, nec alterius esse possunt. Cetera enim cum refero, nescio quomodo fortuna mihi obstrepit, ac se illarum rerum dominam vocat. Munera, clamat illa, sua esse, nec homines decere harum rerum gloriam, quæ sua majori ex parte est; totam sibi velut propriam vendicare. Quod usque adeo verum est P. C. ut plurimos legerimus, qui ignobilibus orti parentibus propria virtute toti Familiæ suæ præluxere, & quæ antea gens minus nota fuit, a minoribus memoriæ cepit exordium, quin contra multi summo

Digitized by Google

loco nati, magnas generi suo tenebras offuderunt.

Longum esset enumerare P. C. quibus sua forma non modo non honori, verum etiam dedecori fuerit, quos præcipitaverit invidiosa potentia, quibus immensæ opes, prævalidæ vires, admiranda celeritas damno fuerunt: non enim hæc fuisse sortitum, sed his optime, atque, ut virtus dictat, usum fuisse, gloriosum est; neque præclaris ortum Progenitoribus, sed ab illorum virtutibus non degenerasse decorum. Majora enim nimirum sunt, quæ nos æternitati commendant, quibusque nihil casus decerpere, nihil omnium humanarum rerum depopulatrix vetustas rodere potest, quibus etiam illa ipsa fortuna cedit. In his igitur Illustrissima Princeps nostra laudem quæsivit, ad hanc se gloriam exercuit, huc omnes vires explicuit suas. Non enim contenta his, quæ a Parentibus tradita sunt, sua quædam, & propria elaboravit. In hoc sibi tum demum digna visa parentibus, si illorum virtutes, quæ per manum dari non possunt, industria consequeretur. Non igitur satis habens genere, forma, potentia ab Illustrissimo Patre accepta, illius etiam virtutes assecuta est, atque effinxit. Itaque a continentia tam felix auspicata propositum, quam se prima virtus illi ætati obtulit, ita se Patrem in hoc adæquare putavit, si pueritiam suam matrimonii legibus traderet. Ergo puellares adhuc annos, & primum ingressum adolescentiæ, ita ad maritale jugum formavit, ut nihil amplius de vagis cupiditatibus, nihil de concessis illi ætati voluptatibus sacratissimum pectus admitteret. Sed o Deum immortalem, quantum, & quam divinum fuit Philippi Mariæ admirandi Viri judicium, qui nihilo ipse inferior magno Pompejo, Franciscum Sfortiam divinum Virum, omnibusque triumphalibus clarum insignibus, qui se armis, ac gloria bellica ipsi fere C. Cæsari adæquavit, non solum generum sibi voluit, sed in filium etiam adoptavit. Cujus immortalis gloria, & major est, quam quæ uno discursu comprehendi possit, & loco fortassis apposita non videretur. Illud magis ac magis admirans obstupesco, tantum in utroque patre, & filia in eligendo eo Viro fuisse consensum, ut non tam eos morem humani generis in conjugio servare, quam præsaga quadam mente Mediolanensi Imperio arcem quasi præmunire putares, cujus præsidio & levaretur afflictum, & levatum ordine quodam successionis ita stabiliretur, ut nullo amplius fremente impetu fortunæ concuti posset. Omnes enim jam oculis cernimus, quantum innixum robore vagum illud quondam post Philippi Mariæ mortem, ac fluctuans Imperium recreatum a Francisco Sfortia ejusque Conforte præclarissima, ab Illustrissimo tandem Principe nostro Galeacio Maria firmatum sit: Qua una re, etsi nullum aliud extaret hujus præstantissimæ Ducis virtutis monumentum, cujus plurima, ac immortalia extant, merito tamen reliquis omnibus, quam unquam fuerunt, illustribus Mulieribus anteponenda videretur. Quod enim aliud tam aut liberale, aut magnificum, aut Regium Patriæ munus præstari potest, quam præficere ei Principem, cujus virtute, atque industria nulla unquam vi non modo dejici, sed ne mediocriter quidem labefactari potest? Quique non solum externarum gentium laudatissimos Principes, sed ipsos quoque progenitores suos omni virtutis genere supergressus, quo se amplius efferat, non inveniat. Sive enim magnificentiam illius consideres, sive eloquentiam, sive prudentiam, sive fortitudinem, nihil profecto reperies, vel quod non dignissimum Principe sit, vel quod alteri existimes comparandum. Jam ipsa corporis proceritas, jam honor capitis, & dignitas oris, jam ipsa ad hoc ætatis senilis maturitas, ipsa quoque ad augendam Majestatem ornata cæsaries, nonne longe lateque Principem ostentat? Maximas profecto æterni Principes vobis in sempiternum gratias agimus, quod in propagatione vestri generis, omnibus in futurum seculis providistis, tamque voluistis hoc immortale esse Imperium, quam sempiterna fuerit ex vestro genere soboles Ducum. O felix, atque divina fœcunditas, quæ non contenta unum constituisse Imperium, universæ pene Italiæ Regna conformare contendit, tantaque est amplitudo majestatis, ut uno loco teneri nescia, per tot terrarum spatia ad longinquas etiam regiones extendit radices. Jam illustri Hyppolitæ amplissimi Calabriæ Imperii Dux, futura mox etiam Regina, quæ avitum, ac maternum studium coadjuvans novellis palmitibus Orbem replet terrarum; jam Reverendissimus Ascanius nomen a magno deducens Ascanio, qui ad summos Ecclesiasticos honores, atque ad Pontificales infulas virtute prævia citatissimo gradu contendit, quantum maternæ laudi momentum accesserunt? Quid de Philippo Sfortia, Ludovico, Octaviano illustribus adolescentibus dicam? quorum præclara indoles, & virtus annos suos præveniens, indocilis privatam agere vitam, summa illis Regna vindicabit: nonne & ipsi paternos, ac maternos referentes mores genus suum in Cœlum extollent? Quid magnificentius, quid gloriosius, quid magis Regium P. C. aut dici, aut excogitari potest, quam conspicere Principem Matrem, Principibus ortam parentibus, filiorum nobilium turba, tum Principum, tum mox futurorum vallatam? & tamen quantula tam amplæ, tam insignis gloriæ portio? Illud profecto omnium literis, omnium monumentis per cuncta secula celebrandum est, quod tanta animi magnitudo, tantus mentis vigor in una fœmina extiterit, ut quasi parum esset ceteris in omni matronali gloria præstitisse, virorum quoque officia non solum ausa, sed summa etiam cum laude eis perfuncta est. Quæ naturali, atque ingenito sexus pavore deposito, aut per Mariti absentiam, aut usu ita exigente inter strepentia arma, inter tela volantia, inter tot confertissimas acies omnes peritissimi Imperatoris, & Castrensium munerum numeros, aut prima aut inter primos adire non dubitaverit. Ad quid enim illam non adegisset miseranda facies Patriæ, cui quæ illius pietas fuit? parum etiam præstitura videbatur, si pro illa vitam effunderet. Quam cum dissidiis civilibus laborantem vidisset, verita ne intestinum illud malum ulterius serperet, præveniendum opportunis putavit remediis, priusquam per universum corpus lues prolapsa in immedicabilem morbum evaderet. Tanto itaque perculsa discrimine, nullum a se in tali casu alienum existimans officium, nulla non adeunda pericula, nullos non tollerandos labores, pulcherrimam illam, atque omni ævo memorabilem operam navavit.

Age jam constituto Imperio, pacataque Civitate, quanta justitia, quantaque moderatione, & clementia mores nostros coërcuit? Quæ

Quæ non contenta efferas adhuc pristina licentia hominum mentes, exemplo suo, cum ipsa legibus subjecta non esset, sub disciplina legum invitasse, beneficiis quoque alliciebat, idque quod jure suo jubere poterat, malebat impetrare, ut plane intelligi posset, perversam hominum contumaciam, quæ vi in officio contineri non poterat, beneficiis illam potius vincere, quam irritare castigatione maluisse; pias profecto matres imitata, quæ quod materna interdum severitate exigere a filiis non possunt, eliciant blandiciis. Imo vero ipsa omnium Civium, Patriæque faustissima parens fuit, quæ nos non misericordia solum, & clementia ut subditos, sed amore semper, ac caritate ut amantissimos filios complexa, prosecutaque est. Quis enim unquam hujus veluti præsentissimi numinis auxilium frustra imploravit? cujus oppressi pauperis patrocinium, causamque non suscepit? Cui unquam fœminæ viduæ manum retraxit petenti? Quem afflictum miseria temporum non juvit consiliis, levavit auxilio, sustentavit opibus? Quis usque adeo ingratus est, qui se hujus Ducis largissimum tantæ liberalitatis imbrem neget sensisse? Sed minora sectamur: plena profecto hujus Urbis templa sunt, pleni muliebrium Religionum cœtus, pleni Monachorum Conventus, plenæ Civitates, plena demum universa Italia hujus munificentissimæ Principis donis amplissimis, & nos tam spaciosum pelagus nacti vada captamus? Cujus est, obsecro, tam acre ingenium, tam velox, atque exercitata lingua, cujus verborum tanta copia, quæ vel solido die omnia liberaliter, ac magnifice hujus admirandæ Ducis gesta, vel percurrendo enumerare, vel enumerando percurrere posse confidat? Vicit, testor Deum, flumen liberalitatis, ac magnificentiæ hujus hominum ingenia. Quid postea? Quantam, bone Jesu, prudentiam? Quantam, & quam admirabilem fortitudinem, & constantiam illo miserabili, ac infelici die ostendit: cum Illustrissimus Princeps Franciscus Sfortia depositis terrenæ fœcis exuviis migravit ad Cœlum? Quanto consilio providit, ne Imperium suum, ne Cives universos, ne Illustrissimum Principem Galeacium filium, qui tunc in Gallia faustissima bella gerebat, clades illius temporis contingeret? Quam denique non muliebriter viduitatem suam in perpetuas convertit lachrymas, sed vix conclamato cadavere, cum jam pietatis officia peregisset, quamvis adhuc crudelissimi vulneris dolor intractabilis esset, quamvis tam recens, tamque profunde adacta plaga nondum se contingi pateretur, non tamen illud tempus fletibus conterendum, nec publicum commodum fœmineis questibus posponendum putavit. Testes estis vos P. C. quorum tunc omnia consilio administrabantur, quam cito coactis omnibus hujus Urbis Magistratibus, quantaque cum maturitate de statu publico disputavit, cum collectis omnibus malis, quæ in tali casu accidere posse videbantur, diligentissime admonuerit, summa cura providerent, ne quid incommodi Respublica pateretur, disponique pro portis Urbis, pro municipiis præsidia jusserit, ut & ab intestino scelere, & ab hostilibus incursionibus tuti provideretur imperio. Quanta denique celeritate, ac consilio provisis his, quæ per se providenda fuerant, Oratores per diversas Italiæ partes ad confœderatos Principes dimiserit, a quibus jura fœderis, & tunc exigerent, & in futurum confirmarent. Pro Dei, atque hominum fidem, sunt ne hæc mulieris in tanto mœrore officia? Est qui tantam rem a fœmina vel optare ausus sit? Quid magis a Viris requirendum est? Imo cujus potius Viri prudentiam, animumque non superavit? cujus enim tanta unquam fortitudo fuit, quæ in tantis malis, ac periculis non succubuisset? Cujus tanta vel industria, vel consilium, quod tanto in stupore rerum, in tanta omnium consternatione non elanguisset?

Ecce extinctus est Franciscus ille Sfortia, quo ablato ruiturum omnes Cœlum arbitrabantur, extinctus in absentia filii, commutata omnium rerum condicio est. Habenæ tanti imperii uni fœminæ viduæ commissæ sunt: Vidit-ne quis ullum ex tot diversis hominum ingeniis civile dissidium? Accidit in aliquo Oppidorum, sicut in Regnorum mutatione fieri solet, cum se subjecti populi fortunam pariter cum Rege mutasse credunt, vel minimus motus? Sensit aliquem ex tot circumstantibus gentibus strepitum armorum? Eat nunc obstentatrix sui antiquitas, & illa innumera literarum vulgata monumentis exempla proferat. Jactet Semiramidis Assiriorum Reginæ res gestas, dummodo & quibus illam bellicarum rerum gloriam concubitibus domi fœdaverit, commemoret; ut jam turpius Semiramis tam fœdæ libidini succubuisse, quam gloriosius tot sibi nationes subegisse existimetur. Extollat Artemisiam Cariæ Reginam, cujus insignis, atque ultra humanum affectum amor, atque pietas erga maritum Mausolum fuit, nec minor militaris scientia, virtusque inclyta narratur. Sed referat etiam cui tantam gloriæ hæreditatem reliquerit; nullis enim decedens relictis filiis thesaurum illum æterni nominis in eadem secum scrobe defodit. Non fraudaverim merita laude insignis continentiæ Penelopem, Sulpiciamque mulieres clarissimas, quarum altera XX. annorum viduitate illæsum Viri cubile incredibili continentia servavit; altera omnibus suæ ætatis mulieribus Romanis integritate corporis, insignique pudicitia prælata est. Sed quid plus illis amplificatrix veri vetustas, quamvis blandita contulit, quam quod unica continentiæ dumtaxat virtute censerentur? Multæ præterea aliæ numerantur, quas tum admiranda pietas, tum animi magnitudo illustravit: sed harum nullam adhuc reperies, cujus virtutes, aut aliquo vitiorum confinio non lædantur, aut plusquam singulæ numerentur. At in hac Illustrissima Principe, quod virtutis genus frustra desideraveris? Continentiam-ne tot Principibus fœcundam filiis, animi magnitudinem-ne summis quidem Imperatoribus dissimulandam? Justitiam tanta cultam laude, an clementiam, & liberalitatem toto Orbe notissimam? pietatem inæstimabilem, an prudentiam omnibus admirandam? Cui, obsecro, alii, aut audivimus unquam, aut legimus tantam concordiam, tantumque, ut ita dixerim, concentum omnium laudum, omnisque gloriæ contigisse! Admirabilis profecto, ac supra quam cuique credibile videatur, in omni ætatis cursu fuit, sed non minus extrema commemoranda admirabiliaque fuere, non ob religionem solum, quam cum omni ætate, tum maximè eo tempore summam demonstravit; sed etiam quod illius obitum signa de Cœlo clarissima, fulgentesque cometæ prænunciaverint.

Par etenim fuerat, ut quæ tam divinitus vi-

vixisset in terris, etiam moriens decoraretur e Cœlo. Hæc igitur sanctissima Princeps ubi diem suæ resolutionis instare sensit, nihil more humano condicione mortis exterrita est, sed jam salubribus munita Sacramentis, neque enim credendum est illam, quæ vitam omnem tam pie, tam castè, tam religiose peregerit, ultimum nunc actum neglexisse, ita se cum locuta narratur: Viximus Blanca, quam diu Omnipotenti placuit Creatori, omnibus bonis, quæ Deus Omnipotens hominibus concedere solet, amplissime refertæ. Vidi patrem meum Principem multarum gentium omnibus, & belli, & pacis ornamentis insignem. Vidi maritum, supra quam desiderari fas est, excellentem victoriis, illustrem imperio, celeberrimum dignitate. Vidi Patriam, quæ mihi carior semper ipsa vita fuit, mea opera, meoque præsidio in quiete summa exultantem. Imperium ipsum ita firmissimis stabilitum vestigiis, ut nullam amplius tempestatem mereatur. Mihi jam ipsi quid potuit accidere jocundius, quam quod post tantos honores, ac dignitates, quas mihi non fortuna donavit, sed virtus peperit, adhuc in hoc consistens corpore, viva vidensque Galeacium meum, quem Deus Omnipotens columnam hujus Imperii, ac gloriæ nostræ basim, fundamentumque largitus est, in paterno solio, avitoque sedentem, ac jura gentibus ministrantem hisce oculis conspicio. Quo incolumi, quid mihi de minoribus filiis dubitandum est, cum tanta illum humanitate, tamque paterno affectu complectentem omnes prospiciam? Quid mihi amplius optandum restat? Jam satis naturæ, satis Patriæ, satis famæ viximus: Nunc igitur maxime moriendum est, quando vivere delectabat; nunc inquam migrandum, prius quam huic felicitati fortuna lætis semper invida, aliquid sui fellis immisceat. Nunc præcipue decedendum, cum Salvatoris mei ulnas apertas ad cœlestia me Regna invitantis conspicio, ubi me laborum fructus colligere statuit, ubi æterna, atque perpetua permansio est: ubi Sanctorum Angelorum Choris imixta, optatissimum illud eulogium læta voce percantabo: *Anima mea sicut passer*

A *erepta est de laqueo venantium: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus*. Nemo me lachrymis, nemo planctibus prosequatur. Abeant fletus, discedant lamentationes, omnis denique miseriæ vox a funere meo facessat. Lætandum potius vobis est, o quisquis pio me amore prosequitur. Vita enim hominibus mutatur, non tollitur; mutatur inquam cum stabili fugitiva, cum æterna fluxa, mortalis cum immortali, tristis omnique referta miseria, cum jocunda, & gaudiorum plena. *Lætamini* inquam potius, *& exultate, quoniam merces* mea *parata est in Cœlis. Certamen* enim *bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi, reposita est mihi*

B *corona Justitiæ, quam mihi reddet* hodierno die *justus ac sanctus Dominus*.

Talibus, aut his similibus dictis, sanctissima Princeps circumstantes, qui illam ab humanis migrantem largis prosequebantur fletibus, immobilis ipsa consolata: nulla in oculis lachryma, nullo in vultu signo mœroris, nulla denique tristitiæ nota in facie conspecta; sed læta, & alacris, velut ad nuptias, ut dicitur, proficiscens, junctis sua sponte in Crucis signum manibus, felicem animam Redemptori suo commendavit. Quibus vocibus P. C. vosque Cives nobilissimi admonitos omnes voluit, quoscumque sua recordatione, suoque desiderio in luctu, & squallore futu-

C ros arbitrata est, ut parcerent fletibus, abjicerent mœrorem, temperarent a lachrymis. Quod omnibus sanctissime observandum censeo, cum & optime cum illa actum esse credamus, quæ decurso peregrinationis suæ spacio, secura cum Salvatore regnat, & nobis auspiciis, & felicitate Illustrissimi Principis nostri pulcherrime provisum sit, vel hac unica saltem spe mœrorem nostrum consolantes, quod aliquando annuente misericordia Salvatoris, illam visuri sumus eo sublimiore throno sedentem in Cœlis, quo admirabilior ejus vita fuit in Terris. Quod nobis Christus Dominus concedat, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in secula seculorum.

Digitized by Google

ORATIO FUNEBRIS
IN MORTE
PHILIPPI MARIÆ
VICECOMITIS,
MEDIOLANI DUCIS,
HABITA
A MAGISTRO JOANNE MONTANO,
Nunc primum in lucem emissa
E MSto Codice Bibliothecæ Ambrosianæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

Ad Illustrissimam Principem Blancam Mariam Illustrissimi Genitoris ejus funebris Oratio per Magistrum Joannem Montanum.

QUam egregium quamve incredibile dicendi genus desumpsisse mihi videar, Reverendissime Pater, clarissimique Viri, qui lugubrem, funestumque anniversarii diem, tanto studio, tamque inusitata frequentia convenistis, ornatissimo, atque florentissimo concursu vestro abunde mihi satis documento estis. Ea quippe res, quæ pro sui dignitate tractata ad maximum usque volumen excresceret, insigni erat alicui deleganda Oratori, qui ingenii vim, & eloquentiam parem tantæ rei subministraret. Memini quamplurimos eruditissimos Viros, quotiens ad hæc ornata subsellia devenissent, initio dicendi exalbescere, titubare, atque ab eo quod dicere cœpissent sæpenumero excidere, & aberrare.

Nonnullos etiam vidimus, qui etsi graviter ornateque dixerunt, non tamen satis meo judicio adhuc elaboraverunt; dum enim rem immensam, ac prope infinitam sua polliciti sunt Oratione complecti, necesse fuit, ut in ipso medio dicendi cursu subsisterent, finemque prius verbis eorum, quam rei facerent. Quod ego cum intellexerim, haud intrepide rem tantam aggredior, in qua summi sæpe viri defecerunt. Satis enim fecisse & mihi, & tempori arbitrabor, si ea quæ a me dicentur potius admirationem meam, quam insignem aliquam dignamque laudem contineant. Nulli enim, veluti existimo, tam superba vis ingenii, vel tam egregia facultas orandi data est, vel dicendi copia, qui felicis recordationis Illustrissimi hactenus Principis Philippi Mariæ Vicecomitis Ducis nostri laudes, ne dum ornare, sive enumerare satis possit. Si equidem illius honestissimas opes, corporis speciem, incredibilem sapientiam, divini animi robur, egregium Imperii amplitudinem, reliqua item fortunæ, aut naturæ munera exordiri coram instituissem, extremum ad usque anni ætas inter dicendum deficeret.

Testor itaque Deum, accumulatiores, longeque uberiores laudes illum promeruisse, quam mea sit, aut possit quidem oratio. Dissimulabo præterea multa consulto, quam videlicet insignis Vicecomitum præstantia fuerit, quam veterem traxerit originem, quot Illustrissimos tum militia, tum pace Viros ediderit, quot Urbibus, quantove tempore dominata fuerit, quot denique Ducales, Regias, serenissimasque sub Cœlo Familias sibi matrimonio copularit. Illa quidem huc loci sæpenumero allata fuerunt. Verum ad ea me confero, quæ moderationem animi, incredibilem sapientiam, & incumbentem omni homini mortem, quæ nostris frequenter oculis intuebamur. Primo itaque loco materna licèt lingua, imperitoque sermone, ex intimo tamen pectore

A de animi sui magnitudine dicendum erit. Hanc si quis apud se attentiori consideratione expendere voluerit, delapsa Cœlo sidera hominibus si se conferant, venerationis amplius non recipient. Indignum quippe existimabimus tanti Viri integritatem exigua cera, vel paucis literis perpendi posse. Pompejus egregiæ apud veteres admirationis esse potuit, quod Regem Armeniæ Mitridatem Romanæ infestissimum Reipublicæ ab eo interceptum, in conspectu suo tacere diutius supplicem passus non est, sed benignis verbis recreatum, diadema, quod abjecerat, capiti reponendum jussit. At nos Principem nostrum dignius, nec injuria quidem attollere oporteat; is

B etenim splendore honorum, parique vitæ gravitate diutinas, graves, ac vehementes inimicitias cum Serenissimo Aragonum Rege, ejusdem amplitudinis Viro gessit; quid multis morer? Navale certamen indicitur, lacessuntur vires, confligunt utrinque, & quamquam manu admodum impari dimicarent, Aragonum potentia, magna licet multitudine copiosior, nostro tamen Principi subesse coacta est. Præclara impræsentiarum a me dicerentur, si cum Tito Livio lacteo eloquentiæ fonte in tantali rivulo potavissem; quid tam inauditum? quid tam insolitum? Habuit nostra ætas admirandum cunctis seculis celebrandumque miraculum. Tot Reges, tot Duces, tot

C Principes, tantam militum copiam, tam brevi spatio, tam dispari potentia, tam incomparabili Marte una omnes & pariter superavit. Nullus profecto quispiam Principi nostro jure optimo vetuisset, quin capiti suo Regum quinque Coronas imponeret. Pugnabat utile, delectabile concertabat, dimicabat honestum. Verum quid clarissimum Mundi sidus, quid imbuta virtus effecerit, vel paucis explorare nefas non erit. Quid moror? Reges intercepit, huc loci adduci jussit: existimabant fortasse illi in mortem sese conductum iri. O admiranda nostri Principis animi magnitudo!

Ad Rastrum usque fortilitii Portæ Jovis, ut dici solet, obvius accessit, honoratissime ex-

D cepit, præ illos ire mandavit. Novissime post dextras hinc & inde datas, post vultibus oculos inhærentes, post gratissima necessitudinis oscula, inseparabiles animo juncti brachiis pariter incedebant. Hanc animi libertatem, si quis ignarus Vir aspexisset, alterius, vel certo nullius victoriam credidisset. Quid vagor? Primum quidem adhortatus est universos, bonum habere animum; venisse enim eos in humanissimi Principis potestatem, qui beneficio magis quam metu obligare hostes consuevit, exterasque Nationes fide potius, ac societate junctas habere, quam tristi subjectas servitio, acceptaque injuria ignoscere quam prosequi malebat. Nec erat inscius quidem, quale illi

Digitized by Google

illi discrimen brevi futurum esset, si illos, ne dicam quidem tantis fascibus illustrasset, tot extulisset honoribus, quin etiam si post flagra. immaniaque supplicia abire liberos permisisset. Quippe illum minime latebat, clementiam simul cum Genua dimicare, alteramque perditum iri, alteram dumtaxat posse se retinere. Mira Principis bonitas!

Adjecit oculos, rebusque ad nutum sibi succedentibus propria bona contudit, quatenus clementia, quam ab adolescentia connutriverat, infestos illi Reges tueretur, patrocinaretur, in gratiam reciperet, amicos crearet, perhumane faceret; & quamquam ab eis paulo ante hostiles pateretur insidias, maluit lacessitus majestatem excellentissimorum Virorum venerari, quam proprium ulcisci dolorem. Quo circa ne clementissimus, aut liberalis animi non esset, in tales præsertim, tum potentissimos, tum Serenissimos Reges, Genuam cum subjecto sibi dominio amittere maluit, quam quidem non minus extitit excitandi eorum fidem, argumentumque conservandi. Quid cesso illius animi magnitudinem, liberalitatemque lentis passibus retulisse? Illos ne manibus truncos, vel capitibus cæsos, aut fluviis præcipites datos vidimus? scelus namque nefandissimum ab gravissimorum hominum cœtu facile judicaretur in tanti Viri integritate, immanitatis turpitudinem ascribi posse. Quid igitur? Incredibili eos lætitia affecit, honoribus illustravit. Portuveneris denique Regio donatos munere ultro & celeriter Patriæ remisit. Expergiscimini clarissimi Viri, tantum hostium exercitum dimissum, tot Aragonum injuriis veniam datam, tantis Coronis non acceptis talia impensa munera; ipsos etiam Reges obstupuisse arbitror, atque secum dixisse; O munificentiam Philippi Mariæ Deorum benignitati æquandam! O etiam interceptionem nostram supra vota felicem! Nam quod beneficium non dedissemus, accepimus. Philippus Maria egregium æque duxit, & vincere Reges, & facere.

Conticesco illustres Carolum Malatestam, Tolentinensem Nicolaum, a Martinengo Cæsarem, Petrum Joannem-Paulum, pluresque alios Imperatores, qui merito commemorandi essent. Hos inquam bello vicit, stravit, intercepit, respexit, coluit, exhilaravit, libertati patriæque donavit. Quæ Romanæ Reipublicæ liberalitas huic unquam comparanda erit? Quid Cæsar tot Nationum victor indomitus? Quid Pompejus? Quid Scipio? Quid denique Alexander, qui seculi hujus fluctibus imperabat? Mea quidem sententia hujus laudi nihil cedit. Deinceps illius de sapientia dicamus. Magna cura præcipuoque studio referendum esset, quam egregio humani animi affectu sapientiam coluerit, foverit, prosecutus fuerit. Stupuit Sabborum Regina, cum Salomonis prudentiam degustaret. Obstupescere poterant universi terræ Principes, & justa quidem ratione demirari, quin secum mente reputavissent, tanta hunc unum Principem sapientia, prudentia, integritate animi, recente memoria, celsitudine judicii, atque ingenii præpolluisse. Philippus Maria summo labore animum ad sapientiam a pueritia confirmavit.

Philippi Mariæ sapientia, industriaque per Orbem Terræ cum gloria, & laude vulgatæ sunt. Philippo Mariæ si vita data esset longior, trans Oceanum gloria Vicecomitum

A transvolasset. Philippum Mariam omnes Populi maximè metuerent. Illustrem Venetorum Ducem Franciscum Foschari magnæ opinionis Virum sæpenumero dixisse intellexi, formidabilis Venetiæ Urbi nostræ, o Patricii Viri Philippi Mariæ ne dicam quidem potentia, armorum copia, thesauri ubertas, classium multitudo; plura enim nobis quam illi sunt, quæ tamen magnopere pertimescere debuit; ceterum illius sapientia vincimur, superamur, atque dejicimur. Meminisse autem oporteat quod paupertatem, angustiam, ne dixerim calamitatem, ab ineunte adolescentia quam maxime impudentem ferebat, & cum Biante quidem uno, velut arbitror, ex septem Græciæ

B sapientibus, bona quæcumque sua secum gestabat, non oculis visenda, non humeris sed animo æstimanda, quæ domicilio mentis inclusa mortalium manibus labefactari non poterint. Illustres Viros Fabricium, & Scipionem me legisse memini, adde si placet, M. Attilium Regulum, qui nihil præter gloriam possidebant, infimæ paupertatis extitisse. Verum Principi nostro fortuna cessit. Nam emundato Lombardiæ Viridario, ceteris qui tum dominabantur Cremonæ, Laudæ, Placentiæ, atque aliis sublatis e medio, non tam armorum viribus, aut pecuniarum copia, quam industria mentis, brevi tempore Ligurum est adeptus Imperium.

C Nec silentio dissimulandum erit, quod Insubribus immo Lombardiæ maximo nocumento esse poterat, vicinis tot dominis occupari. Quid me mora trahis? Bononiam Urbem, quam sapientem appellant, longo tempore tranquillo regimine gubernavit. Genuam potentissimam Civitatem tot Populorum dominatricem, tot Insularum dominam invictam bello navali fluctibus Maris ubique notissimam, Regibus tam Fidelium, quam aliarum quarumlibet Nationum adusque fines Orbis contremendam, tum obtinuit, tum rexit, tum pace possedit, tum perdidit, cum sibimet persuasit; quæ sola Genuæ Civitas hactenus potuit vulnerato Asdrubale fratrem An-

D nibalem potentissimum hostem a finibus Italiæ propellere, & tam Urbi Romæ, quam toti Patriæ pace tranquilla consuluisse. Quæ tam munita, quæ tantæ amplitudinis Civitas, quæ tam insignis Communitas, vel quod tam illustre Dominium illius sapientiam non formidabat? Meminerimus Regnum, Sabaudiam, Germaniam, Italiam fere omnem, quæ quondam magna Græcia vocabatur, simul quandoque graves, ac vehementes illi molestias intulisse, & ut vera fatear, universum pene Orbem adversari nobis videre videbamur. Verum enim vero Cæsar hic invictus Regnum disjecit. Sabaudicam in se potentiam delevit. Germanorum, quos Svithios vocant, flagella ever-

E tit; nihil Venetis pecuniæ auxiliatæ sunt, nihil Florentinis armorum societas opitulata est, nihil Ultramontanis calliditas præsidii tulit, nihil postremo æmulis quibuscumque sui, vires corporis, scientia rei militaris, ingenii, aut consilii plenitudo in Principem nostrum adjumento fuerunt. Quid vos moror? Sapientes ex ultimis terræ finibus in suum gregem precibus, donis, fascibus copulabat. Quid Catones, quid Scipiones, quid Paulos amplius demiramur? Hi omnes florente hac ætate, amplissima in Urbe nostra liquido comperti sunt. Aderant illi eruditissimi Juris-Consulti. Aderant oculatissimi Consulares. Senatus

Digitized by Google

tus ejus prudentissimis Viris refertus erat, quorum quidem sapienti judicio plerumque longè profundiùs, eorum pace dixerim, intuebatur. Inspexissetis quo Apolline, ut ajunt, quo Mercurio, qua Minerva præclara hæc Civitas regebatur. Illi profectò Ducali immo, ut ita dicam, divo pectori, prudentiæ præstantioris imago inserta fuisse facilè videretur. Nec erat illius solitudinis causa; nam exiguus erat numerus quo cum versabatur.

Clementissima vulgus facie excipiebat, quo pacto sibi semper propior Urbium suarum abundantiorem commoditatem faceret, de hostibus triumpharet, suæ ad ultimum sapientiæ gloriam totum per Orbis circulum celebraret.

Intelligebat sanè populorum discrimen, si suam sine liberis personam passim, & omnibus accommodavisset. Quis sapientia sua hostiles ludebat exercitus? Philippus Maria suæ dignitatis æmulos Urbi etiam nostræ, quandoque viciniores, cum libuisset, ad remota procul loca pellebat.

Quis sapientia sua Urbem a penuria, egestate, fame, munitissimam semper conservabat? Philippus Maria frumenta, ceteraque humanæ vitæ accommodata suo populo reponebat. Ad alienos minimè mandavisset.

Quis sapientia sua Urbi, vel Patriæ a morbo, epidemia, peste, saluti semper fuit? Philippus Maria suspectis præsertim temporibus custodias diligentissimè passim præsidio esse volebat. Quis sapientia sua omnem Patriam a raptoribus, homicidis, prædonibus in tuto constituerat? Philippus Maria erranti etiam propriæ conjugi ne pepercisset quidem.

Quis humanorum Principum illius sapientiam non colebat? Legatos ad Serenissimam illius Majestatem omnes Mundi Principes frequentissimè destinabant. Barbariæ Rex, Soldanus Sarracenorum Dominus; Magnus quoque Teucher, ut reliquos tum Mauros, tum Christianos omittam, alius vestes illi annuas, Dromedarios alius, & Camelos, alius ingentes Canes Pardos, nobiles item Aves, dono sæpenumero transmittebant. Hi etenim maximo pro munere habebant, cum in ejus gratiam reciperentur, conservarentur.

O Philippe, Principum hactenus ornamentum, si viveres Christianitas, quæ te genuit, atque aluit non oppugnaretur! Christi Ecclesiam infestissimus Christi hostis minimè depopulavisset, Christi Sponsam, Petri naviculam, Matrem denique nostram, exul fidei obscœnissimus, sordibus Crucis effractor, perditum, Sathanæ membrum non debellaret, non conculcaret, non devastaret, non finistrè contunderet. Te consulente, o dive Princeps, te animum tuum perquirente, te a tua, ut solebas, camera non prodeunte, hostilis naufragus effrenisque Turcorum exercitus numero penè infinitus, aut ne venisset quidem, vel in fugam penitus verteretur.

Commoveres Christianitatis Principes, commoveres Ecclesiam, commoveres armorum Imperatores, qui te summa benevolentia prosequebantur, qui te in patrem acceperant, qui te quodam cœlesti pro Numine colebant, venerabantur, cameram inquam habitans solus opem ferres, præsidio solus esses, solus pro Ecclesia triumphares. Evasisti, o Serenissime Ungariæ Rex, evasisti dum licet in Christianissimum felicemque Virum, quo pace tua dixerim, Princeps noster nequaquam infelicior extitisset, qui etiam in tam sera differre tempora plurimùm erubuisset. Quam arduam, quam detestabilem, quamve execrabilem jacturam fidelium cœtui sæva mors intulit!

Taceo illius in Deum pietatem; tantum etenim illi studium, non solùm servandæ, sed amplificandæ religionis fuit, ut opulentissima animi Majestate totum se favori, ac cultui Templorum impenderet.

Testantur Ecclesiæ, Capellæ, Altaria Mediolani, Papiæ, Modoëtiæ, Januæ, Florentiæ, & ut longiora petamus, ad Sanctos Jacobum de Galitia, Catherinamque nemoribus constipatam. Hæc inquam per Philippum divinis Officiis dicata fuerunt, perpetuisque dotata redditibus. Missarum solemniis die quolibet interesse sibi constituerat Ecclesiis crebra, largaque munera ex sententia impertiebatur. Claustrum denique nostrum magna ex parte solo stratum, abundanti ære, copiosaque impensa reparavit.

Omitto clementissimam in pauperes bonitatem. Sex millia Ducatorum, præter quotidianas eleemosynas in annos ad Christi pauperes erogabat. Innumeras adolescentulas inopes pietate incredibili nuptui copulavit. Quadringentos florenos omni ejus ævo, Conventus noster lætissimè suscepit. Egregii apud eum pretii Mendicantium Ordines habebantur. Quem clarum sanguine cum paupertatis vincula incidisset, iste non aluit? Mensæ Nobilium non inerti accuratione parabantur. Quem Patricium talem iste non pavit? Ærarium Ducale, impiger auxilio istis esse volebat. Quem postremò hujusce generis hominem iste beneficiis prosecutus non est? Egenti, & inimico, & ignobili præsidio semper fuit. Prætereo æquissimam illius Justitiam, egregium Principis ornamentum, cujus etiam tempestate auro quisque onustior, per nemora, silvas, terra item quæcumque loca noctu securo animo cantare potuisset.

Prætermitto eximiam Familiæ gloriam, perspicuum suæ sapientiæ decus, Cubicularios illius Principis, nec injuria quidem existimavisses. Conticesco animi nobilitatem, qua nullus unquam gratior, liberalior, atque munificentior. Quid referam Medicorum copiam, atque peritiam? Nemo illi Galenus, Hippocras, Avicenna, Mesue, suæ unquam præsentiæ aberat.

Dissimulabo quæ de illo erat apud omnes opinionem. Suæ profectò sapientiæ adscribi posse videbatur, summos Antistites & deponere, & creare. Missa facio denique, ut aliquanto breviusculus fiam, bellorum fortunam, invictam magnanimitatem, in adversis patientiam, in secundis moderationem, affabilitatem, gratam conversationem, incredibilem virtutum plenitudinem. Hæc etenim singula proprium volumen expeterent. Jam ad illius obitum, vel sero veniamus. Hucusque prosperis navigavimus ventis, & crispantia Maris æquora, labens carina sulcavit, nunc in scopulis occurrit oratio. Quis enim possit siccis oculis Philippum narrare morientem?

Incidit in gravissimam valetudinem, sentiebatque prudentissimus hominum vicinam adesse mortem, & frigente jam parte corporis, atque membrorum, solum animæ teporem in sacro pectore palpitare; & nihilominus quam ad suos pergeret, alienosque despiceret, mortalibus valefecit. Heu mœstissimi, lugubresque Viri, quid infelicissimis temporibus nostris calami-

lamitatis evenit! O mors improba unde tibi tanta nequitia? Rempublicam Italiæ funditus evertisti, Mediolanum præclarissimam Civitatem radicitus ejecisti, Patrem nostrum nefariè verberasti. Dilecto, & amato Duci nostro manus sceleratas intulisti. Concurrite Cives concurrite, moenia nostræ Urbis eversa sunt; Philippo enim Mariæ intra suos parietes quiescenti nefaria vis illata est. O Civitatem nostram Philippi morte miseram! cecidit robur ingenii, animi magnitudo, Sapientiæ claritas, Clementia, Justitia, Comitas; Principum Monarcha, Mundi jubar, Cœli tum sidus, virtutum norma, pietatis, ac fidei disciplina. Hæc quidem omnia uno homine vita functo penitus corruerunt.

Nulli igitur mirum videri debuit, si amplissima hæc Civitas nostra, deos atque astra crudelia appellavit, & certo parentis cadavere abstrahi minime debuisset, & deosculari oculos, hærere vultui, totum corpus amplexari, & se cum patre, ut ita dixerim, sepeliri merito debuisset optare. O spes nostras inanes! O vana mortalium studia! O Patriam nostram penitus desolatam! Defleant Seculi Principes: illorum insigne caput abscissum est. Defleant Insubres, Italicique Viri: eorum propugnator occubuit. Defleant Patricii nostri: claritas, splendor, decus, ornamentum Urbis nostræ pariter deciderunt. Defleant egeni, viduæ cum pupillis, pietatis ubera perdidere.

Deflete mecum optimi Cives, & pectora lacrymis irrigate: cecidit corona capitis nostri, præcordia nostra lacerata sunt, omnis tranquilli temporis fiducia se submovit, discessus postremo illius spes nostras, quæ pacem, quietem, futuram commoditatem præstolabantur, heu vacuas fecit!

Nam quid mali nostræ præsertim Urbi ejus acciderit obitu, secuta libertas malorum referta voragine facilè declaravit. Nempe ut cetera omittam, labefactabantur jura, leges occiderant, pullulabant vitia, virtutes proscribebantur, evacuabatur Civitatis ærarium, Civilis rabies parabatur, nulla erat in Urbe

A Justitia, mos vetustus exciderat, anguis patrius querebatur, opprimebantur justi, criminosi cornibus utebantur, gnari Legum, nudati virtutibus, improvidi, impudentes, ippocritæ, pueri gubernabant. Videtis quare nostræ Civitatis exitium! Erat nobis inter lugendum mors futura suavior, nisi Dominus noster Jesus Christus tam accelerata, quàm accommoda, quàm opportuna, quàm salubria remedia præstitisset. E Cœlo descendit mirifica proles ætati nostræ propior, Illustrissima Blanca Maria, quæ in aspero, ac difficili rerum articulo plurimum salutis Urbi nostræ, atque Italiæ attulit. Hujus gratia, veluti existimo, Illustrissimus ejus Genitor conjuge sua, ejusce amplitudinis muliere fortasse abstinuit, ne ad alie-

B nas quàm Blancæ Mariæ manus hujus Civitatis Imperium declinaret. Tu Blanca Illustrissimo Francisco Sfortiæ Duci nostro semper Invicto, matrimonii lege connexa es. Ille flos Ordinis equestris: Tu Matronarum præcipua. Ille præstantissimus solidæ virtutis Auctor, tuæ virtuti nihil cedit. Ille post amplissimos tum militia, tum pace triumphos, post Marchiam a se jam domitam, post innumeras Urbes, populosque devictos ad hanc dignissimam Insubrium Sedem, favente Deo, benevolentia Civium, ob inclytamque sui virtutem honoratissimè sublimatus est. Tibi Blanca præclara hæc Civitas jure optimo debebatur. Hoc qui-

C dem illustre Dominium tuus Conjux suscepit. Tu hoc illi tuis manibus tribuisti. Te cuncti summa benevolentia prosequebantur. O pacem Cœlo demissam!

Tu cum Illustrissimo Consorte tuo humeris salutem tuæ Patriæ gestavisti. O felix Lombardia, atque in dies futura felicior! Intueor Blanca ex te natum Illustrem Galeacium Comitem, ceterosque liberos tuos, tot equidem Italiæ propugnacula, tot Lombardiæ lumina, tot Civitatis nostræ firmissima robora, Deo disponente, futura. Ne cesses Blanca filios procreare, quæ nobis pacem, fiduciam, præsidium, animi voluptatem, incredibilemque lætitiam peperisti.

F I N I S.

Digitized by Google

VICTORIA
CREMONENSIUM
IN NAVALI BELLO
SUB NICOLAO PICININO,
ET
FRANCISCO COMITE DE COTIGNOLA
CONTRA VENETOS
SUB NICOLAO TRIVISANO
ANNO MCCCCXXXI.

OPUSCULUM
AB ELISEO DELLA MANNA
CONSCRIPTUM,

Et ex MSto Codice Bibliothecæ Ambrosianæ
in lucem emissum.

Digitized by Google

ELISEUS DELLA MANNA
BONASANCÆ
PATRI SUO
MICHAËLI QUONDAM DE SUMMO
MAJORI SUO
SAL. PL. D.

A Exigitis, & petitis a me rem quidem mea sententia cum magnitudine facti inenarrabilem, tum celeritate incredibilem: Explicem ut vobis belli seriem, & victoriam nuperrime habitam contra potentissimos inimicos nostros in navali certamine apud Cremonam confecto, incredibili virtute Capitaneorum nostrorum, Nicolai Picinini, Comitisque Francisci, qui Classi Illustrissimi Domini nostri præerant, fortitudineque admirabili militum, & pugnatorum nostrorum. Provinciam hanc puberculus libenter aggrediar, vobisque in hoc morem gerendum censeo, tum quia in hujuscemodi re plerique, aut hebetudine animi adducti, aut incognitione rerum gestarum B affecti, vana, & longè a vero aberrantia decantant, implentque falsis rumoribus mortalium aures; tum quia animadvertetis maximè fidelitatem, & animum nostrorum Concivium, sponteque oblata corpora sua pro Statu, Imperio, & fortunis Domini sui, saluteque totius Lombardiæ, quam afflictam, dissipatam, depopulatam videremus, si hostes ipsi nostri victoria potiti fuissent. Hanc igitur pugnam, victoriamque, & prædam ex hostibus habitam quam brevissime potero, demonstrabo.

Die Jovis, is dies fuit decimo Kalendas Julias, superba classis inimicorum nostrorum, Dalmaticis, Albanisque, & Græcis referta Militibus numero XXXV. Navium structarum C ad pugnam, cui Præpositus erat Vir Nobilis Nicolaus Trivisan.s per Eridanum supervecta juxta Cremonam navigaverat, ibique se Ancoris in aciebus structa, transque hostem operiens firmaverat cum infinita commeatus & aliarum opum copia. Persuaserant enim sibi conjungere se cum exercitu suo terrestri, qui a Cremona per duo millia passuum distabat, eumque egentem, & victualibus carentem, ipsaque inedia pene pereuntem, iis commeatibus, & harum opum abundantia restaurare: Deinde auctis, & conjunctis terra aquisque viribus suis, velle inclytam, & pulcherrimam Urbem nostram aggredi, machinisque oppugnare, prosternere, conterere, omnes Cives D captivos ducere, Matronas nobiles contaminare, virgines violare, Templa denique ipsa Deorum immortalium incendere; nihilque perfidiosum, nihil sceleratum, nullum inauditum facinus relinquere, idque aliis Lombardiæ Civitatibus, si nostram profligassent, facturos minitabantur. Quam impietatem, inauditamque insolentiam, immanemque crudelitatem, Dii propitii nobis animadvertentes, faventesque clementiæ, justitiæ, ac bonitati Divi nostri Cæsaris Philippi Principis Mariæ, brevi in caput suum, & Concivium suorum prostratis juribus suis retorserunt; sed paulisper digressi ad rem redeamus.

Sentientes Duces, atque Imperatores classis nostræ numero quadraginta Navium fabricatarum ad pugnam, non multum a sua distantis, adventum hostium nostrorum, eorumque voluntatem decertandi, non territi, neque formidantes mortem, sed audacissimi, & jam animo suo victoriam sperantes, jusserunt nautis obviam hostibus navigare. Sic continuo peractum est, seque per dimidium Stadii procul ab ipsorum classe posuere. Tunc diei fere XX. hora erat, egressus scilicet classem Comes Franciscus, celerrime Civitatem ingressus est, delegitque quamplurimos Cremonensium ad belligerandum idoneos, multosque forenses ære conductos, & bellatores Viros, eosque classi imposuit, quæ paucitate Militum non satis firma erat. Roboratis itaque nostris viribus, adjunctisque pugnatoribus, instructis omnibus ad confligendum pro tempore, quod classe in ordinem redacta nostri se in profluente Padi aggressuri inimicorum potentiam, obviam posuere. Instructis ita ambabus partibus, fama ingens per Urbem vagatur convenisse utramque classem, brevique inter se decertatum iri. In hoc quidem conflictu salutem, & incolumitatem Urbis versari, vastationemque, & desolationem consistere.

Tunc temporis Urbs in maxima cura, & trepidatione, consternationeque animi fuit. Reliqui qui supererant bellatores, omnesque Cives armis apti ad Eridanum promunt, cupientes nostris opitulari, si in certamine paulisper declinassent; incredibilis ardor pugnandi adeo tunc animos omnium Cremonensium invaserat, ut certatim se offerrent, exponerentque corpora sua periculis pro Imperio Domini sui, Reique publicæ liberatione. Non sibi videbantur ad pugnam, sed ad certissimam palmam accedere. Omnis ætas cupiditate visendi decertationem flagrabat. Alii muros Urbis capere, alii turres scandere, nonnulli ædium tecta superare. Virgines autem nuptæque hoc audientes Fana, ac Deorum immortalium Templa petere, seque ante beatissima Corpora Homoboni, Martyrumque Petri, & Marcellini nostræ Civitatis Custodum ponere, devotissimeque cum lachrymis exorare, ut victores nostros contra hostes nostros efficerent, Urbemque incendio, rapina, & violatione tuerentur; parentesque, fratres, maritos, natosque, qui classem conscenderant pro liberatione Patriæ, ad lares proprios incolumes revehe ent. Dilatum est bellum inter utramque partem a vigesima hora usque ad tertiam & vige-

vigesimam diei. Credo tamen hoc peractum esse de industria a nostris Ducibus, ne si confligerent, a Comite Carmagnola hostium exercitus Imperatore classi suæ ingruente noctis tempore auxilium dari posset.

Sed priusquam ad prælium deveniam, ordinem utriusque classis exponam. Diviserant inimici nostri in inferiori discursu Amnis positi classem suam in tres acies. Prima erat duodecim Navium, quæ ceteris majores erant, & præstantiores tam numero, & fortitudine virorum, quam bellico apparatu, quibus Præpositi erant duodecim Nobiles Veneti. Primus eorum Dominus Nicolaus Trivisanus, & Capitaneus, & Dux totius classis; reliqui Joannes Delphinus, Lombardus etiam de Ponte, Donado, Mimo f. Diedo, D. Donado quoque de Ponte, Emus de Bocole, P. Sorancius, M. de Pensauro, ii omnes simul catenis nexaverant operientes hostem: passurique impetum, & tempestatem totius Martis. Reliquas acies tanquam alas primi in lateribus posuere. Ut si prior impetum hostium nequiret perpeti, eæ continuo auxiliatrices adessent.

Nostri autem in superiori parte positi primam aciem XX. Navium bellicosissimarum constituerant, quæ non Barbaris, & Dalmaticis, sed fortissimis Viris, & bello doctissimis omnibus Italis refertæ erant. Alteræ duæ erant XX. Navium, quæ expeditiores, & leviores ad invadendumque, & propulsandum hostes aptiores.

His expeditis descendamus ad pugnam. Ea igitur hora Imperator classis nostræ, Nicolaus Picininus, volens hostes invadere, nec diutius differre certamen, cœpit magna voce omnes cohortes Præliatorum, & Sagittariorum nautarum, & globos exhortari, ut viriliter, & audaci animo inimicos aggrederentur, neve minas Barbarorum in prælio expavescerent, se superiores, & fortitudine Militum, & Navium numero, Deos justiorem causam nostram decertandi defensuros. illos fedifragos, & contra jus, fasque decertare; fortunam sibi præclari facinoris casum dare. Postea se in domibus suis & in libertate sine metu vitam acturos, demonstrans; meminerintque se non pro Regno, neque pro potentia, sed pro fortunis suis, pro filiis, pro uxoribus, pro sua Republica, denique pro totius Lombardiæ liberatione decertare. Hac exhortatione animi omnium adeo inflati, & accensi sunt ad spem potiendi victoriam, ut magis ad speciosissimum triumphum, quam ad pugnam proficisci viderentur. Veneti verò e contra more suo Barbarorum cuneos ad confligendum exhortati sunt. Itaque utrinque signo dato, ingens clamor exhoritur. Quassatio remorum, collisio undarum, commixtio armorum, tonitrua machinarum, voces exhortantium, classicorum sonitus, strepitus rudentium usque ad Cœlum audiebantur. Urbs tota exhorruit, expalluitque inusitato clamore, & fragore. Eridanus quoque ipse rex fluviorum inconsueto tumultu obstupefactus, timoreque non minimo perterritus, abditas, & secretissimas sedes suas petiit. Eademque hora, & in sequenti nocte, quod mirandissimum fuit, duobus cubitis decrevit.

Inito certamine, nostri non eorum fortissimam aciem, quæ XII. navibus compacta erat, sed sinistram alam invasere, vique remorum, virtuteque pugnantium, viam sibi per hostes fecere non sine clade, & interitu utriusque partis. Aperto itaque itinere nostris, perterritisque timore magno inimicis, nonnullisque eorum navibus captis, nostræ omnes acies primos aggressores protinus insecutæ sunt: seque inferiores observantes, iter, & fugam hostibus obviàm collocavere. Clausis itaque undique inimicis, fortunaque in primordio belli nostris favente, superveniente que tempore noctis, non amplius utrinque decertatum est. Sed nostri acies suas denuo struxere, fortiorem priorem ponentes, expeditasque alias duas in lateribus collocantes, diluculo reliquam hostium expugnaturi. Ea nocte Duces nostri quosdam in exordio pugnæ sauciatos extra classem posuere, novosque, & valentes tyrones intromisere: recreatique sunt audactioresque plurimùm in hostes effecti. Nicolaus verò jam desperans victoriam, seque penè jam captum videns, omnes suas naves bellicas in unum redigit, ex tribusque duas acies constituit. Convocatisque ducibus totius classis, timore dissimulato, his in hunc modum orsus est: Viri nobiles, consciique periculorum, bellatoresque optimi. Animadvertitis equidem in quo angusto articulo redacti simus, quamque parva spes victoriæ nobis supersit, quamque in nostra Republica fortuna desæviat, summoto præsertim præsidio nostri exercitus, diminutisque nonnullis nostrarum navium in exordio certaminis obsessis, clausisque circumquaque a potentioribus hostibus nostris, abjectaque via fugiendi. Actum est Mediusphidius, ni salus libertasque vestra, ferro, virtute, fortitudine, audaciaque nostra reperiatur, quam sæpenumero in extremis nostræ Reipublicæ periculis adepti sumus. Satius nobis pereundum egregiè est, quam fœdè, ignominioséque, & per socordiam fugam capere. Mementote Viri nobilitatis nostræ, mementote libertatis, ac nostræ Reipublicæ, mementote Ducum nostrorum, qui tot tamque inclytas victorias virtute sua per totum Orbem Terrarum in navali certamine nacti sunt, Urbemque nostram clarissimis triumphis illustravere. Poniteque vobis ante oculos, ni fortitèr dimicaveritis, qui semper liberi educati estis, in fœdam servitutem eundum, vestrasque laudes hac ignominiosa nota maculatum iri. Nunc erimus ne servi, quam libertatem defendimus, quam in opulentissima Urbe nostra conservavimus, & alimus, quaque jam per millenos, & ducentos annos nostri Patres gavisi sunt? Eja igitur serenissimi Viri cum primùm lux fluxerit, non contracti animo, neque de victoria desperantes fortissimè in classem inimicorum irrumpite, dum cognoscant fortitudinem vestram, virtutemque vobis insitam, cum consternatione, & profligatione suorum. Hoc decus, hæc laurea nobis sempiterna erit; neve terreamini quia numero navium fortitudineque militum potentiores sint, insoliti, indoctique nautico bello sunt. Nos autem in hoc genere bellandi magistri, doctissimique, & quibus a natura, & ipsis incunabulis insitum est. Licet numero plures sint, astutia, sagacitate nostra, precibusque gloriosissimi Marci Evangelistæ facilè superabimus, victoriâque potiemur. Nobis afflictis, & penè jam ad deditionem datis in Januensi Bello fortuna favit, incredibilique palma de ipsorum classe parta, quæ nostra multo & multo superior erat, per Universum claruimus. Non secus arbitror in iis angustiis benignitate Deorum immortalium, & fortuna favente nobis contingere.

Ite

Ite igitur, & viriliter agite, servitutique mortem anteponite. Hac ratione hostes nostri animosiores effecti sunt, beneque sperare cœperunt, juravereque aut omnes occumbere, aut omnes in servitutem, & captivitatem dari, aut victoriam adipisci. His peractis omnes duces ad stationes suas rediere.

Illucescente igitur Aurora, utrinque classis paratur in certamen devenire. Bellum crudele, pestiferum, inenarrabile, arduum, difficillimum incœptatur, majorique clamore, majoribus vocibus, incitatiorique animo, quam in primordio belli concurritur. Primo nostri cum prima acie, in qua erant millia bellatores, aciem suam fortissimam tribus millibus Virorum pugnantium tanquam arx, & murus Eridano immota manebat, maximo impetu, maximisque clamoribus invasere. Eminusque inter utrasque decertatum, lapidibus, telis, missillibus, machinis bellum geritur; multi cecidere, multi vulnerabantur, nonnulli undas petiere: per utramque classem, gemitus, lamentatio, flebiles voces audiebantur. Postea verò quam nostræ naves se suis propiùs admovere, duæ bellicosissimæ, quæ Galiaciæ vocitabantur, quibus Præpositus erat Pasinus de Eustachio, ingenti collisione prorarum facta primæ aciei suæ adhæsere, mirandaque in hostes fortitudine militum suorum fecere. Erant enim, & structura lignorum fortitudineque mali, fortissimisque bellatoribus, bellicisque apparatibus, omni classe inimicorum superiores. Conjunctis itaque classibus eminus durissimum, & luctuosissimum prœlium committitur. Mars ipse in manibus erat, pilis, venabulis, gladiis coram decertabatur, Mille modis mors ante oculos posita erat, strepitus, & crepitus armorum ad Cœlum ferri, innumerabilia tela utrinque volare, grandoque missilium jaculari, clamor permixtus, lætitia, exhortatione, gemitu erat. Alteri alteros se mutuò sauciare, alteri mortem oppetere, nonnulli in alveum labi; utrinque saxa ingerebantur, sudes, faces, præterea pice, sulfure, & tædam mixtam ardenti. vasculaque pollinæ calcis plena mittere. Nullum perniciosius bellum credo unquam peractum fuisse, Expeditæ autem illæ nostræ hinc inde hostium oppugnare, nostris opitulari, sauciatos, & diminutos, occisorumque corpora e navibus educere, recentes addere, afflictos, & quasi ipso labore confectos restaurare. Innumerabiles tunc mortales periere diversimodè. Mole, & numero interfectorum, fragemntisque navium ipse Eridanus accursu suo detinebatur. Animadvertentes autem hostes nostrorum impetum, & tempestatem tanti Martis non posse perpeti, nostrosque magis magisque in ipsos invalescere, suorumque infinitam devastationem, & consternationem, neque sibi momentum pausationis dari, neque sauciatos aliquo pacto videri posse, neque nimio Marte confectos restaurare, recentes & novellos addere, cœperunt suæ saluti consulere. Fracto itaque ordine, diruptisque catenis, quibus prima acies compacta erat, per hostes vi remorum fugam petiere. Interruptis fractis aciebus inimicorum in fugam conversis, multæ ipsarum bellicarum navium captæ sunt, expoliatæque nautis, & bellatoribus, in amnis alveo relictæ. Videntes nostri victoriam in manibus esse, protinus reliquam fugentem classem insecuti sunt. Quatuorque naves bellicas in sabulo impulsas, in quibus erat Dux eorum, longo certamine, cladeque maxima

A nostrorumque labore, oppugnatas tandem devicere. Nicolaus verò Trivisanus videns classem suam dissipatam, profligatam, & captam, neque aliam viam saluti suæ adesse, dissimulato habitu lembum cum nonnullis conscendit, fraudatisque hostibus vocitatione illustrissimi Ducis nostri per medios nostros fugam arripuit, persequentes Viri nostri ulterius apud Pollisinum quasdam debellavere. Quæ cernentes non posse inimicorum manus effugere, ante quam in servitutem, & captivitatem devenire, se in fluctibus projecere, ibique infiniti undis oppressi periere. Nonnullas quoque ad Lonicum occupavere, neque ulterius a nostris navigatum est. Duodecim horarum

B tanta res, tantumque bellum confectum est. Nostrique tam illustri potiti victoria: Ex omni classe hostium evasere solummodo sex navis; unam autem in primo impetu belli Padus absorbuit. Oppressa, & obtusa est paulisper potentia Venetorum, fractis viribus classis suæ, meritasque permaximæ audaciæ suæ consternatione, & interitu Nobilitatis suæ Conciviumque suorum pœnas pependere. Nostri autem Duces Imperatoresque hac solemni victoria immortali cum laude, maximisque præconiis famam suam exornavere. Speciosus, atque admirabilis triumphus ex hostibus deductus est. Multi Nobiles captivi, multi Albani, quamplurimi Græci, infiniti Dalmatici.

C Duodecim illæ naves magnificæ apparatibusque bellicis, ceteris excellentiores erant. Sexdecimque aliæ expeditiores instructæque ad pugnam. Multæ naves victualibus, & aliarum opum abundantia onustæ. Preciosa vestis. varia armamenta bellica, plurima supellex, infinitæ divitiæ, his qui bello interfuerunt, mirandissimum est visum: Conspecto postea tanto apparatu, tantaque magnificentia suarum navium, classem inimicorum nunquam potuisse superare. Cremonenses, qui classem conscenderant, fama solum, & gloria contenti, prædam, & divitias maximas militibus, atque ære conductis reliquere.

D Cedat Marsiliensis triumphus, quem Cæsar Julius in navali certamine de iis adeptus est: Cedat de Cilicibus a magno Pompejo habitus. Cedant ceteri navales, quos veteres Oratores summa cum laude cecinere. Huic nuperrime de Venetis habito, prudentia, virtute, fortitudine Imperatorum nostrorum Nicolai Picinini de Perusio, & Comitis Francisci de Cotignola: Non hercle illi majores fuere, neque tanta celeritate confecti; sed solertia, & studia Scriptorum, & Poëtarum illos clarissimos fecere. In hoc non deerramus, hunc, ut ajunt, nostris oculis vidimus, veraque cognitione comprehendimus. Hac nobili palma tota nostra Civitas summopere gavisa

E est, omniumque animi Civium, se ad alacritatem, & jubilationem dedere, oblitique sunt & vastationis frugum, vinearumque suarum, depopulationisque omnium proventuum: sperantes in Omnipotenti Deo, qui in hoc nautico certamine, clementiæ, justitiæ, bonitatique Divi Cæsaris nostri Philippi Mariæ feliciter favit. Si Imperator noster Nicolaus Picininus cum cohortibus Inimicorum navibus conseruerit, in terrestri certamine, eum ad perniciem, & desolationem prostrationemque totius exercitus Venetorum felicissime facturum, seque spoliis, & inimicorum divitiis damna proventuum suorum restauraturos. Meo quidem judicio, dilectissimi Patres, petitioni vestræ

Digitized by Google

ſtræ abunde ſatisfeci. Expoſui etenim vobis ſeriem. & ordinem totius belli: Adventum hoſtium noſtrorum, quidque facturi eſſent, ſi ſe cum exercitu ſuo terreſtri conjunxiſſent, congreſſum noſtrorum, roborationem claſſis noſtræ auctis pugnatoribus, trepidationem totius Urbis, preces ad omnes Deos virginum, ordinemque utriuſque claſſis, Imperatoris noſtri exhortationem; inſultum noſtrorum in claſſem inimicorum. Obſerationem claſſis hoſtium. Orationem Nicolai Triviſani tempore noctis habitam ad ſuos. Bellum duriſſimum, ac luctuoſiſſimum utrinque in ipſo diluculo peractum, profligationem, & interitum totius claſſis Venetorum, viginti & octo bellicoſiſſimarum navium captione, infinitarumque divitiarum, & commeatuum adeptionem, nobiliſſimum triumphum, lætitiam, & congratulationem noſtrorum Conciviuim adepta victoria. Reliquum eſt, ut hac inclyta laurea jubeam vos bene ſperare, animumque lætiorem habere, perſuadereque vobis. Diis Illuſtriſſimo Domino D. noſtro faventibus, ærumnis, & calamitatibus relegationique veſtræ celerrime metam datum iri. Liberati ſumus ab hoſtium crudeli dominatione. Liberata eſt Urbs noſtra ab obſidione, direptione, incendio, violatione, populationeque barbarorum, liberatique affines veſtri ab interitu ſæviſſimorum virorum. Hoc igitur gaudeo, gaudete, & congratulamini vobiſcum, quia ſalus magna facta eſt in iſta, & valete, & plaudite, meque amate, & diligite.

Ex Cremona III. Nonas Julias MCDXXXI.

F I N I S.

ORATIO
HABITA
AB AUGUSTINO RUBEO
DE ARAGONIA
ANNO MCCCCLXXVIII.
IN LAUDEM
JOANNIS GALEATII
SFORTIÆ VICECOMITIS
MEDIOLANI DUCIS
Nunc primùm typis commiſſa
Ex MSto Codice Bibliothecæ Ambroſianæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN NOMINE OMNIPOTENTIS, ÆTERNIQUE DEI,

MAGNIFICI UTRIUSQUE CENSURÆ INTERPRETIS
CLARISSIMI EQUITIS QUOQUE AURATI

DOMINI DON AUGUSTINI RUBEI
DE ARAGONIA

ORATIO GRATULATORIA

HABITA

IN ECCLESIA MAJORI MEDIOLANI IN PUBLICA CONCIONE
PRO ILLUSTRISSIMO DUCE NOVELLO

D. JOANNE GALEATIO
SFORTIA VICECOMITE

IN FESTO S. GEORGII ANNI MCCCCLXXVIII.

Fas est hodiernam diem, conscripti Patres, nobis omnibus meliore numerare lapillo, & si nostros annos more Romano revolvere voluerimus, maximas habebimus impræsentiarum æterno Deo, sacrisque Numinibus gratias, quod non vi, aut armis, vel exercitibus, neque ulla violentia, vel ferro, sed motu proprio, libera voluntate, communi deditione, & ex certa scientia huic nostro Illustrissimo Principi novello Joanni Galeatio Mariæ Sfortiæ Vicecomiti in summa pace, quiete, tranquillitate, & concordia Ducatus insignia conferri, titulumque videmus: Cui tamen omni jure tam legitimæ successionis, & hæreditatis paternæ, quam continuatæ possessionis præstiti jamdudum fidelitatis juramenti, & primogenituræ debebantur. Mihi verò utrum voluptatis, ac jucunditatis, an molestiæ, & perturbationis plus capiam dubitanti coram tanto dignitatum vestrarum fulgore a majoribus, quibus morem denegare non licuit, ad dicendum hoc in loco ceteris silentibus, atque audientibus deputato, lingua palpitat, titubat animus, vox faucibus hæret, & mens in varias dicendi formas agitatur, durusque tremor per ossa vagatur; quandoquidem rerum magnitudini de qua verba facturus sum, parem eloquentiam, sive doctrinam non invenio: sed relevat intentionem meam, trepidationemque corroborat Divina in primis miseratio, quæ piis conatibus nunquam deesse consuevit. Nam summus ipse Olympi Rector, & Mundi opifex Deus offerentium semper corda respiciens, gratiora pio cum pectore thuris granula, quam auratas victimas suscipit. Denique vestra erga me benignitas, & amor, Clementissimi Patres, quos in hac parte Artaxersem Persarum Regem mecum imitaturos certo scio, quo deambulandi gratia equitante, cum homo quidam humilis, & pauper ei obviam factus esset (mos enim erat Persarum Regem cum munere salutare) aquam ambabus manibus e fluvio arreptam porrexit. Rex jucundè munus accepit, subrisitque, & aures benignas accommodavit, promptitudinem dantis potius quam magnitudinem dati mensurans. Sic ego non vim, sententiam, gravitatem, elegantiam, aut ornamenta; sed solam, puramque fidem præstaturus accedo.

A

Et omissa jam modo præfatione rem ipsam aggrediens, neminem vestrum in iis astare sedibus, atque subselliis conspicio; quem non summa aviditas, & expectatio teneat aliquid ex me memorabile, vel dignum addire. Mihi quoque tot enarranda succurrunt, ut huic vel imbecilli ingenio meo nullo modo deficere sermo poterit, omnia tamen breviori compendio, quam quisquam vestrum putasset, conglomerabo, ne in illud dictum Zenonis Philosophi forte incidere videar, quod cuidam loquaci inquit: si te meis audires auribus, profecto taceres. Ante omnia igitur de nostri Principis, & Proavorum suorum priori Vicecomitum origine, ac etiam de hujus inclytæ Patriæ decore, & præstantia, non enarrando, sed percurrendo quidquam recensere juvabit; quoniam singulos nominare, majoris operis, & altioris styli materia foret. Quippe qui annos supra ducentos & quinquaginta Turrianis dejectis, qui tunc variis favoribus adducti cornua ad hunc Dominatum erexerant, omnem Ditionem, & Principatum in hæc usque tempora nostra continuaverunt, adeoque postea in modum semper crevit Anguigera Domus, ut omnes ferè gratias, quas hominibus afferre fortuna potest, majori cum splendore, ac affluentia in eam, quam in ullam aliam Italiæ gentem, delatas esse videamus; sive enim artes belli, sive studia pacis attendamus, sive potentissimorum Regum, ac maximorum Principum affinitates, sive longè, latèque effusam potentiam, ac summas opes, sive clarissimum nomen, & quan-

B

C

dam incredibilem, & propemodum singularem rerum gestarum gloriam consideremus, nullum ego arbitror Dominium in toto Latio, aut esse, aut multis jam annis fuisse, cum quo in omni genere laudis Vicecomitum familia certare non possit. Amplissimæ autem hujus Patriæ præconia, quis maximis non extollet titulis, in qua tot excellentissima bona quotidie cernimus? Miram scilicet aëris salubritatem, Terræ fertilitatem, amœnitatem fontium, rivorum, & fluminum vitrea quodammodo unda manantium, æquissimam planiciem, & gratissimam, jucundissimamque Montium vicinitatem. Est profectò Urbs ista totius Regionis primaria Metropolis, rerum omnium, quæ humano usui conveniunt, uberrima, a fundamentis vetustissima, Civium fœdere, & amicitia munitissima, artium magnitudine, & varietate fœcunda, literarum, ac scientiarum speculatione præclara, nobilitate, dulcique incolentium sanguine super omnes admirabilis, atque laudabilis; quæ quanti ab Universo existimetur Orbe, illud potissimùm extat argumentum, quod ei Principi quicumque fuerit Romanorum Rex designatus, ex hac Civitate ferrea traditur corona; ferro namque non auro pro Imperio dimicatur, & qui a Mediolanensibus quotiescumque vel vi, vel gratia Coronam ipsam adeptus fuerit, is planè totius Mundi Imperio dignissimus judicatur. Postremò ab ipsis Imperatoribus longo jam tempore (ut latissima dictant privilegia) in Ducatum erecta. etsi ab inde citra Principes nostri Duces nominati sint. Pio tamen Secundo, Maximo Pontifice, in quadam ejus Epistola teste: Regnum est istud, quod ab eis possidetur: ex quibus quinque jam exactis, Joannes Galeatius modernus Dux Sextus inscribitur: Verum enim verò videre modo videor, nec immerito quidem Vos omnes, Patres celeberrimi, auribus erectis astare, intentosque ora tenere ad audiendas aliqualiter singulorum commendationes: sed tantum Pelagus ingredi nolo, quo necesse sit mihi in medio dicendi cursu subsistere. Quis enim confidet superiorum Ducum admirabiles, præclarasque dotes attingere, quæ nullis terrarum Regionibus, non ipso Mundo, nec Cœlo continentur?

Ad proximiorem itaque radicem me tantummodo referens, judicavi, persuasique mihi incipiendum dumtaxat esse ab illo invictissimo Francisco Sfortia hujus nostri præsentis Ducis Avo paterno, quo cum nullus unquam vel natura melior, vel speculatione regendi subtilior, vel omnium rerum cognitione præstantior fuerit. Statui hunc unum Virum vera virtute virentem, non dicam laudare. sed ejus semper recolendam memoriam admirari, colere, & venerari: in quo licet summa forent omnia, & pacis, & belli, & regiminis, & alti consilii ornamenta: nihilominus militiam semper sublimem, egregiamque immortalitatis, & famæ materiam esse ducens, cognoscensque certantibus, & non spectantibus coronas debito jure parari, consideravi hominis fœlicitates non in honestate solum consistere, ut Socrates, Zeno, Cleantes, & Stoycorum Schola voluit, neque in mentis, & animi voluptate tantum, ut Epicurus Aristyppus, neque in perturbationum, & dolorum vacuitate tantum, ut Rhodius, neque in primis & maximis naturæ bonis tantum ut Carneades, neque in voluptatis, honestatis, & indolentiæ connexitate tantum ut Diodorus Peripateticus; sed etiam ex Aristotelis mente in ipsius virtutis exercitio, & labore, secundum quod ejus triumphantissimæ, & innumerabiles victoriæ profitentur, quas toties decantatas a Clarissimis Oratoribus audivistis, & earum plenas habetis historias, ut tanquam res notissima, nunc a me minimè narranda esse videatur. Sfortia etenim Francisci parente potentissimo vita functo, cui similem, aut parem in armis nulla unquam secula protulerunt, Sfortiensium omnium Imperator, & caput, relictus filius adhuc adolescens, ad equestria pericula capescenda continuò proficiscens illuc, ubi rerum gerendarum frequentem occasionem videbat, tam consentaneam in expediendis rebus semper fortunam, & propriam virtutem habuit, quod sub ipsorum Sfortiensium Vexillo, & Marte, Francisco Duce nemo unquam nisi Victor evaserit, tantam fidenciam suis, & terrorem hostibus, solum illud nomen afferre ubique consuevit, ut nedum homines, sed etiam alioquin Cœlorum fata, pro suis victoriis pugnasse visa fuerint. Itaque illi postea tanquam primo totius Italiæ Viro, qui arma ferret. gloriosissimus Philippus Maria hominum subtilissimus existimator, Excellentissimam cunctarum Matronarum Reginam Blancam Mariam ejus unicam filiam, propria sibi vita cariorem, pulcherrima Civitate Cremona, ac munitissimo Oppido Pontremulo dotatam, cum filiali adoptione, & Principatus successione, decentissimo Matrimonio copulavit, hujus nostri Domini Aviam quondam maternam, cujus quidem Divinæ virtutes, in Deum religio, vitæ sanctimonia, pudicitia, formæ majestas, animi magnitudo. humanitas, munificentia, mansuetudo, & clementia, meo. nec alieno indigent testimonio, apud vos præsertim, qui cuncta sensistis, vidistis, & ipsis. ut ita dicam, manibus tetigistis. Ex hisce postmodum parentibus, & tali genere Galeatius istius Joannis Galeatii Pater creatus ad nostram fœlicitatem augendam successit; hic enim fuit præcipuus Reipublicæ propugnator. audaciæ terror. nequitiæ frenum, portus bonorum, nocentum scopulus, & ad ministrandam illam maximam omnium virtutum justitiam, quam Plato optimam appellat, Aristoteles clarissimam, & admirabilem, M. Cicero excellentissimam, divusque noster Justinianus perfectissimam cognominat, ulla sine personarum acceptione, avidissimus pariter, ac observantissimus. Prudentia quoque, quæ rectè agendi Scientia dicitur, & ab Aristotele deffinitur, in Ethicam, Œconomicam, & Politicam; a Tullio autem, & Seneca in providentiam, intelligentiam, atque memoriam, tam perlucidè in eo veluti Lucifer. & Hesperus coruscabat, ut nulla res tanta aut tam difficilis foret, quam non ille, & consilio regere, & sapientia tueri, & virtute conficere posset. Nec est opus ad ceteras ejus virtutes divisim comprobandas, quod impossibile foret, descendere. Nam omnes inter se, ut poscit Cicero in Tusculanis, adeò nexæ, conjugatæque, & catenatæ sunt, quod una sine aliis esse, nec haberi potest; & sicuti Solem splendor comes assequitur, sic & rebus ipsis rectè, & cum virtute ab eo peractis, laus, honor, & gloria semper elucebunt, servabuntque sepulchro, quamquam illum non grandes sui, numerosique thesauri. non amplissima, nec munitissima Dominii latitudo, non maximi, & ornatissimi equitatus, non tantus tamque incredibilis peditum. vel classium numerus potuerunt (proh dolor!) ab extremo, immanique supplicio defensare. Post cujus quidem indi-

gnis-

gnissimam cædem cum tot extrema mala suboriri, & metu maximo pereunti ipsis, ut ajunt, oculis cernerentur, sola Bona Illustrissima, & Excellentissima Ducissa nostra relicta, suo ingenio, bonitate, & virtute viam nobis ad bene sperandum aperuit, & ita ejus felici sapientia effectum est, ut omnia non tantum conservata, sed recup rata, aucta, & amplificata fuerint, vixque ullo tempore majori in otio vixerunt homines, & totius Ditionis nostræ Urbes, quam nunc faciunt. Porro maxima sunt ista, ac supra ætatem, & sexum mirabilia. Verùm qui hujus nostræ Ducis Matronæ industriam, & naturam novissent, non mirarentur hæc, & his majora suo ingenio ministrari, & confici posse. Fatebor tamen Senatorum suorum, & eorum maximè, qui de latere nuncupantur, & summam regiminis tenet integritatem, fidem, & magnanimitatem in multis, consilium, opem, causamque præstitisse, ac teneram quandam Mediolanensium benevolentiam, qua Principes suos quasi superne datos semper coluerunt, etiam non d. fuisse.

A

De Domina nihilominus magnificè sentire, & loqui, nemo sit unquam qui dubitet, qui ejus modestiam, humanitatem, & continentiam intelliget, ac potissimùm illam virtutum præstantissimam gratitudinem, qua tantum pollet, ut nihil sit, quod magis velit, quam se omnibus gratam esse, & videri posse. Quo fit, ut non solum mereatur a nobis observari, sed etiam omnium vestes sterni per ea loca, qua pedibus vadit, & terram quam calcat osculari. Reliquum nempe quod ad explendam modo, & omni ex parte perpetuandam hanc nostram præsentem felicitatem supererat, id nobis affert regiæ indolis adolescens Dux noster Joannes Galeatius, in quo veluti fonte vivo redundare, ac resurgere paternas, & avitas virtutes, sine dubio sperare valemus; & rectè sanè, ut mea fert opinio. Nam si secundum tragoedum Senecam, generosa femina in suos solent ortus surgere, Principis ipsius genitura, & antequam natus esset, nobis affirmabat eum, non nisi clarissimo ingenio, ac præstantissima natura procreari potuisse. In eo etenim Majorum suorum imagines, habitus, facies, formæ, membra, viscera, & proprius sanguis referuntur. Sic enim oculos, sic illi manus, sic ora gerebant. Philippus Macedonum Rex Alexandrum edidit magnum, Pyrrhum Achilles, Amilcar Annibalem, Scipio quoque Scipionem Africanum, & ita bonis esse creatum parentibus pulcher thesaurus reputatur; sed in hoc puero nostro Principe adest prona natura, idoneum ingenium, & ad maxima quæcumque rectè dispositus animus: Neque externa illi, ut vidisis, quantum pro tempore, licet deficiunt bona, formæ dignitas, læta frons, oculorum hilaritas, procera statura, decora cæsaries, & omnis venustas. In ejus quoque vultu nunc usque lilia, rosæ, opobalsama, & potissimùm ipsæ gratiæ inhabitare videntur. Quæ omnia, licet facilia videantur, ad spectantium tamen benevolentiam, venerationemque non modicum conducunt. Nam quis est adeò humanitatis expers, quem venustas non afficiat? formosos cuncti quodammodo diligunt, dignos credunt Imperio, eisque libentiùs obsequuntur. *Gratior*, inquit Virgilius,

Est pulchro veniens de corpore virtus,

adjuvat fortes, sapientes, justos Principes. Si deformes sint, magis veretur multitudo, quam diligat. Verumtamen hæc formæ gratia, nisi solida secum, & expressa sit probitatis significatio, nulla prorsus laude, vel memoria digna est. Ad hoc autem potissimùm conferunt educatio, consuetudo, & bona doctrina. Audiant ergo, qui alendi pariter, & nutriendi hujus Alumni præstantissimi curam habent, hæc in eorum humeris consistunt. Primum omnium, ut instruant, qua Religione in Deum immortalem uti deceat, qui non relinquit sperantes in se, vias custodit, & pedes ab omni dirigit lapsu. In Matrem, & Patriam pietatem doceant, & ad omnes denique vultu, fronte, verbisque comiter excipiendum commonefaciant: quæ quidem partes sunt ad futuram ætatem accommodatissimæ. Literarum studia non prætermittant, memores, juxta Ciceronis sententiam, beatas illas Respublicas fore, quibus docti Principes dominantur; Cæsar enim ipse quantum poterat, semper in bellis, aut legebat, aut scribebat. Nam in omni otio, ut Cato senior ait, suaves semper sunt comites libri, & operæpretium est aliquando, ut ajunt, scire cum mortuis loqui, iracundiam, avaritiam, cupiditates, & alia vitia. quibus virtus relanguescit, continuò sibi in faciem detestentur. Clementiam, & liberalitatem approbent, quæ propria sunt Principum cognomenta, ita ut major factus discat sævitiam ac nunquam severitatem alicujus, at clementiam, & benignitatem semper in homines exercere, neque unquam ut suos locupletiores reddat, ærarium proprium exhaurire formidet, quoniam Regum divitiæ ex amplis Subditorum facultatibus constant. Quocirca Alexander ille vere magnus cum omnes opes donando distribuisset, interrogatus quidnam reliquum sibi fecisset, spem ipsam respondit, amicorumque benevolentiam, & amorem: satius esse ducens, habentibus aurum dominari, quam habere. Sed ne diutius Minervas instruere videar, quod mihi fatuum est, ex multis hoc unum dico:

B

C

Dum tener est natus, generosos instrue mores.

Et tu, mi Princeps,

Macte puer, virtute nova sic itur ad astra.

In ceteris verò Status iste tuus tam densas radices, & solidos nervos habet, quantum quisquam optare, vel sperare posset. Stat tibi tutrix, & administratrix optima Mater: stant fidelissimi Senatores, & Magistratus: stat Subditorum benevolentia, Ducatus integer, vires fortes, & amplissimæ armatorum copiæ, opulentissimæ Civitates, abundantissimæ opes, & plurimæ conjunctiones, affinitates, societates, & amicitiæ. Habemus primo Summum Pontificem, cunctosque Romanæ Ecclesiæ Principes ad omne nostrum beneficium paratissimos. Habemus sapientissimos Venetos, oculatissimos quoque Florentinos tanta foederis paritate, & unanimitate devinctos, ut unus secundum quod Pithagoras vult in amicitia fiat ex pluribus. Habemus duo fulmina belli Marchiones Mantuæ, & Montisferrati, quorum alter Ducalis Capitaneus generalis, alter Locumtenens est, bellorum parentes, potentes opibus, potentiores brachio, & virtute potentissimos. Sabaudiæ autem, & Ferrariæ Duces excellentissimi, adeò nobis, & affinitate, & amicitia, & animo, & voluntate, & mente (ut nostis) nexi sunt; ita quod nostri incolumitatem non minus faciant, quam propriam. De splendidissimo denique illo sydere Ferdinando Rege nunquam satis explicare possem, quam sint reciproca vota sua cum nostris ad omnes curas, studia, & cogitationes, quæ communibus Statibus

D

E

Digitized by Google

bus conveniant, itaut Principes ipsi nostri mater, & filius illum rectè reputare possint spem præcipuam, curarumque suarum solatium, ac levamen singulare. Christianissimo Francorum Regi, quam cari sint, tacebo; id enim ex ipsa cognatione intelligere potestis, & Legati sæpenumero euntes, venientesque declarant. Crescet etiam aliquando Hermesus frater, quem parvulum nunc videmus, & in virum evadet singularem. Sic enim vaticinari lubet, Germano Duci, & nobis non modico usui cum tempore futurus. Quas demum omnes ob res, dulcissime Princeps, tanta hodie lætitia perfruitur hæc universa gens tua, tantis exultat gaudiis, ac tanta in voluptate versatur, quod si tam facile eorum animi oculis cerni, quam cogitatione comprehendi possent, reperiretur nemo, qui pro tua dignitate res, fortunas, liberos, & ipsam vitam profundere dubitaret. Et ne longè exempla petamus, aspice modicum quæso hos tuos Mediolanenses: aspice, inquam, non per ænigmata, sed de facie ad faciem, clarissimam Mediolani nobilitatem, quemque suo ordine cerne, adolescentes, juvenes, viros, & seniores. tam officia gerentes, quàm privatos. Quis est, qui non singularem vultu, ac fronte A præ se lætitiam ferat? Omnis ætas, omnis sexus, omne Sacerdotium, & cuncta religio gratulatur. Rident parietes, tecta lætitia ipsa gestiunt, & tota Urbs exultat. Verte quaqua versus tuos sydereos oculos, nihil videbis hodie non plenum gaudii, non plenum lætitiæ, non plenum hilaritatis. Et ego tandem, ut aliquid de me ipso dicere non prætermittam, tibi hunc meum animum, hoc ipsum corpus, quo utor, omnes cogitationes, omnesque fortunas meas devoveo: Te unum omni fide, obedientia, & honore complector, Tu me gratissimum semper senties pro tua salute vigilare; & si quid unquam erit, quod a me possit Tuæ Excellentiæ, aut ullo ingenio, aut officio præstari, non B dubitabo, si opus fuerit, omnia pro te adire pericula, omnes labores, curasque suscipere; ac etiam propriæ penitus non parcere vitæ. Tu verò jam modo, quod ultimum est, totius Dominii dignitatem, insigniaque eo quo dantur animo, & bona voluntate suscipe, & sic juxta Genesis dictum: *Rex noster eris, & Ditioni tuæ subjiciemur*, in benedictione, & nomine Omnipotentis Dei, Maximi, Optimi, qui vivit, & regnat per infinita Secula benedictus Amen. Valete.

Digitized by Google

DE CONFLICTU
BRACHII
PERUSINI
ARMORUM DUCTORIS
APUD AQUILAM
POËMA
A LEONARDO GRIPHIO MEDIOLANENSI
CONSCRIPTUM,

Nunc primò

E MSto Codice Bibliothecæ Ambrosianæ
in lucem productum.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONFLICTUS AQUILANI,

QUO

BRACCIUS PERUSINUS

PROFLIGATUS EST,

AD FRANCISCUM SFORTIAM

LEONARDI GRIPHI MEDIOLANENSIS

LIBELLUS.

PRæstantem virtute virum, belloque potentes
Sfortiadas, cupido mens est evolvere cantu.
Non ego terribiles referam, Dux inclyte, pugnas,
Castraque maturis tibi debellata sub annis,
Ex quo sanguinei pacato turbine ferri
Ausonium candet pax intemerata per Orbem.
Sat mihi florentis juvenilia prælia dextræ
Promere, captivo cecidit cùm milite fortis
Braccius, & tristes Aquilam liquere ruinæ.
Vos modo laurifera per tantum nomen eunti
Aspirate Deæ, sacrosque effundite rores,
Et mea phœbeis innectite tempora sertis.
Vos dulci memorate sono, quæ causa, quis ardor
Impulerit tantas Franciscum exscindere vires.
Fleverat immitis jamdudum bella tyranni
Infelix Aquila, & casus lachrymarat acerbos;
Cum tenues discissa comas, & squallida longo
Ora gerens luctu, macieque exæsa rigenti
Armisonæ celsas advênit Palladis Arces,
Implevitque leves miserandis questibus auras.
Vasta palus Libyæ steriles intersita campos
Fontibus irradiat vitreis, quam dulcibus umbris
Populeæ frondes, & stridula cingit arundo,
Grataque rorantes admittunt frigora ripæ.
Hanc Tritona vocant, juxta domus alta Minervæ
Marmoreis surgit muris, Elephante nitescunt
Mœnia, ferratisque adamas in postibus ardet.
Auro interlucet paries, pictumque lacunar
Flammiferis radiat gemmis, & fulgura jactat.
Hìc Cyrrhæus apex, inscriptaque regia phœbi
Cernitur; auratis resplendent fluctibus undæ,
Florebantque hederæ; credas, volitantibus euris
Lauriferum nutare nemus, ramisque reflexis
Dulcia collisas effundere sibila frondes.
Ipse in sublimi stat vertice Montis Apollo,
Flaventes cui terga comæ, fulgentia velant
Crinali lauro, variisque coloribus ambit
Palla humeros, qualis cùm Cœlo tollitur Iris
Diversos viridi nimbos discriminat arcu.
Musarum circa residet chorus, antraque vates
Sacra tenent, flavis umbrata fronte corymbis.
Talibus ornatur paries; at Sede nitenti
Eminet innuptis Pallas circumdata Nymphis,
Nuper ab ingentis Solio remearat Olympi,
Æstivo sudore fluens, galeamque, gravemque
Exuerat membris clypeum: non crinibus illi
Serta virent, textive innectunt tempora flores:
It castis coma fusa humeris, niveasque pererrat
Flamma genas, roseusque rubor ceu lilia candent,
Sanguineis immixta rosis, aut nocte serena
Si quando Tyrios imitatur Luna colores.
Ut celsas ingressa domos pervênit ad ora
Palladis, has mœsta effudit cum voce querelas:
Armorum Dea magna potens, cui Jupiter hastâ
Bella ciere dedit, rursusque extinguere frenis;
Heu miseræ succurre Aquilæ! feralibus, oro,
Eripe me bellis; satis heu crudelia sensi
Supplicia, & duras hausi mœstissima clades.
Quæ me feminecem fortuna miserrima jactet,
Diva vides, atrox obsessam Braccius urbem
Marte premit; quatiunt muros tormenta ruentes,
Frugiferosque cremant inimica incendia campos.
Quid mœstos urbis gemitus, quid tristia dicam
Funera, quid pestes hominum, quos tabe nefanda
Pressit acerba fames, tenuesque exsorbuit artus?
Siccine florentem secura in pace juventam
Perduxi infœlix, inde ut tam sæva viderem
Bella, vetus cum jam sparsis per tempora canis
Frigida deficiens tardaret corpora sanguis.
Quod si invisa Deis vivo, si vertere gentem
Innocuam Superi fundo statuistis ab imo,
Urite me flammis, rapidos immittite fluctus,
Aut terræ immersam Stygias depellite ad umbras:
Quandoquidem fatis duco infœlicibus ævum
Quid me crudeli confundit Marte tyrannus?
Ille meas evertet opes? ille alta cremabit
Atria, dejectosque trahet per templa Penates?
Sacra ne direptis procumbere limina donis
Aspiciam, & patrio respergi sanguine natos,
Egregiasque rapi matres, tectisque furentes
Involvi flammas, & cuncta sonare ruinis?
Heu miseram tutare urbem! tu sola cadentes
Diva potes servare domos, tu sola ferocem
Braccium, & infestas ferro turbare catervas.
Ipsa tibi victrix altis hostilia Templis
Affigam spolia, & portarum a culmine summo
Captiva roseæ pendebunt casside cristæ.
Talia fundebat supplex lamentaque ab imo
Corde dabat, tepidi spargebant lumina rores.
Tunc contra his Pallas solatur vocibus ægram:
Desine sollicitis Aquila indulgere querelis,
Nec te fumiferi muris labentibus ignes
In gelidum vertent cinerem, nec cive perempto,
Spumeus undanti tectis cruor imbre natabit;
Quin tu hostem magno prostratum marte videbis
Incœptum damnare nefas, palmasque precantes
Tendere, cum rigidi transfixus cuspide ferri

Digitized by Google

Pulveream ingenti pulsabit corpore terram.
Est mihi fulmineis præstans Franciscus in armis
Sfortia quem nostræ claris in sedibus aulæ
Suscepi infantem; nondum vestigia parvi
Firmabant tremebunda pedes, linguaq; revincta
Non intellectas fundebant ora loquelas.
Ut primum rubuere genæ, & crescentibus annis
Incendêre novæ puerilia pectora vires.
Non ille ignavis crines umbrare coronis
Assuetus, mollesve inter gestire choreas;
Ast arma horrenda, & lituos audire canentes
Fulmineumque rotare ensem, brevibusq; lacertis
Claudere florentes ardenti in casside malas,
Aut levibus similem ventis phalerisque nitentem
Flectere equum,& lati spatium percurrere campi;
Exultans quotiens stimulis ingentibus ardet
Tela movere manu,& medium volitare per hostẽ
Quanquam purpureus teneræ flos ora juventæ
Induit, & prima flavent lanugine vultus,
Quem tu illum! aspicies? quantis florere triumphis
Si matura dabunt contingere tempora parcæ;
Quos populos? quas ille urbes? aut qualia bello
Regna premet? quãtus Latios cruor imbuet agros,
Quin demum Insubriæ sceptro dominabitur urbi,
Aureaque Hesperiis componet secula terris?
Illum ego conflato ferventem marte jubebo
Hostilem lacerare manum, belloque solutis
Mœnibus optata cives donare quiete.
Pelle metus, dixit, curasque e pectore movit
Interea umbriferis cœlo nox humida bigis
Devolat, & curas somno levat, altaque phœbe
Æthera lustrabat radiis, nimbosque secabat;
Continuo Pallas capit ægida, lucidus oras
Cui cristallus obit, medioque in margine Gorgon
Pingitur, & nexos in sibila dirigit angues.
Aurea tum viridi resplendent terga metallo
Divisa in squamas, aciem cruor inficit ater,
Sanguineæque micant linguæ, stant ora veneno;
Hinc galeam, & ferro radiantem corripit hastam,
Ausoniosque adiit campos, & mœnia claræ
Parthenopes; gelida hic noctis Franciscus in umbra
Humida sopitis carpebat somnia membris.
Extemplo aggreditur juvenem; tecta alta relucent
Intrantem testata Deam: tremit ignibus ardor,
Summaque flammigeræ feriunt laquearia cristæ.
Talibus inde thoro sic est affata jacentem:
Francisce armipotens, caræ spes una Minervæ
Audis heu clades Aquilæ infœlicis iniquas,
Infandos audis gemitus, quibus illa procellis
Jactetur, quantosque ferat miseranda labores?
Heu quibus illam atrox obsedit Braccius armis!
Qui pavidam cinxere metus! quam triste paratur
Excidium! tantas prohibe Francisce ruinas.
Ipsa putres lacerata sinus, largoque seniles
Sparsa fluore genas, mea nuper ad atria venit
Effuditque preces, & opem miseranda rogavit.
Ergo age tum croceo rutilis aget æquore currus
Phœbus equis, claramq; horrebunt sydera lucem;
Coge aciem, & duri bello pete castra tyranni,
Obsessamque tuis urbem defende lacertis.
Sic ait, & noctis tenues effugit in umbras;
At juvenem toto flammatum pectore somnus
Deserit, egregios tollens qui ad sydera vultus:
Salve, ait, o belli florens regina, sonantem
Agnosco parmam, & divinæ cassidis ignes.
En adsum, tua jussa sequor, tu bella moventem
Dirige me, & tantis adsis pulcherrima cœptis,
Auxilioque juva. Dixitque & membra repenti
Eripuit confusa thoro. Jubet arma parari,
Et viridi instructam Campo succedere pubem.
Cœperat Oceano roseos attollere vultus
Purpureis Aurora comis. & luce trementi
Clara rubescentes errabat flamma per undas.

A Legati extemplo Romani e Præsulis urbe
Francisco mandata ferunt, in prælia sese
Aptet, & infestos Aquilanis arceat hostes,
Pontificisque domet sceptro. Una floridus acri
Marte Severinas, turmaque Columna pedestri
Accelerant, aliique Duces, quos agmine denso
Francisci fidis Præsul commiserat armis;
Necnon Parthenopes validas regina catervas
Adjicit, expertus bellorum has Caudola ducit
Jam primo frigens senio, cui regia cuncti
Crediderant vexilla Duces, summamque futuri
Martis, & immensi dederant insignia sceptri.
Stat cunctis sævam bello contundere gentem,
Oppressamque Urbem, & miseros defendere Cives.
B Certatim arma parant, fervent confusa tumultu
Mœnia, puniceas hic fulva in casside cristas
Figit, inaurato gerit hic mucrone securim
Loricamque habilem crepitantibus induit hamis;
Ille cavas implet pharetras, ille horrida tractat
Spicula; pars clypeis humeros ingentibus abdit;
Pars loris innectit equos, pectitque comantes
Crinita cervice jubas: stant fronte corusca
Quadrupedes pictis velati pellibus harmos:
Frena sonant morsu, & spumis madet orbita canis.
Flagrantes arsere animi, seu pectora Mavors
Intret, & horrendos Bellona intorqueat ignes.
Postquam terrifico stridit tuba concita cantu,
It portis collecta acies, tolluntur in altum
C Sacratæque cruces, textuque rubente Columnæ;
Hinc picti sparsa volitant cervice leones.
Quis enses dextris adsint, & poma sinistris,
Ipse inter primos juvenilibus eminet annis
Franciscus, duplici splendent a lumine gemmæ
Pubentesque rubent malæ, frontemque virilis
Armat honos, qualis torvi sub rupe magistri
Æacides cruda cum cuspide figeret alto
Monte feras, teneraque moveret prælia dextra.
Flebilis obscuro chlamis illi vellere pendet
Ex humeris, nigro sonipes vestitur amictu
Nigrantesque jubæ celsa in casside nutant.
Ille quidem ignorans delatum in sydera patrem
Mœrebat lachrymans, insigniaque atra ferebat;
Nuper enim genitor mortales Sfortia terras
D Liquerat, & sese divinæ adjunxerat arci,
Flumineis ereptus aquis; namque amnis opaci
Dum cœcum scrutatur iter, sociosque paventes
Increpat, atque aliam flagrat contingere ripam,
Illum undæ texere graves, mersumque sub imis
Fluctibus in superas rapuerunt Numina sedes.
Circumstant fidi proceres, Michaëlque. celerque
Flascus, & invictis acer Catabriga lacertis,
Insignisque truci fervens in Marte Gerardus.
Inde alii, quos ante pater deducere campo
Sueverat, & victor captas inferre per urbes.
Omnibus ater apex galeæ, stant omnibus hastæ
Funereæ. Celsas urbis jam liquerat arces
Turba; gemunt campi, & sparsis radiantia flammis
E Æra incenduntur Phœbo, Zephyrique volantes
Adversas agitant cristas: compressus habenis
Frena terit sonipes, erectaque aure canentis
Exultant stridore tubæ; micat ignea cuspis,
Ardescunt sylvæ, & ferro nemus omne coruscat,
Ingentique cavæ complentur murmure valles,
Et caligantes tolluntur pulvere nimbi.
Interea e muri prospectant vertice matres
Attonitæ, trepidisque ostendunt agmina natis.
Illi per campos, & turbida rura fluebant
Luminibus sparsi tremulis, Aquilamque petebant,
Stant Aquilæ sedes arva inter Aprutia fixæ,
Quas circum immensæ rupes cinxere, cavisque
Vestiti arboribus scopuli, radice sub ima;

Pla-

Digitized by Google

Planities fœcunda jacet, vicinaque tangit
Mœnia; pubescunt virides ibi gramine campi,
Inter & arentes turgescit Bacchus aristas.
Amnis ab urbe fluit, lætis qui lucidus arvis
Serpit, & humentes irrorat fontibus agros.
Braccius hic miseram vallo præcinxerat Urbem,
Septaque continuis quatiebat mœnia telis;
Lignea nam montes stabant castella per altos
Horrendis erecta minis, quæ densus obibat
Agger, & herboso stipabant cespite crates.
Hæc peditum distincta manus servabat, & altis
Robora compleat clypeis, vigilesque fenestras
Saxa coronabant solidis inclusa metallis.
Hinc urbi fera tela volant, pilulæque frequentem
Dant sonitũ, & sulphur celeri face sibilat ardens.
Ipse autem insignis equitatu Braccius omni
Per virides errabat agros, tentoria molli
Fixerat alta solo, quà roscida prata nitenti
Irrigat amnis aqua, latumque interfluit æquor.
Liquerat heu pressas invecta draconibus arces
Alma Ceres, lætusque averterat ora Lyæus
Sola fames Aquilam Stygiis emissa tenebat
Carceribus, monstrum infandum cui squallida fronti
Illuvies, fossi visus, in pectora crassi
Dependent crines, faciem cutis arida vestit
Pallentem, vix ora sonos languentia fundunt,
Ægraque funereo firmat vestigia ramo.
Hæc cum dira fremens incendit prœlia Mavors
Et ferri crudescit amor, tunc faucibus exit
Tartareis, pressasque armis amplectitur urbes;
Nunc procerum populatur opes, nunc cæde profana
Convertit miseros odia in lethalia Cives,
Nunc nova mutatis conjungit fœdera regnis.
Jamque Polo sextus fulgebat vesper, & umbra
Pallebant terræ, Titan ubi pronus habenis
Stridentem currum fumantibus obruit undis;
Jamque piger somnus lethea ad lora nigrantes
Connectebat equos, cœlumque secare parabat:
Ecce propinquarant Aquilanis rupibus acres
Sfortiadæ properi candentia vela sub alto
Monte locant, sylvamque, & rura virentia complent.
Stant ramis vincti alipedes, herbosaque tondent
Pabula, gramineis ipsi sudantia ponunt
Membra thoris, epulas Cereremque & dona Lyæi
Expediunt, spumant gemmatis pocula signis.
Ut dapibus sedata fames, cœlumque refulsit
Syderibus, tenero deponunt corpora prato.
Humentes artus sopor irrigat, arva quiescunt,
Frondentesque tacent sylvæ, micat æthere Luna
At non irriguum carpit sub nocte soporem
Braccius; afflicto vigilant in pectore curæ.
Cernit adesse hostem, jamjam stridere canoro
Ære tubas, celerique putat ruere agmina cursu.
Ergo humiles cœlo palmas extollit, & ignes
Fatur ad æthereos: Nunc nunc, o maxime Divûm
Jupiter herculeas infunde in corpora vires;
Dirige nunc bello dextram, si quando cruenta
Cæde manus sparsi, & tremefeci cuspide campos.
Tuque per Odrysios Mavors celebrate penates,
Qui Geticum ardenti sternis mucrone furorem,
Et spoliis currus oneras, succurre labanti.
Scis ut te largis semper Mars optime donis
Ornarim, ne me tantis patiare subactum
Casibus, & duro miserum certamine fundi.
Audiit orantem Mavors, jamque arma parabat
Insertare humeris, & charam poscere gentem
Piniferam juxta Rhodopen. Immanis in altum
Stat rupes erecta, cavisque asperrima saxis,
Quam gelidæ texere nives, & lubrica tergo
Horrescit glacies, feriunt capita ardua venti.

A Illius æthereo fundata in vertice Martis
Tecta excelsa patent, fulvo quibus ære nitentes
Cinguntur muri; rigido stant limina ferro;
Ærea marmoreæ sustentant culmina turres;
Suspensæ in foribus galeæ, taboque madentes
Dependent clypei, & squama lucente dracones,
Pallidaque ora ducum jaculis infixa cruentis.
Ipse alto sedet in solio, cui squalida vestit
Barba genas, fusæque comæ, rubor induit ora
Sanguineus, tacitis scintillant lumina flammis.
Bellonam extemplo vocat, & sic imperat ore:
I soror, & Stygii pete vasta silentia regni,
Anguicomæque volans defer mea jussa Megeræ:
Dulcibus accedat terris, dilectaque Bracci
Castra juvate animis, qui nunc Aquilana per arva
B Stat mę̧stus, ſęvumque expectat montibus hostem.
Ite & cunctantes subitis accendite in armis.
Dixerat; illa levi gelidum secat aëra penna.
Ipse ensem lateri accingit, manibusque nitentem
Subnectit mento galeam, cui ferreus auro
Splendet apex, gemino surgit juba ferrea cornu;
Inde cavo tegitur clypeo, quem Lemmius arte
Celatum egregia Siculis fabricarat in antris.
Fecerat hic auro natos tellure Gigantes
Bella inferre Jovi, divosque lacessere telis.
Stant clypeis collecti artus, torvumque tuentur
Ardentes oculi, strident sub cruribus angues,
Frondiferasque manu jactant ad sydera pinus.
Velluntur scopuli, atque auras saxa horrida complent.
C Parte alia flavente coma, lauroque virenti
Cultus arundineas torquebat Apollo sagittas.
Arcum insignit ebur, conserto baltheus auro
Setigeram innectit pharetram, prope bellica Pallas
Stabat, & horrenda tollebat gorgone parmam;
Quin etiam fulva protectus casside Mavors
Æratos agitat currus, calcatque cruentis
Corpora fusa rotis. Ipse ingenti arduus hasta
Imminet; intincta credas a cuspide labi
Stillantes guttas, & spargere sanguine terram.
Hinc & Rex superûm candenti in nube coruscus
Fulmina torquebat dextra, gentemque premebat
Terrigenam. Fumant ardentia membra perustis
Crinibus, & flexæ lambunt ora impia flammæ.
Tali præradians clypeo dextram implicat hastæ,
D Et currum ascendit saltu; levis inde citatis
Lora relaxat equis, volucresq; per alta quadrigas
Saxa movet, scindunt strictas gravia æra pruinas
Longa rotæ gemino signant vestigia sulco
Stridentes, sonituque gemens immurmurat axis.
Jam gelidam linquit Rhodopen, jam deserit Hæmum
Æquantem nubes, & densa fronte latentem
Deserit, & canis spumantem fluctibus Ebrum,
Ebrum qui totiens Orphei lachrymabile carmen
Audiit; Euridicen media cum fleret in unda
Infelix, fusoque ruberent sanguine ripæ.
Jamque leves Zephyros celeri prælabitur axe,
Pendentesque Aquilæ scopulos petit, unde jacentem
E Spectabat late campum, trepidasque cohortes.
Interea infernis remeat Bellona cavernis,
Crudeli conjuncta Deæ, cœlo ipsa Megæra
Prima subit, tetramq; manu quatit ignea pinum.
Exardent oculi tabo, Stygioque nigrescunt
Fonte genæ, cingunt sordentes tempora vittæ.
Ut virides tetigit campos, aurasque colubris
Afflavit, pereunt languenti in gramine flores
Purpurei, & foliis rami pallentibus arent.
Caligant Stellæ, & Lunam nox lucida texit.
Protinus infernis Aquilam petit horrida pennis
Et celso stetit in scopulo: tunc sæva virentem
Excussit serpente comam, insonuitque cruentum
Ardentemque alto vibravit ab aggere pinum.

Illa umbras flammis fulcant medio agmine Bracci
Concidit abrupta, salit face stridulus ignis;
At subitis cunctæ stimulis arsere phalanges.
Complentur clamore Poli, & cava saxa resultant:
Ignescit furor, atque imis tumet ira medullis
Jam cupidas conferre manus, jam pulvere crasso
Exoptant turbare diem: Certamina surgunt.
Tela quis adversum primus jaculetur in hostem,
Et quis sanguineis tingat prior imbribus enses.
Hostem omnes clamore cient: fremit ipse sub armis
Braccius, & longas queritur regnare tenebras.
Humida nocturnam tellus excusserat umbram
Cum rutilum petit astra jubar, curruq; trementi
Scintillæ ardentes crepitant, & ab axe coruscant.
Haud mora, succenso Franciscus pectore turmas
Excitat: arma viri capite, & conscendite rupes.
En nobis optata dies, tandem ensibus hostis
Per campum feriendus adest, quid sicca tenetis
Pila viri? en justæ poscunt vos Numina pugnæ.
Sic ait; ast illi properant per rura tumultu;
Pars nervis arcus tendunt, aptantque sagittas
Contecti squamis, tortati pars sulfure cupro
Includit pilulas, & stupa suscipit ignem.
Aut acres saliunt in equos, aut ære comanti
Occultant capita, & depicta hastilia crispant.
Miscentur fremitu, sylvæ dant pressa gementem
Arva sonum, circumque cavo mons personat ære;
Haud aliter densis spumoso in litore nautis
Armatæ fervent puppes cum prospera suadet
Aura vias, spirantque leves per cœrula venti.
It classi rector, sociosque accendit, & instat;
Illi certatim incumbunt, aut carbasa celso
Suspendunt malo, aut manibus retinacula solvunt,
Ferrea vel scisso divellitur anchora fundo.
Dant colles gemitum, & clamore remurmurat æther.
Mons medius scopulis aciem dirimebat utranque,
Aspera quo rosis dependent saxa cavernis,
Præruptæque jugis moles tum spinea dorso
Sylva horret, surguntque exeso e pumice vepres
Semita florentes Aquilæ descendit in agros,
Angustis arctata viis, quæ calle ruenti
Frangitur, ancipitique virûm fert tramite gressus.
Ergo ubi sublimi ventum est in culmine, & arctos
Sfortiadæ videre locos, aditumque labantem,
Hæserunt mœsto turbati corda dolore,
Præcipuè ambesas perlustrat Sfortia rupes,
Diversumque explorat iter: videt æquore fusam
Collucere aciem, menti magis æstuat ardor;
Ceu cum trans vallem, aut spatiosi fluminis undam
Spectat agris armenta leo, per cuncta protervos
Obliquat lustrans oculos, vel crure fluentes
Suspenso pertemptat aquas, ripamve pererrat
Igneus, & sæva frendens immurmurat ira.
Talibus incendit stimulis præcordia flagrans
Sfortia, sic longi vestigat devia montis.
Hoc ubi sydereo conspexit lumine Pallas
Indoluit, niveoque illi se fulgida nimbo
Obtulit, arma gerens parmamq; jubasq; trementes
Cornipedisque manu spumantes rexit habenas.
Ipse pedes graditur, faciunt hoc agmina; cuncti
Defluxere Duces ab equis, exutaque dextris
Lora trahunt; sequitur paulatim imitata juventus
Donec gramineas complerint agmina valles.
Ipsa dehinc tenues sulcat Tritonia ventos.
Arma levi crepitant sonitu, coma lutea ventis
Spargitur, & claræ radiant a vertice flammæ.
Vidit ut excelso Gradivus ab aggere gentem
Sfortiadum, totosque impleri milite colles,
Undarum alloquitur pacato pectore Nymphas:
Nymphæ cœruleos colitis quæ fontibus amnes,
Et pluviis infertis aquas per saxa, videtis
Quæ turbæ mea Castra petant, heu quantus iniquę
Cædis amor, quantumq; ardent in funera mentes!
Ite precor, sævas divæ prohibete cohortes.
Amnis adest vitreo labens per pascua rivo;
Hunc tumidis augete vadis, atque æquore largo
Alta per immersos spatientur flumina campos,
Dum cuneis nondum arva tenent, turmamque morantem
Scrupeus angusto cunctatur limite collis.
Dixerat; illæ autem fluvii secreta madentis
Virgineis subeunt urnis, laticesque recludunt;
Scinduntur venæ, & cumulo fluit unda tumenti,
Præcipitesque vagantur aquæ: jam vulsa feruntur
Arva; natant glebæ, & bibulas furibundus arenas
Fluctus agit; stagnant altæ sub monte paludes.
At non infracto labefactus pectore ductor
Inclytus electos instigat voce maniplos:
Ne fortes horrete viri, quod frigida campum
Stagna tegant, cura nil castra juvabit inani
Lubrica vicino prætendere flumina bello;
Non si septeno per pabula gurgite Nilus
Sterneret effusos latices, si turbine Pontus
Nubifer ante oculos hyemes attolleret atras,
Incœptum tardaret iter; tibi pallida dudum
Fatalem hanc Bracci straverunt lumina lucem.
Nunc agite, o Socii, veteres evolvite pugnas,
Quot ferro direptæ urbes, quot cuspide vestra
Sanguineæ cumulis jacuerunt funera terræ.
Fortia nunc illis incendite pectora flammis,
Et pugiles aptate manus; spolia ampla videtis,
Ingentes per Castra patent trepidantia gazæ.
Sic ait, atque imas lapidosi Montis arenas
Radit equo tumidus quà nondum fluxerat amnis
Et tenues siccis spuma it radicibus undæ.
Insequitur veterana phalanx nec fluctibus horror
Ite vetat, limoque lacus transire tenaci.
Adversi stupuere Duces, primusque per æquor
Petrus Jan-Paulus rapidos agit agmen in hostes;
Terribilem extemplo dant æra sonantia cantum.
Per fontes stimulantur equi; ferit obvia cuspis
Pectora, quassatisque Polo fragor insonat hastis;
Dissiliunt trunci, vulsasque per aëra cristas
Portant; horrendæ surgunt ad sydera voces.
Continuò ferri micuit seges; undique duris
Verberibus crepitant galeæ, cæduntque ruuntque
Ardentes sine lege globi; perfusa tepenti
Arma cruore fluunt; rubet atro gurgite campus,
Jamque undis sicca ruitur tellure relictis.
Igneus ante omnes exultat Sfortia, & acri
Ingeminat mucrone ictus: nunc brachia cæso
Exanimata rapit tergo, nunc sparsa cerebro
Abscindit capita, & rivis cava pectora fœdat.
Romanæ extemplo primis in frontibus alæ
Ostentant sese fremitu; cumulantur utrinque
Densæ acies, magnoque ardet fera pugna tumultu.
Spicula dira volant, stridentque sub aëre flammæ.
Braccius interea scopulosa in rupe pedestres
Firmarat cuneos, saxis equitatus ut altis
Cum patulos tetigisset agros, in terga volucres
Injicerent hastas, turbamque e monte ruenti
Inclusus, gemino premeretur Sfortia marte.
Forsitan illa graves luctus stragemque dedisset
Sfortiadis lachrymanda dies, ni provida Pallas
Excidium tantum in ventos sparsisset inanes;
Namq; ubi magnanimi nocituros Principis artus
Agnovit, subitò mentem confixa dolore
Ter quater excussis hæc secum talia cristis:
Quid mihi nunc Aquilæ placidam per bella quietem
Promisisse juvat? frustra mea numina terris
Nempe jacent, rapidæque ferunt mea dicta procellæ.
En mihi feralis durum mare suscitat hostem.
En quantum fera corda viris; quid inania prosunt
Fata Deûm? certe hoc genitor sanctissime campo
Ad-

Digitized by Google

Adnueras merita pœnas dare morte tyrannum; A
Victoremque cani Franciscum,& ad æthera tolli.
Quid cœli mutata fides? convertere Mavors
Fata potest, vetitisque animum succendere castris
Ipse potest? rapidos bellis immittere currus
Atque urbes terrere minis? ipse arva natanti
Occultare lacu, & fluvios inferre liquentes?
Quod si tanta animo permissa licentia, quid non
Tela quoque a summo torquet vulcania cœlo,
Terrificumque ciet per tristia nubila murmur?
Fas quoque me contra nostræ succurrere genti,
Sectari infandas acies, dare cædibus hostem,
Luctificasque novo confundere turbine fraudes.
Dixit, & ad Stygias se contulit horrida fauces
Tisiphonemque acuit stimulis, atque evocat umbris: B
Nunc opus infernas Herebi dea promere vires,
Nunc artes effunde tuas, nunc stridula tetra
Sume flagella manu, & lethale insparge venenū.
Braccius, ultrices cui jam fatalia pensa
Debuerant rupisse Deæ, cui Jupiter ultro
Crudele exitium, & pœnas promisit atroces,
Funestum immiscet Aquilano in pulvere Martem
Fervidus, excidiumque meas molitur in alas.
Tu tantos everte dolos, sterne arma tyranni,
Excute cœruleum crinem, jace sulfura tœdas,
Exitii scrutare viam. Nimis heu nimis ille
Vivit atrox, Stygiasque inviset tardus arenas!
Talibus instigat dictis. Dea torva repente
Adnuit erectis in sibila dira colubris.
Principio immanes transformat sedula vultus; C
Purpureo notat igne genas, flavumque repenti
Dat crinem volitare Notho, dat lucida collo
Segmenta, & Tyrio connectit murice pectus.
Inde levi textas pluma cita commovet alas.
Ibant Francisci gazis oppressa per arctas
Impedimenta vias, fulgentiaque ordine longo
Castra sequebantur, peditum qua fixa sedebat
Per cautes legio, roseis huc candida pennis
Se se offert, curvoque viros circumvolat orbe,
Ardentesque ferit galeas; nunc longius errat,
Nunc redit, & gestu mirantes ludit inani.
Tandem hæc effatur: Semper discrimine sævo
Irrita lethiferis oppones membra periclis
Infelix acies? mortis quæ tanta cupido
Ignotas stimulare manus, ferroque calenti D
Irruere in cædes miseras; unde ulla laboris
Supremi merces? tantisque munera plagis?
Quis canam multo solabitur ære senectam?
En agite, hostiles certatim evertite prædas;
Quandoquidem fortuna vocat, quid statis inertes?
Frigida quæ resides ignavia venit in arctus?
Hos niveo dabat ore sonos; torpore gelantur
Attoniti, erecti crines, horrorque trementes
Inficit pallore genas; nunc magna severi
Obstant jussa Ducis, mentem nunc fervidus auri
Frangit amor, dubioque labant præcordia motu.
At vultus exuta novos cunctantibus offert
Tartareas Dea sæva comas: apparet acerbi
Illuvies visus, sanieque infecta cruenta
Palla rigens hinc visa feris effundere ab hydris E
Sibila, fumosque emittere faucibus ignes,
Figens tabe visus subita, tum Marte relicto
Egit in oblatas amentia corda rapinas.
Ardet opus funesta sitis: jam prælia linquunt
Jussorum immemores, cœciq; feruntur in aurum.
Clara laboratis rapiuntur pocula gemmis
Argentoque graves phaleræ, rapiuntur amictus
Sericei & fulvis lora insignita lupatis,
Ductoresque cadunt armenti, asprisque rotantur
Collibus; inspargunt virgulta horrentia guttæ
Sanguineæ, trepidoque sonat nemus omne tumultu.
Innocuæ tandem campos tetigere phalanges;

Sed te Francisci frater crudelius atrox
Immersit fortuna Leo, nec profuit aras
Armisonæ coluisse Deæ; nam per juga montis
Occiso dum tendis equo, captosque rapinis
Scrutaris famulos, raptoris in agmina vulgi
Incidis, & nexis fers vincla indigna lacertis.
At parte ex alia per ovantes Braccius alas
Ibat equo, & sparso pileum splendore gerebat
Sericeo cinctum limbo, tremulisque rigentem
Argenti squamis, rutilum dat crista colorem.
Æreus alipedis fronti prætenditur ensis,
Puniceæque rubent pretioso tegmine vestes.
Ipse ictus, dextrasque notat, vastamque pererrat
Planiciem, durumque viros irritat in hostem.
Ante omnes fixo miratur lumine magnum
Sfortiadem; hæretque stupens quo turbine sævus
Irruat, & quæ vis juvenili in corpore regnet.
Ex illo soli veniunt mucrone timores,
Spernuntur veteres, tenerisque cavetur ab annis:
Tantum in præstanti florens viget indole virtus.
Ecce alias inter crudescit Caudola frontes
Ense furens, auro arma nitent, summo aurea cono
Crista sonat, riget ardenti chlamys aurea limbo.
Delecti juxta comites vexilla ferebant
Ventoso vibrata Notho, ferrumque tenebant.
Postquam illum in mediis miscentem prælia vidit
Braccius, hac validas hortatur voce cohortes:
Huc, huc ferte viri, correpta huc vertite pila
O juvenes gelidæ vexilla insternite arenæ:
Ipsum armis auferte ducem, aut configite ferro.
Hîc spolia, hîc prædæ, summi hîc victoria belli.
Dixit, & invicto præstantem robore turmam
Eligit, adversumque invadit turbidus ictu.
Ipse fremens alta conclamat voce: Quid audes
Improbe, sanguineo quonam usq; minabere ferro?
Nec plura: æratum percussit cuspide pectus
Seminecemque involvit humo. Labentia terræ
Signa ruunt, pressæque cruces, laceræque columnæ
Funduntur per culta viri, funduntur & ipsi
Alipedes, depicta fimo velamina sordent;
Vivida crudelis sustentat pectora Mavors.
At procul in primis stricto mucrone catervis
Sfortia sudabat feriens, postquam aure tumultum
Accepit, subitæ detorsit lumina pugnæ.
Et quid ait, tantam campo nigrescere noctem
Aspicio, & cœcis involvi nubibus arma?
Accelerate viri: ferus agmina proterit hostis.
Proh scelus! en turpes jactantur signa per agros.
Accelerate viri, dixit, crebroque fugacem
Calce fatigat equum, stimulans simul advolat acer
Præcipuis Michaël ductoribus advolat agmen
Funereis insigne jubis, ferroque relucens
Fit via, fulmineo globus undique rumpitur ense.
Procumbunt equites, resonant lamenta cadentum.
Ipsa gravem pugnam Stygiis circumvolat hydris
Pallida mors; fodiunt torvam cui lumina frontem,
Sordent ora situ, tum colla rigentia teter
Anguis obit, nigræque sonant post terga pharetræ,
Vipereoque jacit viridantes felle sagittas.
Crebrescunt ictus, animasque per aëra fundunt
Perfossi juvenes, & membra in pulvere versant.
Stat medios inter cuneos Franciscus ahena
Luce nitens, primasque obtruncat fervidus alas.
Innumero circum procumbit funere vulgus.
Secta jacent galeis inclusa madentibus ora,
Abscissæque manus tepidos ferit ungula truncos.
Illi purpureæ rorant a casside guttæ,
Sanguineum sparsa arma rubent, unà agmine facto
Erumpunt socii, & vexilla jacentia tollunt,
Oppressumque ducem eripiunt, quem multa paventem
Cir-

Digitized by Google

Circumfusa cohors gladiis cingebat acutis.
Illum exultantes fremitu cinxere manipli,
Amplexuque ligant squallentem, atroque madentem
Sanguine; deserto veluti sub colle juvencum
Cum celeres rapuere lupi, diffunditur agris
Pastorum turbata manus, prædamque minaci
Extorquet ferro; tum læto pectore mulcet
Seminecem, & tetro fusum palearia tabo.
Braccius ut tenues vento volitare per auras
Signa recepta videt, medioque in milite raptum
Stare ducem, tali violentus voce profatur:
Haud tamen infractū penitus bella ista videbunt,
Quamquam me, Francisce, premis, nisi pectora Mavors
Deserit, imbellesque movent pila irrita dextræ.
Stat miscere manus, stat acerbæ opponere morti
Hanc animam, & cunctis memet jactare periclis.
His dictis collectam aciem rapit acer in hostes.
Itur in adversam toto conamine gentem:
Dant sonitum collisi enses, ager ignibus ardet:
Clamor ubique ingens, it cæcus ad æthera pulvis:
Pugna viget, validæ ceu nondum bella catervæ
Gessissent, primumque hauriret terra cruorem.
Interea Michaël (*), veteranoque agmine Flascus (**)
Hostilem invadunt aciem, dant obvia letho
Corpora, ferventique manūs in cæde cruentant.
Non tantùm geminæ sola de parte coactis
Frontibus incurrunt turmæ, furit undiq; bellum.
Quisquis habet lacero mixtas locus ordine gentes
Nullaque non tepido fumabat sanguine tellus.
Sæpe inter turbam socia de cuspide miles
Concidit, adjunctumq; errans transfixit amicum.
Sæpe aliquis multo fœdatus vulnere corpus
Dum moriens procumbit equo, super impia præceps
Tela ruit, densâque virum libratur ab ala;
Nec cadit, impresso tantum coit agmine pubes.
Hinc globus ille lacus rapitur stagnantis ad undam;
Hinc ille inflexis ad mœnia fertur habenis,
Alternosque agitant diversa in parte recursus.
Funeribus tabescit humus, jacet ille cruentam
Attritus saxo faciem, illi crudus aduncas
Per costas hæret mucro, spumatque sub alto
Vulnere; proculcans alter complectitur hostem
Hamata tumidum trajectus harundine guttur;
Vitam alter tenuem pilula vomit, atraque largo
Exundat torrente cu.is; crure ille reciso
Semianimes arctus, & membra trementia versat
Torvam acuens aciem; pulvis saniesque per ora
Funditur & dextra ferrum languente remittit.
Saucius it gemitu sonipes, hastiliaque armis
Fixa trahit; longo distillat milite sanguis,
Non illum phaleræ, non pictis turgida bullis
Lora juvant, socios quærit miserandus, opemque
Implorat, turbæque cadens miscetur equinæ.
Hic variæ cædes; nunquam simul aggere tanto
Cornipedes planxere solum, non Appula tantum
Amissos unquam tellus deflevit alumnos:
Thessalico credas Romanam in pulvere cladem
Provolvi, & densum tabo sudare cadaver.
Ipse inter fremitus, densa inter milia fertur
Sfortia, & in medio vestigat marte tyrannum;
Qua ruit, exanimes illic funduntur acervi,
Illic tela cadunt, crebrisque hastilibus auras
Texit hyems ferri, & strepitu quatit arma sonoro.
Indefessæ atra glomerantur nube cohortes;
Hærent collisæ dextræ, concussaque anhelant
Pectora, tum piceus fluit ora per ignea sudor.
Terribiles strident litui, & cava tympana raucos
Dant gemitus; totæ resonant concentibus auræ
Pulsatumque ferit clamor sublatus Olympum.
Implentur jaculis auræ, sonat undique nervis
Arcus, & in cœca stridor caligine sævit.
Labuntur saxosi imbres; jam lucida in alto
Pila cruore natant, cristæque, & fixa sagittis
Scuta jacent, tetris infecti roribus enses
Protritasque tegunt cumulata cadavera glebas.
Braccius at duræ quassatus clade ruinæ
Luctificum vigili perlustrat lumine campum,
Exanimes spectat socios, videt ense ruentem
Franciscum seseque alto clamore petentem,
Heu quid agat? qua vi furibundum sufferat hostem?
Præterea novus ossa dolor, mentemque timores
Invasere novi, & gentem mersere subactam.
Est Aquilam contra ingenti circumdata vallo
Rupes, quam multo Perusinus (*) milite ductor
Servabat, fortique apices obsederat ala.
Namque illi armipotens mandarat Braccius acri
Arceret pugna cives, aditumque vetaret.
Is procul ut pedites vidit commissa verendi
Neglexisse ducis, prædæque cupidine captos
Hostiles impune jugis liquisse phalangas,
Seu spoliis ductus campo, seu duceret agmen,
Advolat ad ditem spreta statione catervam.
Extemplo patuere globi, civiliaque arma
Deserto fulsere jugo, prospectat ab arvis
Spissatasque sudes auroque micantia signa
Braccius, exanguisque subit frigentia terror
Pectora, ne gemino langueret pressus ab hoste;
Continuo celerem per prata patentia mœstus
Urget equum, furtimque sagax elabitur armis:
Inclusus qualis turbato navita Ponto
Quem gravis immergit Boreas fractumque procellis
Obruit, adversum si forte inspexit opaca
Nube horrere Nothum, laceræ de puppe carinæ
Exilit, & vasti nando petit ardua saxi.
Haud aliter pugnæ immani se Braccius aufert
Incusatque Jovem, & questu proclamat amaro:
Nunc age, funestas satia nunc Jupiter iras,
Membra tuis penetra facibus; quid perfide cessas
Tollere me ventis, & acuto illidere saxo?
En jaceo, & fato sternor miserandus acerbo.
Accipe nunc tantis quæsitam cladibus umbram
Crudelis, si tanta meæ sitis improbe pœnæ.
Hoc fatur simul acer equo quatit arva ruenti;
Ecce autem valido Durantes robore præstans
Insubri de gente satus conspexit ut agris
Præcipitem: quis te, inquit, bellis eripit amens?
Quo ruis infœlix, flecte ora, & confere dextram.
Quid metuis? tanti ne animo cecidere furores?
Talibus increpitat, rapidoque simillimus euro
Emicat, & tergo jamjam fugientis inhæret,
Jamque manu prensis luctantem detinet harmis.
Una incurrit ovans, laudumque cupidine fervens
Fulginatus, & hac exorat voce Minervam:
Da belli veneranda parens, da quæso precanti
Hanc pestem jugulare manu; tibi pinguibus aris
Suspensam galeam & thoraca rigentibus hamis.
Audiit, & volucres pedibus Tritonia ventos
Currentis subjecit equi; volat ille per æquor,
Vixque notas celeres scribunt in pulvere plantæ.
Ipse autem increpitans, quò nunc, quò perfide? Tu ne
Hinc etiam moriture ruis? ferrum, hoc tibi ferrum
Infelicem animam, & sceleratas eripit umbras.
Vix ea, cum strictus flagranti mucro galero
Hæsit, & infixo rupit dura ossa cerebro.

It

(*) M. Attendulus.
(**) F. Girasius.

(*) N. Picininus.

Digitized by Google

It tergo rivis ater cruor, ille madenti
Arva cadens cervice ferit, ſtupet ore gelato
Territus, & rigido complentur frigore venæ.
Ut verò effuſum, & verſantem corpora vidit
Sfortia, nudatos ultro compeſcuit enſes,
Extinxitque animos pietas, velut unguibus aſper
Cum Leo pugnacem ſtravit per pabula taurum,
Non iras conſumit atrox, ſed vulnere nullo
Linquit agris, hoſtemque pudet fœdare jacentem.
Protinus attolli clypeo caſtriſque reponi
Imperat, & lectis curari vulnera ſuccis,
Solaturque virum, & dulci levat ore timores.
Sed non indomito ſuccos conferre dolori
Fata ſinunt, ſolitis ſpoliantur viribus herbæ,
Meſſaque ſomnifero vaneſcunt gramina cantu.
Bis phœbi fulxere comæ, bis nocte ſilentes
Egit ſomnus equos, penitus cum feſſa reliquit
Membra calor, tenueſque receſſit vita per auras.
Interea attonito facto ſimul agmine curſu
Bracciadæ verſis profugi referuntur habenis;
Torrenti ſimiles, celſi qui a culmine ſaxi
Fulmineus ruit, & valles ſpatiatur in imas;
Pars Montem exciſum, & nemorum petiere latebras,
Pars vinclis præbet dextras, pars pulvere in alto
Enſe cadit, juguloque animas effundit aperto.
Continuò obſeſſum tutata in paſcua vulgus
Urbe fluit, ceſſant miſeris lamenta querelis
Sollicitæque preces, tenſis ad ſydera palmis
Gaviſæ incurrunt matres, ſtragemque per ipſam
Imbelles errant pueri; juvat atra movere
Corpora, & inviſos avido pede vertere vultus
Pallenteſque genas ſpoliata figere dextra.
Ipſe ardens erepta viris hoſtilia Flaſcus
Franciſco vexilla refert, captivaque ſigna.

Deſertæ evolvuntur opes, phaleraſque, leviqus
Fulgentes auro pateras, textaſque ſonanti
Argento chlamydes, & cingula fulva metallo
Diripiunt, ruit omnis per tentoria miles.
Ipſi etiam indutis Aquilani mœnia cives
Læta petunt ſpoliis, & cœlum vocibus implent.
Gaudia defenſam tolluntur feſta per urbem,
Prævelant ramis poſtes, & turribus altis
Flammiferum extollunt ignem, dant cuprea dulcem
Vaſa ſonum, & vario mulcent præcordia cantu.
Quin & congeſto crepitantes robore tædas
Succendunt, clypeos, enſes, inimicaque jactant
Arma focis, fugiunt ſemiuſtæ in nubila criſtæ
[illegible]igranti fumo, atq; ignes fora lucida complent.
[illegible]dens circum clangor, lætæque catervæ,
Ardentes cinxere pyras, ac talia promunt:
Nunc agite o miſeros Cives, deponite luctus
Securas reſerate fo es, jam liber in agros
Cultor eat, ſolitoque infindat vomere ſulcos.
Jam non fulmin[illegible]i noſtris ſub mœnibus enſes
Irradiant, præbentque volantia ſaxa ruinas.
Impia tu tanti pellis diſcrimina belli
Victrici Franciſce manu, tu fo tia fundis
Pectora, tu immanis exſcindis caſtra tyranni.
Diffuſa vix pube genis, o maxima rerum
Gloria, quæ te amplæ poterunt extollere laudes?
Jamjam ſerviles ſentiret Roma cathenas
Ferali ſubmiſſa jugo, preſſæque ſuperbis
Imperiis urbes gemerent tua ni alta per acrem
Militiam claro patuiſſet lumine virtus.
Te propter Latiæ peragent felicia gentes
Secula, ſanguineus te propter ferrea Mavors
Vincla feret, rigidæque prement certamina portæ.

Finitus eſt Braccianus Conflictus per Leonardum Griphum Mediolanenſem, qui Romæ obiit, Sixti IV. Pontificis Secretarius.

Digitized by Google

Digitized by Google

HIERONYMI
TARTAROTTI
ROBORETANI

DE AUCTORIBUS

AB ANDREA DANDULO LAUDATIS
IN CHRONICO VENETO

DISSERTATIO EPISTOLARIS

AD

FRANCISCUM JOSEPHUM
ROSMINUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

FRANCISCO JOSEPHO ROSMINO

HIERONYMUS TARTAROTTUS S. P. D.

A Exigis à me, amicorum suavissime, ut Andreæ Danduli Chronicon Venetum percurrens, diligenter adnotem, an celebris ille Scriptor ex fontibus aliquando hauriat, qui injuriâ temporum deperditi, frustra à nobis nunc perquiruntur. Cur verò tibi morem non geram, amico veteri, & candidissimo, cui multis nominibus plurimum debeo, rem præsertim ad bonarum litterarum studia spectantem, exposcenti? Lustravi igitur omnia quam diligentissime, ac tandem reperi reconditorum monumentorum, Auctorumque ignotorum numerum, qui à Dandulo laudantur, & tua, & mea expectatione multo esse
B minorem. Quid quæris? Integrum eorumdem Elenchum digessi, quem ad te mittere decrevi; idque eo libentius, quòd quum Clarissimus Chronici Editor *Ludovicus Antonius Muratorius* tale aliquid elaboraverit in altero Venetæ Historiæ lumine præstantissimo evulgando, *Marino* scilicet *Sanuto*, cujus Venetorum Ducum Vitas edidit Tom. XXII. Scriptorum Rerum Italicarum; in Danduli Chronico idem minimè præstitit. Sed ne pluribus te detineam, en Indicem à me lucubratum.

Elenchus Auctorum, & Monumentorum, quæ in Chronico Andreæ Danduli Venetorum Ducis laudantur, edito à V. Cl. Ludovico Antonio Muratorio Tom.
C *XII. Scriptorum Rerum Italicarum.*

Graecorum Historia, pag. 273. C.
Petrus Polanus Dux Venet. pag. 280. B.
Fr. Jacobus de Urbe Episcopus Calaritanus, pag. 304. C.
Alexander III. Papa, pag. 309. D.
Historia Francorum, pag. 322. D.
Sibylla Erythræa, pag. 329. B.
Guilielmus de Podio in *Chronicis*, pag. 359. D.
Historiographus gestorum Ezelini, pag. 368. B.

II. Quod ad Summorum Pontificum, Imperatorum, Venetorumque Ducum nomina attinet, ea te morari minimè debent, quum non illorum commentaria & libri, sed Privilegia dumtaxat, Epistolæ, aut his similia indicentur à Dandulo, quorum loca à me adnotata sunt, tum quòd monumenta hujusmodi maximo interdum usui esse soleant, tum ne quicquam prætermitterem eorum, quorum auctoritate nititur Venetus Historiographus. His igitur missis, in iis Auctoribus aliquantisper hærebo, qui vulgo minus noti sunt. Illorum primus est *Coronatus* pag. 35. laudatus. Veronensis is est, seculi IX. Scriptor, qui Vitam S. Zenonis illius Civitatis Episcopi, sæpius recusam, litteris consignavit. Præter vulgatos Veronenses auctores, Coronati istius mentionem fieri à Joanne Diacono, seu potius Presbytero Veronensi in Historiis Imperialibus nondum typis editis, adnotatum à nobis fuit in Notitia MS. illius operis, inserta Tom. XVIII. Collectionis Calogeranæ. Addimus nunc, eundem laudari à *Petro Calo* XIV. seculi Scriptore in suis Legendis, pariter ineditis Volumine 642. pag. 136. col. 4. de quo opere plura inferiùs.

III. *Sicardus Episcopus* sæpius à Dandulo memoratus, est Sicardus, seu Sighardus Episcopus Cremonensis seculo XII. clarus, qui inter reliqua ingenii sui monumenta Chronicon reliquit à Mundi exordio usque ad annum MCCXIII., hactenus ineditum, sed cura Clar. Muratorii tandem publici juris factum Tom. VII. Scriptorum Rerum Italicarum; de quo consulenda ejusdem V. Cl. Præfatio. Illud dumtaxat hìc monuerim, solemniter alucinari *Casymirum Oudinum*, qui in Commentario de Scriptoribus Ecclesiasticis ait, Sicardum in hoc Chronico *singularius egisse de vita & actibus Romanorum Pontificum*. Confudit scilicet vir ceteroquin satis diligens Chronicon à Muratorio nuper editum cum *Historia Romanorum Pontificum*, quæ nihil cum eo commune habet, ac ubinam integra delitescat, ignoratur. Hæc ita se habere, vel illud argumento est, quòd in Chronico suo Sicardus Romanorum Pontificum vix meminerit, & nuda fermè eorum nomina posuerit. Dandulus noster pag. 110. C. *Ricardum* etiam *Episcopum* laudat. At nullum ego Richardum Episcopali dignitate insignitum inter Historiographos invenio, qui scribere potuerit, quæ ipsi à Dandulo tribuuntur. Quare vehementer suspicor mendum irrepsisse, & *Sicardum*, non *Ricardum* ibi legendum esse. Conjectura huic obstare videtur, quod in toto Sicardi Chronico nusquam occurrat, quod ex Ricardo Dandulus affert, nempe circa annum Æræ Vulgaris DCXV. Patriarchas duos esse cœpisse, Aquilejensem, & Gradensem. At neque ea, quæ pag. 53. E. Dandulus Sicardo tribuit, scilicet Valeriani Episcopi Aquilejensis tempore illius Ecclesiæ Clericos *quasi Chorum Sanctorum* fuisse habitos, in Sicardo nuper

A edito reperiuntur, quæ tamen ad verbum Clar. Editor reperit in Historia quadam Romanorum Pontificum eodem codice comprehensa, unde Sicardi Chronicon sumsit, quamque ab edendo ideo abstinuit, quòd adeo interpolatam offenderit, ut quæ Sicardi, quæ aliorum Scriptorum propria essent, discernere nequaquam posset. Quare constat, loca hæc duo ex Sicardo quidem Dandulum hausisse, sed ex Historia Romanorum Pontificum, quæ nunc deperdita est, aut latet, non autem ex Chronico, quod habemus; hincque novum contra Oudinum, duo illa Sicardi opera perperam confundentem, ducitur argumentum. Dubitationem omnem solvunt Dandulianæ Historiæ MSS. B codices duo, unus Bibliothecæ D. Marci, omnium quos hactenus viderim vetustissimus, alter vero V. Cl. Apostoli Zeni, in quibus *Sicardus* ibidem legitur, non *Ricardus*. In MS. Codice Bibliothecæ Pisanæ, cujus evolvendi facultatem ultro nobis concessit Vir summa humanitate præditus *Dominicus Perissinotus* ejusdem Bibliothecæ meritissimus Custos, *Sicardus* quidem scriptum erat, postea verò *Ricardus* positum fuit, atque idem pariter habent MSS. Codices alii, præsertim recentiores à me inspecti; studiosis nempe, & amanuensibus pro arbitrio quicquid libuerit audacter adjicientibus. Contra pag. 152. E. Sicardi nomen apud Dandulum, uti & Gotifredi, per- C peram in textum irrepsisse diceres; quum duò illa nomina sententiam prorsus perturbent, iis verò sublatis, planior clariorque reddatur. Integrum Danduli locum affero: *Ideo cum Carolo Michaël Orthodoxus, & cunctis amabilis, qui adversarios omnes Orthodoxæ Fidei nitebantur extinguere, & consequenter Leo, conveniunt. Sicardus autem, & Gotifredus, ut se Fratres vocent, & mutuo juvent, & Græcus Imperator Constantinopolim & Orientem habeat, Carolus vero &c.* Tamen factum illud revera legitur in Chronico tum Sicardi, tum Gotifredi, ut videri potest Tom. VII. Scriptorum Rer. Italic. pag. 579. B. & pag. 417. E. Retinenda igitur sine dubio nomina illa, D sed locus castigandus. Quæ vera lectio sit, docet me laudatus Bibliothecæ S. Marci Codex, in quo habetur: *Michaël Orthodoxus &c. & consequenter Leo conveniunt, ajunt Sicardus, & Gotifredus, ut se Fratres vocent &c.* Verùm quum amanuenses vocem *ajunt* minime assequerentur, & pro *autem* acciperent, particula vero *autem* nullam eo loco sententiam redderet, illam postposuerunt: alii deinde omnino sustulerunt, quia revera etiam postposita sententiam obscurat. Codex MS. qui in Bibliotheca S. Georgii Majoris asservatur, legit *ajunt*, cui voci amanuensis superposuit vocem *autem*, scilicet ut dubitationem suam circa eam lectionem exprimeret. Eodem E loco Paragraphi X. titulus, qui est *De immunitatibus Venetis concessis*, in edito Danduli Chronico perperam sublatus est, atque ad Paragraphum IV. translatus, ubi locum non habet.

IV. De *Heraclide* pag. 63. à Dandulo laudato, cujus sub Paradisi nomine circumfertur liber de Vitis Patrum in eremo, aut cœnobiis degentium, qui liber unum idemque esse existimatur cum Historia Lausiaca Palladii, nihil prorsus attinet dicere, quum satis notus sit Auctor. De eo videndus *Justus Fontaninus* in Lib. V. Cap. XII. §. VII. Historiæ Litterariæ Aquilejensis. *Gennadium* etiam eadem pag. laudat

Digitized by Google

laudat Venetus Historiographus, quo loco illud dumtaxat obiter moneo, corruptam esse in edito Danduli Chronico lectionem, nam illa de Rufino verba: *Scripsit & Expositionem super Prophetas tres, scilicet Oseæ, Johel, & Amos*, quæ ibidem Gennadio tribuuntur, Danduli ipsius verba sunt, ut patet ex Gennadii Cap. XVII. De Vir. Illustr. in quo ea minimè apparent. Neque opera illa Rufino tribuisset Gennadius, quæ Rufini non sunt; quod inter cetera ex Gennadii ipsius silentio arguunt viri harum rerum periti.

V. *Prosper Episcopus* pag. 74. memoratus, est Prosper Tiro (quem à Prospero Aquitano distinguunt viri eruditi) in Appendice ad S. Hieronymi Chronicon, quam post Petrum Pithæum, aliosque, rursus edidit Duchesnius Tom. I. Scriptor. Historiæ Francor. ex quo (pag. 199. C.) corrigendus Danduli locus, & *legitimorum* legendum, non *legitimarum*; ad Principes enim, non ad Leges adjunctum illud refertur ab auctore. Ceterùm etiam Dandulus iis auctoribus accensendus, qui Prosperum hunc Episcopum fuisse falsò existimarunt, eundem scilicet non modò cum Prospero Aquitano, sed etiam cum Prospero Regis Lepidi in Italia Episcopo confundentes. Clariùs errorem suum detegit Dandulus pag. 80. C. in qua legitur: *Prosper Aquitanius, quondam Leonis Papæ Notarius, nunc* (sub Leone I. Imp.) *apud Regium factus Episcopus, doctrinis, & miraculis claruit*. De hoc nostro, aliisque Prosperis videndus Oudinus in Commentario de Scriptor. Eccles. *Gothefredus*, seu *Gotifredus*, *Sigimbertus*, & *Vincentius*, sunt Godefridus Viterbiensis, seu, ut alii volunt, Vitembergensis, Sigebertus Gemblacensis, & Vincentius Beluacensis, quorum opera historica notiora sunt, quàm ut hìc aliquid de iis dicere expediat.

VI. *Pontius* pag. 76. D. ad Annum CCCCLII. laudatus, ignotus mihi prorsus auctor est, neque quicquam de eo nunc suppetit. Laudatur ab eodem Dandulo pag. 151. B. ad annum DCCCIII. *Petrus* quidam; sed jam memorati MSS. codices omnes, quibus nunc addendus Codex alter pariter MS. apud humanissimum, & antiquitatis studiorum Virum P. *Dominicum Armanum* Ord. Prædicatorum, *Pontius* eo loco legunt, non *Petrus*. Ita pariter legisse videtur *Franciscus Sansovinus* in libro, cui titulus *Venezia*, ubi de Duce Angelo Participatio, seu Particiaco, ut eum vocat Dandulus, sermonem habens pag. 539. edit. Venet. MDCLXIII. verba ipsa à Dandulo allata Pontio tribuit. Clar. *Zeni* Codex nomen illud prorsus omittit, lacuna relicta. Quare nullus dubito, quin error irrepserit in edito Danduli Chronico, ac *Petri* loco, *Pontius* reponendus sit; ex quo simul inferre licet Pontium illum, non modò post annum Æræ Vulgaris CCCCLII. sed etiam post annum DCCCIII. floruisse. Inter vetustiores Venetæ Urbis incolas gens *à Ponte*, seu *Pontia* numeratur, jampridem Patriciorum albo adscripta; ex qua familia num oriundus fuerit Pontius à Dandulo bis memoratus, qui Venetarum rerum historiam aliquam concinnaverit, prorsus ignoro, neque divinare ausim.

VII. Sequitur *Paullinus Episcopus* sæpius ab eodem laudatus, qui mihi æque obscurus auctor est. Loca singula conferamus. Pag. 79. D. ait: *Sigimbertus, Vincentius, Jacobus de Varagine, & Paullinus Episcopus, dicentes, Cor-*

A *pus S. Marci Evangelistæ hoc tempore de Alexandria translatum fore Venetiis, sub equivocatione Imperialis nominis errare dignoscuntur. Quia sicut ipsorum Venetorum verissimæ tradunt Historiæ, ipsius corporis translatio facta est sub Leone V. Imperatore Anno Domini DCCCXXVIII. quæ suo tempore sub Justiniano Duce singulariter describetur*. Idem repetit pag. 170. D. Pag. verò 110. C. legitur: *Et sic hoc tempore* (Anno DCXV.) *sicut Paullus Historiographus Longobardorum, & sicut Ricardus* (lege *Sicardus*) *& Paullinus Episcopi referunt, duo Patriarchæ esse cœperunt*. Igitur Paullinum istum Episcopum, qui suis in scriptis annum Æræ Vulgaris DCXV. attigit, B immo circa Translationem Corporis S. Marci errasse dignoscitur ab anno CCCCLX. ad annum DCCCXXVIII., multo post dictum annum DCCCXXVIII. floruisse dicendum est: neque tamen annum MCCCLIV. excessisse, quum eodem anno Dandulus ipse interierit. Porro nullum invenias apud Ecclesiasticorum Scriptorum nomenclatores Paullinum Episcopum, cui jure id conveniat. Aliò igitur confugiamus. *Ferdinandus Ughellus* Tom. VI. Italiæ Sacræ in Episcopis Puteolanis pag. 279. Paullinum memorat ordine XXVII. natione Venetum, ex Minorum S. Francisci Familia, qui anno MCCCXXIV. Guillelmo Puteolano Episcopo successit, anno verò MCCCXLIV. C obiit. Præterea in Indice Codicum MSS. Bibliothecæ Fratrum Minorum Cæsenæ, quem exhibet P. *Bernardus de Montfaucon* Tom. I. Bibliothecæ Bibliothecarum Manuscriptorum legitur pag. 434. D. *Paullini Puteolani Historia ab origine Mundi, usque ad sua tempora*. Si Paullinus iste Puteolanus Historiographus idem esset cum Paullino Puteolano Episcopo, jam detectus foret Paullinus à Dandulo laudatus. At neque Ughellus Paullinum suum quicquam scripsisse monet, aut Waddingus eum inter Franciscanos Scriptores agnoscit: neque Paullinum in Indice Cæsenatensi notatum Episcopum fuisse probare possumus. Assensus igitur tantisper cohibendus, donec clarior lux D affulgeat. Nodum interim detexisse sufficiat, quem postmodum populares feliciùs solvent; immò solvet unus P. *Joannes de Augustinis*, qui jacentis gloriæ Venetorum litteris olim florentium tandem misertus, ingenii monumenta, ac res ab iisdem gestas amplissimo eruditissimoque commentario jampridem explicare aggressus est. Quod opus si lucem aliquando viderit, habebit profectò Veneta Respublica in quo jure ac merito gloriari possit, videlicet quantum sapientia, consilio, rerumque agendarum scientia ceteris antecellit, tantum se easdem Philosophiæ, ac doctrinarum studiis præstitisse. Quamquam in eam sententiam vehementer propendeo, Paullinum Episcopum E unum & eumdem esse cum Paullino Historiographo, qui Puteolanus vocari potuit ratione Episcopatus, licèt Venetus origine; unde etiam apparet, cur ejus Historia apud Fratres Minores Cæsenatenses olim asservaretur. Olim, inquam, non hodie, quum constet Cœnobii illius MSS. Codices ferme omnes Romam in Vaticanam Bibliothecam translatos fuisse. Ceterùm Paullini Puteolani Episcopi, qui fuit Papæ Pœnitentiarius, & Regis Siciliæ à Consiliis, mentionem facit *Marinus Sanutus* cognomento Torsellus in prima Præf. operis, quod *Secretorum Fidelium Crucis* inscripsit, editum à Jacobo Bongarsio Tom. II. Historiæ Orientalis,

Digitized by Google

lis , ex qua Præfatione discitur , Paullinum inter eos Theologos fuisse , quibus Summus Pontifex Torselli opus examinandum commisit. Tertiam operis illius partem , quæ historica dumtaxat continet , in quodam MS. exemplari Paullino ipso perperam tribui , adnotavit *Bongarsius* in Præf. illius Tomi . Idem eruditus Editor ad libri calcem plures ejusdem Torselli Epistolas vulgavit , inter quas XVIII. & XXI. ad Paullinum nostrum scriptæ sunt , Præterea in Bibliotheca S. Marci num. DL. asservatur Codex MS. , vel potius Codicis pars , in quo continetur commentarius *Fr. Paullini de recto Regimine ad M. Baduarium Ducem Cretensem*, qui anno Æræ Vulgaris MCCCXIII. Dux renunciatus est . Commentarii hujus Auctorem Venetum esse ex eo liquet , quòd Veneta dialecto , quæ illa ætate in usu erat, sit exaratus; quare vix dubitandi locus est , quin ad Paullinum Puteolanum postea Episcopum spectet. Idem opus memoratur à *Jacobo Philippo Thomasino* in Bibliothecis Venetis MSS. pag. 2. , Codicemque notat Bibliothecæ S. Antonii , quæ incendio periit . Baduarius Cretæ Dux *Marcus* à Thomasino eo loco appellatur , sed perperam , fuit enim nomine *Marinus* .

VIII. *Historiarum Venetarum* nomine , quas singillatim historias innuat Dandulus , nunc inquirendum . Pag. 79. D. evidens est laudari ab eo *Historiam Translationis Corporis S. Marci*, quam post Baronium , & Surium edidere Bollandiani Tom. III. Aprilis pag. 353. At pag. 301. D. ubi de Alexandri III. Summi Pontificis adventu Venetias agitur , atque ex *Venetorum Historiis* peculiaria hæc profert Dandulus : *Alexander Papa ignoto habitu Venetias veniens, in Monasterio S. Mariæ de Caritate humili forma divina officia ministrabat . Qui tandem cognitus , in Ecclesiam S. Marci supradictis assistentibus , & inde in Patriarchatum honorifice deductus est* ; quas ille historias intelligat , haud ita facilè discerni potest . Marinus Sanutus junior , qui multo post Dandulum Venetorum Ducum res gestas litteris consignavit , hanc in rem eosdem testes adducit ac Dandulus, deinde subdit pag. 514. E. *Reperitur in Chronica Domini Alexandri III. ubi memorat , qualiter repertus fuit in Monasterio S. Mariæ de Caritate , & fuit cognitus in celebratione per quendam Spoletinum in Civitate Venetiarum* . At Chronicon hujusmodi Venetarum Historiarum nomine à Dandulo indicari haud ita facilè mihi persuaserim . Leguntur hæc eadem de Alexandro in libro , cui titulus : *De Historiis sacræ Legis , & Antiquitatibus* , cujus libri mentio fit in Epistola quadam Fr. *Jacobi de Urbe* Episcopi Calaritani Joanni Delphino Venetiarum Duci scripta Anno MCCCLIX. , de qua plura inferiùs . At liber ille sin minus fictus , certè ignotus , præsertim Venetis , Venetorum Historiis , ut etiam ex titulo ipso constat , minime accensendus est . *Fortunatus Ulmus* Cassinensis Monachus , qui ut clandestinum Alexandri III. Pontificis adventum Venetias tueretur , integrum volumen edidit Venetiis MDCXXIX. , monumenta duo anonyma profert Cap. I. pag. 31. & 32. , in quibus eadem pæne leguntur , hoc est Chronicon Veneta dialecto scriptum , & Chronicon S. Mariæ Caritatis . At prioris Chronici Auctor, Dandulo ipso recentiorem esse non uno indicio se prodit , ut rectè à *Felice Contelorio* animadversum in libro , quo Ulmum confutavit pag. 53. Alterius verò Scriptor tam multa inepta ; & ridicula Alexandro III. affingit ; ut otiosi recentisque fabulatoris fœtum esse primo statim conspectu appareat ; quare ex his fontibus nihil in sua Chronica derivasse Dandulum , pro certo habeo . *Officia divina* , non *officia culinæ* ministrasse Alexandrum III. in Cœnobio S. Mariæ Caritatis ait Dandulus ex Historiis Venetorum , & Legendis Petri de Clugia ; neque aliter legitur in fragmento ex libro *De Historiis sacræ Legis* petito . Perperam igitur ac ridicule laudatus Sanutus de eadem re ita scribit pag. 509. E. *Poi capitò nel Monastero della Carità. E come scrive Fr. Pietro di Chioggia , e molte Cronache lo confermano , ministrava gli officj de' Frati , come cuoco* . Æquè mihi obscurum est , quam Venetorum Historiam innuere velit Dandulus , quum pag. 322. D. de Alexio puero , Francorum , & Venetorum auxilio in Constantinopolitanum Imperium restituto , agens, ait : *Græci inermes suum quærunt electum , qui tam in Ecclesia majori , quam in Palatio Imperiali solemniter coronatur , & promissa , adepto Imperio , sine mora Francis implevit , sed non æque Venetis , ut in eorum continetur Historia* . Id contigit illius celeberrimæ expeditionis tempore , quam vulgo *Crociatam* nominant , qua ab Europæ Principibus capta Hierosolyma , & plures aliæ urbes è Saracenorum manibus ereptæ . Verosimillimum autem est , Venetum aliquem domesticæ gloriæ studiosum , rerum in eo sacro bello à suis præclarè gestarum commentarium aliquem concinnasse ; qui nunc aut deperditus sit , aut in aliquo angulo delitescat. Certè Galli suum habuere Historiographum , hoc est *Gaufridum de Villa Harduini* , qui Gallico sermone Historiam conscripsit captæ à Francis & Venetis Constantinopoleos Anno MCCIV. , cui expeditioni ipse interfuit , & de qua Dandulus hoc loco differit . Genuenses quoque, qui eidem adversùs Saracenos fœderi se adjunxerunt , *Caffarum* celebrem Historiographum nacti sunt , qui Genuensium annales primus litteris consignavit , atque ab eo bello , cui præsens ipse aderat , exordium sumsit . Suspicionem meam auget Venetus Anonymus , auctor Translationis S. Nicolai è Myra Venetias Anno MC. , de qua infra sermo redibit : Coævus Scriptor is esse videtur , ac ipso ferè suæ narrationis initio hæc habet : *Quæ autem ibi de suo regno tractaverunt* (Venetici) *vel ordinaverunt , & multa alia de itinere præposito , Historiographi luculentæ narrationi reservamus , & ad ea , quæ nostræ mentis intentio , & sacratissimi Confessoris Nicolai devotio exigit , ipso opitulante , & stilum , & studium applicemus* . Quibus verbis notum aliquem Historiographum designare videtur , qui rerum in ea expeditione à Venetis gestarum historiam conscribere esset aggressus. Hæc historia ab aliis postmodum continuari potuit , ut sanè Genuensis Historiographi annales publico etiam Senatus decreto continuati sunt , atque ad Annum usque Æræ Vulgaris MCCIV. , & ulteriùs perducti .

IX. *Cassiodori* locus à Dandulo laudatus pag. 88. B. & C. est ex celebri Epistola XXIV. Lib. XII. Variarum , quæ *Tribunis Maritimorum* inscribitur , immo est Epistola ipsa , quam integram in sua Chronica transtulit . Quum primum hoc mihi legere contigit , fortè ad manus habebam præstantissimam omnium Cassiodori operum editionem à V. CL. Joanne

Joanne Garetio Monacho S. Mauri procuratam Rotomagi MDCLXXIX. Statim igitur in mentem venit, totam Epistolam cum editione Danduli conferre: nec me operæ pœnituit, quum non uno in loco Garetii textum Dandulianâ lectione aliquanto deteriorem offenderim. Garetius ita habet: *Viminibus enim flexibilibus illigatis, terrena illic congregata soliditas aggregatur*, malo sono, & sensu obscuriore. Planiùs, & meliùs apud Dandulum: *terrena illis soliditas aggregatur*, omissa voce *congregata*. Paullo post Garetius: *Quando vadosum litus moles ejicere nescit undarum*. Meliùs Dandulus: *moles arcere nescit*. Garetius: *Tractæ funibus* (carinæ) *ambulant*; *quæ stare rudentibus consueverunt*; *& conditione mutata pedibus juvant homines naves suas*. Dandulus *conductione mutata*, quod magis arridet. Postremò licèt Dandulus, & Garetius legant: *Unus cibus omnes reficit: habitatio similis universa concludit*, tamen *universos* legendum esse sensus monet, & respondetur exactius verbis superioribus *omnes reficit*. Reliqua minoris momenti omitto, quum pauca hæc satis superque probent editiones, quæ è longinquis regionibus in Italiam importantur, suis nævis haud carere. Limâ & illæ quam maximè indigent, & castigatiores sine dubio reddi possunt. Audendum igitur hac in re, præsertim Italis, aliena ceteroquin nimium patienter admirari solitis, quum nec ingenio, nec MSS. Codicum copia destituantur.

X. *Paullus* pag. 135. C. laudatus, est Paullus Diaconus (qui sub nomine *Historiographi Langobardorum* aliàs à Dandulo memoratur) non quidem in opere de Gestis Langobardorum, sed in postremo eorum librorum, quos Eutropii Breviario Historiæ Romanæ addidit, sub finem. *Petri* loco, qui paullo post in Indice recensetur, *Pontium* reponendum esse, uti & *Sicardum* loco *Ricardi*, superiùs probavimus.

XI. Quinam sint *Libri antiquissimi*, quorum auctoritate nititur Dandulus pag. 179. E. agens de adventu Venetias Benedicti III. Summi Pontificis ab Urbe Roma profugi, mihi omnino incompertum est. Marinus Sanutus pag 454. D. id non Benedicto III. sed Bonifacio III. tribuit, & contigisse ait Anno Æræ Vulgaris DCCCLIV., in quo geminus est error. Bonifacius enim Tertius duo integra & ampliùs secula ante annum DCCCLIV. obiit, & Benedictus ipse eo anno ad Pontificatum nondum fuerat evectus.

XII. Pag. 217. C. laudat Dandulus *Legendam antiquatam* (lege *antiquam*) *S. Petri Urseoli, quæ apud Fratres Monasterii S. Michaelis de Cusano* asservabatur. De hac Legenda, & variis ejusdem MSS. codicibus videndus V. Cl. *Guido Grandius* Abbas Camaldulensis in Vita S. Petri Urseoli, sub Anonymi Camaldulensis Monachi nomine edita Venetiis anno MDCCXXXIII. Nota VII. in Præfationem, & *Justus Fontaninus* in Præfatione Dissertationis de eodem S. Petro Urseolo §. IV. pag. XII. Alia fuit in eodem Cuxanensi Cœnobio à Dandulo memorato S. Petri Urseoli Vita, ab hac Legenda diversa, quam sub Anonymi Rivipullensis nomine edidit Cl. *Mabillonius* in Actis SS Ord S Benedicti. At priorem illam innui à Dandulo sub *antiquæ Legendæ* nomine, non hanc à Mabillonio editam, optimis conjecturis probat idem Grandius Nota XI in Cap. XXII. ejusdem Vitæ S. Petri Urseoli.

XIII. *Historiographus quidam Venetorum* pag. 218. C. laudatus, est *Joannes Sagorninus*, qui sub Ducatu Dominici Flabanici, hoc est initio sæculi XI. floruit, & Venetorum res gestas commentario persequutus est usque ad Petri Urseoli II. Ducis exitum, hoc est ad annum Æræ Vulgaris MVIII. Vetustissimum hoc, & verè aureum Venetæ Historiæ monumentum, nondum typis editum, asservatur apud V. Cl. *Apostolum Zenum* in codice membranaceo in fol. seculo XIII. exarato. Sub finem codicis, post Historiam, in Notatione quadam, in qua Auctor aliqua de se ipso narrat, apparet Sagorninum fabrilem artem exercuisse. Familiam hanc Venetis accensendam esse constat ex Privilegio quodam Vitalis Michaelis II. Venetorum Ducis, in Additamentis ad Dandulum pag. 290. E. cui Privilegio inter reliquos Venetos *Leonardus Sagorninus* subscriptus legitur. Eundem Sagorninum innuit Dandulus, quum pag. 227. B. *Codices antiquissimos Venetorum* memorat, quo loco satis prolixum ex eodem fragmentum ad verbum affert. Ex Sagornini codice hæc emendantur in Chronico Danduli duobus hisce locis. Pag. 218. C. *odiorum nequitiis inficiabantur*, lege *inficiebantur*, ut sensus etiam postulat. Pag. 227. C. *Septimo quoque sui Ducatus anno*, lege *septimoque*, continua enim narratio est, neque factum ab antecedenti diversum. Pag. eadem E. pro *Mane Bertaldus*, Sagorninus legit *Illuc Bertaldus*, ut etiam habet Ambrosianus codex. Sequitur, *Episcopus Polensis eximius Episcopus*. Rectiùs apud Sagorninum *Polensis eximius Antistes*, absque ulla repetitione. Pag. 228. A. *Auserensem ad urbem*, Sagorninus *Absarensem*. Pag. eadem B. *ibi illi Regionis majores*, lege *illius*. Paullo post *eorum Civitatum*, lege *earum*. Pag. eadem D. *quæ dum irent*, lege *qui dum irent*. Pag. eadem E. *Hoc vero audientes Sclavorum Reges, periculum incurrere formidabant*. Rectius Sagorninus: *Hoc vero audientes, Domini sui, Sclavorum scilicet Regis, periculum incurrere formidabant*. Paullo post, *& sacramenta obsequia persolverunt*; Sagorninus *& sacramenta, & obsequium persolverunt*. Pag. 229. B. *Huic ad Spalatinam*, quibus verbis nulla subest sententia, lege *Hinc*. Pag. eadem D. *itinerantem Venetias*, lege *Veneticum*. Pag. eadem D. *Ciurzulæ Insulæ*, Sagorninus *Curzolæ Insulæ*. Pag. eadem E. *Lesinæ Insulæ*, Sagorninus *Ladestinæ*. Pag. 230. A. *non denegarent*, lege *non denegaret*. Sequitur: *montium tamen sublimitate ostentabatur, ex quibus vivis murorum mœnibus, turriumque ædificiis munitis inexpugnabilis ab omnibus putabatur*. Sagorninus habet: *è quibus* (hoc est montibus) *unus murorum mœnibus, turriumque ædificiis munitus, inexpugnabilis ab omnibus credebatur*. Pag eadem B. *unde nullius munitionis ostia patebant*. Rectiùs Sagorninus *illius munitionis*. Pag. eadem C. *Ecclesiam receptavit*, Sagorninus *reciprocavit*. Paullo post pro *Ragusiensis Episcopus*, Sagorninus legit *Ragusiensis Archiepiscopus*. Neque his duobus dumtaxat locis Sagornini rebus ditescit Dandulus, sed alibi etiam ex eodem fonte non pauca haurit, ut utrumque Scriptorem conferenti mihi animadvertere licuit, quamquam ejus nomen reticeat. Inter reliqua, notatu digna mihi videtur Gregorii II. Summi Pontificis Epistola ad Serenum Aquilejensem Patriarcham à Dandulo allata pag. 132 D., quæ

Digitized by Google

Digitized by Google

diximus, in qua hanc de se ipso mentionem facit: *Quadam die nos Joannes Sagornino Ferrarius, insimul cum cunctis meis parentibus in unum convenimus &c.* Adnotationem hanc nullo spatio interjecto, atque uno eodemque charactere, cum præcedenti Historia connectunt quidam Codices; neque stilus soloecismis, & barbarismis identidem scatens, ab Historiæ ditione valde abhorrere videtur. At quum Notatio illa à præcedenti narratione & re, & tempore prorsus disjungatur, neque Faber ille præcedentis operis Auctorem se esse declaret, ut ferè mos est sequiorum ætatum scriptorum, quum se ipsos nominant; omnem dubitationem amovere non possum, quin alius, fortè à Sagornino Fabro diversus, verus sit illius Auctor. Tempus, & MSS. Codices, qui posthac prodibunt, rem meliùs illustrabunt.

XIV. Quos *Græcorum Codices* innuat Dandulus pag. 258. C. non modò parum liquet, sed & totus locus ille subobscurus est. Ejus verba profero: *Hanc Translationem* (S. Nicolai) *Græcorum Codices comprobare videntur, negantes, Barenses Cives Beatum Corpus abstulisse, sicut scribit Joannes Archidiaconus ejusdem Ecclesiæ, & reliqui, qui Translationi ab eo dictatæ crediderunt, cum etiam in re dubia, sicut ipse testatur, sibi pertinenti, ejus testimonium respuendum sit.* His ut lucem aliquam afferamus, notandum est, in memorata S Nicolai Translatione à Joanne Archidiacono Barensi conscripta, quam affert Surius ad diem IX. Maji, hæc legi §. III. *Quo audito* (Barenses mercatores) *expansis carbasis, illico versus Antiochiam proras ratium direxerunt, paucisque diebus secundo cursu ad eam pervenerunt Civitatem. Ubi navem Venetorum invenientes, de variis rebus, ut assolet, percontari cœperunt. Erant enim quidam ex nostris Venetorum cognati & amici, cum quibus de Corpore B. Nicolai mutuo confabulabantur. Veneti vero id, quod dudum animo conceperant, edere verbis nequaquam dubitaverunt. Nam & palos ferreos, & malleos præparatos se habere confessi sunt, & quod tentare deberent inter se jam consultasse, illis pandere non distulerunt. Quod cum nostri Barenses audissent, ad hoc incipiendum & perficiendum majori etiam desiderio sunt accensi . . . . Quapropter etiam maturaverunt negotium, cujus explendi caussa iter susceperant, ut inde ocius remearent.* Ex his liquet, Venetos paratos fuisse ad audax facinus perpetrandum ante ipsos Barenses. Porro Dandulus pag. 256. D. ita rem gestam narrat: *A Rhodo autem transeuntes* (Veneti) *ad Urbem Miræ perveniunt. Ad quam, præmissa oratione, declinare Episcopus jubet. Fugientibus vero Clericis, quatuor tantum Ecclesiæ custodes retinuerunt. A quibus de B. Nicolai Corpore requirunt, qui se id ignorare temporis antiquitate simulant. Archam tamen fractam muro adhærentem* (ostendunt) *dicentes: Hic Barenses partem reliquiarum tollentes, partem reliquerunt. Si vultis, eam tollite. Archam igitur perquirentes, nihil in ea præter aquam & oleum invenerunt.* Refert deinde, unum ex Custodibus à Venetis vi adactum, locum tandem indicasse, in quo S. Nicolai Corpus quiescebat, quod simul cum S Theodori Martyris, & alterius Nicolai, avunculi nempe Nicolai Magni, reliquiis invenerunt, hac Inscriptione Græcis litteris notatum: *Hic requiescit Magnus Nicolaus terra, marique mirabilis, & gloriosus.* Rursus audia-

A mus Joannem Archidiaconum, Barensium iter, S. Nicolai Corpus (ut ipsi quidem existimabant) secum deferentium, describentem §. X. *Inde recedentes*, ait, *cum multa remigum fatigatione ad loca Macri appulerunt. His enim tribus noctibus, geminisque diebus admodum illis adversante Borea navigarunt. Unde etiam quidam inter se colloquentes, fluctuantibus & turbatis animis dixerunt: Quid ita nobis infestus est hic ventus, nec quiescit? Forsitan aliud nobiscum vehimus, non illud, quod autumamus. Aut si revera Corpus S. Nicolai ferimus, fortassis non ei placuit id quod fecimus, atque ea caussa male egimus, & ulteriùs illud ferre non valemus. Ex iis autem vir quidam*
B *Eustasius nomine, nocte sequenti fertur vera somnii visione vidisse, immo hujusmodi passionem sensisse, hirundines ejus linguam mordicus apprehensam male tractantes atque cruentantes. Qua ille visione perterritus, & expergefactus, de cubili surgens nequaquam facere voluit quod viderat, sed sociis omnibus, metu nec dum de pectore recedente indicavit, asserens, quod vere sint membra Sanctissimi Nicolai: nec dubitavit ulterius bene illi placuisse quod fecerant. Attamen illi de contrario vento perrexerunt inter se conqueri.* Ex qua narratione satis liquet, aliquando animo fluctuasse Barenses ipsos circa S. Nicolai Reliquias, & dubitasse, num fortè à Myrensibus decepti fuerint. Quapropter in
C re etiam apud ipsos Barenses dubia, ait Dandulus, nullius roboris est Joannis Barensis testimonium, qui judex in propria causa esse nequit, proindeque rectissimè ad *Græcorum Codices* provocat Venetus Historiographus, quorum fide, utpote minime suspecta, tota hæc controversia rite dirimatur. Dolendum sane est, Græcum hunc fontem clariùs à Dandulo non indicari, neque enim satis dignoscitur quos hìc Codices laudet. Quod idem dictum volo de pagg. 227. B. & 263. B. in quibus pariter aliis de rebus agens Græcorum Codices memorat. Verùm quod ad Venetorum de S. Nicolai Corpore Traditionem spectat, non uno dumtaxat Danduli testimonio ea fulcitur.
D Extat enim Translationis à Venetis factæ Historia, à Baronio etiam laudata ad ann. MLXXXVII. §. XXI., quam Ferdinandus Ughellus ex Archivo Monachorum S. Nicolai ad Litus publici juris fecit Tom. V. Italiæ Sacræ pag. 1280. Anonymi quidem Auctoris est, sed certè antiqui, & ut videtur coævi, atque ex ea exscripsit Dandulus quidquid ea de re memoriæ commendavit. Ex eodem fonte sua pariter hausit Petrus Calo Danduli coætaneus, qui in Vita S. Nicolai, quæ legitur Vol signato num. 641. eandem Venetorum Translationem brevi stilo perstrinxit, ac Sigeberti sententiâ recitatâ, continuò subdit pag. 292. col. 4. *In multis autem antiquis libris reperi,*
E *quod anno Domini 1016* (lege 1096.) *tempore Urbani Papæ, & Vitalis Michaëlis Ducis Venetiarum inclyti, inspirati à Deo Gallici, & Veneti crucesignati, unanimiter ad Terram Sanctam recuperandam iter assumserunt*, & quæ sequuntur. Præterea Fortunatus Ulmus in Historia Translationis Corporis S. Nicolai pag. 64., & post eum idem Ughellus Tom. eodem in Episcopis Patavinis, Joannis Patavini Episcopi Diploma proferunt anno MCLIII. exaratum, in quo mentio fit *Sanctorum, qui nuper in Ecclesia S. Nicolai ad Litus requiescunt*, quos postea *S. Nicolaum, & Socios* in eodem Diplomate expressiùs vocat. Bartholomæus

mæus insuper Veronensis ejusdem Cœnobii Abbas, qui circa annum MCCCCXL. claruit, & Chronicon scripsit à primordiis Cœnobii ad sua usque tempora, Auctor est, anno Æræ Vulgaris MCCLXXXII. Joanne Dandulo Venetiarum Duce, & Bartholomæo Quirino Castellano Episcopo perquisita fuisse, & inventa Corpora trium SS. Nicolai Magni, Nicolai Avunculi, & Theodori Martyris. Ex eo Chronico nunc deperdito, fragmenta quædam in suam Venetorum Ducum Historiam transtulit Marinus Sanutus, ex quo hæc hausimus. Ceterùm nihil facilius, quàm Barenses mercatores, aut ipsos per se, aut à Templi Custodibus deceptos, unius Sancti Corporis loco aliud abstulisse: Refert enim Theophanes in Chronographia pag. 408. edition. Parisiensis MDCLV. Nicephori I. Constantinopolitani Imp. temporibus, Chumid ab Aarone Arabum Duce missum, *Myrâ occupatâ, cum sacram S. Nicolai urnam confringere tentaret, & in vicinam ex errore vim & ictus inferret; extemplo immanis ventorum procella, marinorum fluctuum impetus, tonitruum fulgurumque promiscua tempestas adeo classem jactavit, ut pleræque naves conquassatæ submergerentur, ipseque Dei hostis Chumid Sancti virtutem expertus, vix ac præter spem eam potuerit effugere.* Unde apparet, plures fuisse eodem loco Sanctorum Reliquias repositas, quo facillimus errandi dabatur locus, raptoribus præsertim Templi insciis, & rem præ timore festinanter agentibus. Illud quoque omittendum non est, minime videri integrum à Barensibus alicujus Sancti Viri Corpus ex Oriente asportatum fuisse, quum unum dumtaxat S. Nicolai os nunc ostendant.

XV. Tria ex Baronio in Annalibus loco laudato, & in Notis ad Martyrologium Rom. die IX. Maji Venetorum persuasioni opponi possunt. Primò, Scriptores omnes coævos Translationem hanc Barim factam fuisse affirmare; quibus suffragantur Romanum Martyrologium, & Urbanus Papa in Litteris anno sequenti datis. II. Nec Dandulum, integerrimum Scriptorem, nec Sabellicum quicquam de ea Translatione habere ad an. MLXXXVII. III. Denique, Emmanuelem Imp. dum de S. Nicolao agit in Constit. Novella de Feriis, his titulis eundem exornare: *Nicolaus miraculis insignis, unguentorum fragrantia scatens*; ex quo efficitur, Corpus à Barensibus ablatum, fuisse revera S. Nicolai, quum, ut Joannis Historia fert, & fateri videtur Dandulus ipse, Corpus illud oleo innatans ab iisdem repertum fuerit. Barii verò idem prodigium etiamnum perduret, siquidem ex eodem sacro Corpore, *ut è perenni quodam charismatum fonte*, quemadmodum Baronius ait, *stillat liquor salubris*. Ad primum respondeo, immo jampridem respondit Dandulus, coætaneorum Scriptorum fidem inniti fide Joannis Archidiaconi, cujus tota narratio à Barensium narratione pendet. Porro quum ii à Myrensibus decepti fuerint, in errorem eos omnes pertraxere, qui fidem ipsis adhibuerunt; proindeque Scriptorum illorum auctoritas nullius roboris est, & in fumum ac nebulas solvitur. Neque Martyrologii Romani, & Urbani Papæ testimoniis quicquam evincitur, quum hac in re communem Barensium opinionem & ii sequuti sint, cujus infirmitas tunc minimè apparebat, neque sane apparere poterat, nondum scilicet peracta vera Sancti illius Corporis Translatione. Res-

A pondeo secundo, non omnibus omnino coætaneis persuasum fuisse, S. Nicolai Corpus Barensium operâ in Italiam ea tempestate translatum; immo integræ fuerunt in Italia ipsa nationes, quæ Myræ adhuc illud esse pro certo haberent. Refert enim Augustinus Justinianus in Annalibus Genuensibus, quum anno MXCVIII. Genuensium classis Myram divertisset, & S. Nicolai Templum intrassent, Reliquias nescio quas nacti, S. ipsius Nicolai Corpus se habere existimasse: *E credendo Genoesi* (ait Justinianus) *aver acquistato il Corpo di S. Nicolao, furono certificati dalli Calojeri, cioè Religiosi, che servivano quella Chiesa, che le sante Reliquie, quali avevano pigliato, erano quelle di S. Giovanne Batista, della qual*
B *cosa ebbero grandissimo piacere &c.* Ex quibus planè constat, Barensium narrationem, quamquam tot testimoniis, tantaque celebritate & fama comprobatam, fidem tamen nullam apud Genuenses obtinuisse, adeo ut S. Nicolai Corpus Myræ adhuc inquirerent. Respondeo ad secundum, nec Dandulum, nec Sabellicum quicquam habere de Translatione Corporis S. Nicolai Venetias ad ann. MLXXXVII., quia eo anno revera à Venetis non fuit peracta, sed anno sæculari MC., cui anno eam tribuit Sabellicus. Ad annum MXCVI. eandem refert Dandulus, scilicet ex malè intellecta Venetæ Translationis Historia, ut ab Ulmo ad-
C notatum; quem errorem sequutus pariter est Petrus Calo. Utcumque ea res habeat (neque enim hæc persequi hujus est loci) illud dumtaxat monuerim, ex illius epochæ varietate, nullam, quod ad factum ipsum attinet, difficultatem oriri; quare ad facti fidem infirmandam perperam prorsus, & nullo fundamento à Baronio detorquetur. Ad tertium denique argumentum respondeo μυροβλυτην vocari Nicolaum ab Emmanuele Imp. in illa Constitutione, hoc est odorum balsamum exsudantem, quæ verba æquè Venetos ac Barenses feriunt, quum ex Barensibus reliquiis nulla, quod quidem sciam, odoris fragrantia percipiatur, licèt, Baronio teste, *stillet liquor salubris*. Ceterùm
D ex Archa à Venetis detecta, & Corpore ab iisdem ablato odoris suavitas tanta profluebat, ut vel eo indicio illud inquirendi ansam ab iisdem arreptam ipsorum Historiæ ferant. Hæc disputationis gratiâ dicta sunto, & ad Danduli locum, ceteroquin obscurum, aliquo modo illustrandum.

XVI. De hac Joannis Archidiaconi Historia à Surio edita, ita Pagius in Critica Baronii ad ann. MLXXXVII. §. VIII. *Liber ille periit, sed aliud ejus etiam summarium refert Surius Tom. VIII. ad diem IX. mensis Maji, excerptum ab Auctore Anonymo, qui longe post Ordericum vixit.* Quod quidem cur asseruerit vir doctissimus, nullus video. Interpolatam
E certè à Surio fuisse Historiam illam, negari non potest: quædam etiam sub finem, ubi de miraculis sermo fit, deesse verosimile est. At cujusmodi interpolatio ea fuerit, Surius ipse testatur; ad calcem enim Notam quandam apponit, fateturque ingenuè, se *aliquot locis modice stilum mutasse, & quædam redundantia contraxisse*. Porro aliud est, verba quædam barbara Latinis scilicet substitutis mutare, & *quædam* dumtaxat *redundantia* contrahere: aliud vero summam historiæ alicujus conficere. Certè Historia à Surio edita hunc titulum præfert: *Translatio S. Nicolai Episcopi ex Myra Lyciæ Urbe ad Apuliæ Oppidum Barium*,

vbi

vel Barum, *scripta ab Joanne Archidiacono Barensi, jubente Ursone Barensi & Canusino Archiepiscopo, circa annum Domini MLXXXVIII.* Sub finem exordii legitur: *Quod ego Joannes Barinae Archidiaconus Ecclesiae per jussionem Domini mei, & Patris Ursonis Barensis & Canusinae Archiepiscopi Ecclesiae, qualiter sit actum, breviter & liquide seriatim quoque pandere non gravabor.* In contextu verò semper Auctor loquitur, tanquam de re, quae aetate sua acciderit. Praeterea in hac Historia à Surio edita, si miracula quaedam excipias, reperiuntur omnia, quae à variis Auctoribus, ut Sigeberto, Belvacensi, Orderico, Dandulo, aliisque in gemina Joannis Historia lecta fuisse apparet. Quare satis capere non possum, iterum dico, cur Pagius Compendium id esse voluerit ab Anonymo concinnatum, qui etiam multo post Ordericum Vitalem vixerit. Non leviter quoque alucinatus est Vir eruditissimus Jo. Albertus Fabricius, qui in Notis ad Trithemium de Scriptoribus Ecclesiasticis subdubitavit, num *Joannes Ecclesiae cujusdam Horit.* (sic) *Archidiaconus* à Trithemio Cap. CCCCI. memoratus, sit Joannes Barensis. Nam primùm libri omnes, quos scripsit Joannes à Trithemio laudatus, diversi sunt ab opusculis Joannis Barensis. Deinde vero quum Trithemius Joannem suum inter annos MCLXX., & MCLXXXV. scripsisse ponat, integro post Joannem Barensem seculo eum floruisse manifestum est. De hoc postremo mentionem facit Barensis alter, idest Nicephorus Monachus, qui pariter, ut Molanus, & Bollandus testantur, Historiam Translationis S. Nicolai litteris consignavit, nondum typis editam. Haec illius verba sunt apud eundem Bollandum Tom. II. Feb. in Commentario Praevio ad Vitam S. Sabini §. III. num. XVII. *Interea ad Domnum Ursionem Archiepiscopum legatio dirigitur, qui tempore illo apud Canusinam, & Tranum Civitates morabatur, quarum Pontificatu una cum Barensi Archiepiscopio fungebatur; inde post biduum Joanne Archidiacono suo se comitante, Hierosolymam iturus. Audito itaque tantae novitatis nuntio, renuntiavit continuo intentioni Hierosolymam progrediendi &c.* Igitur Nicephorus iste post Joannem Barensem, qui circa annum Ærae Vulgaris MLXXXVIII. scribebat, claruisse oportet; proindeque male ab erudito Viro Bernardino Tafurio ad annum MXXXV., multo ante ipsum Joannem, collocatur in Serie Chronologica Scriptorum Regni Neapolitani Tom. XXI. Collectionis Calogerianae pag. 95. Quod perperam prorsus factum fuisse vel ex eo intelligere poterat Vir eruditus, quòd quum Translatio Corporis S. Nicolai anno MLXXXVII. secundùm Barenses peracta sit, non potuit certè ejusdem Historiam ullus texere, qui dimidio integro saeculo, atque amplius, ante factum illud floruerit.

XVII. Sub *Magistri Historiarum* nomine pag. 271. C. à Dandulo laudati, intelligendus est Petrus cognomento Comestor, seu Manducator, Historiae Scholasticae Auctor notissimus, qui ab illius aevi Scriptoribus saepius eo titulo decoratur.

